SC.8.P1.5.

37
42 E
7

Digitized by Google

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPORUM

MEDIOLANENSIUM

SERIES HISTORICO-CHRONOLOGICA.

TOMUS PRIMUS.

ARCHIEPISCOPORUM
MEDIOLANENSIUM
SERIES HISTORICO-CHRONOLOGICA

AD CRITICÆ LEGES,
ET VETERUM MONUMENTORUM FIDEM
ILLUSTRATA:

JOSEPH ANTONII SAXII

SS. AMBROSII ET CAROLI OBLATI,
COLLEGIO ET BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTI

OPUS POSTHUMUM.


ACCEDIT CLARISS. SCRIPTORIS VITA

AUCTORE

BALTHASSAR OLTROCCHI

EIDEM BIBLIOTHECÆ PRO-PRÆFECTO.

TOMUS PRIMUS.



MEDIOLANI, MDCCLV.
****
IN REGIA CURIA EX ÆDIBUS PALATINIS.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNI. BAPTISTÆ
MESMERI
IN. JURE. DICENDO
SAPIENTISSIMO. INTEGERRIMO
POST. AMOTAM. IN. POSTERUM
REI. FRUMENTARIÆ. DIFFICULTATEM
VIARUM. ANNONÆ
PRÆFECTURAM. RITE. ADMINISTRATAM
ÆRARIUM
RESTITUTUM. AUCTUM
MERITIS. HONORIBUS. CUMULATO
COMMUNI. VOTO
IN. CARDINALIUM. COLLEGIUM
A. BENEDICTO. XIV.
PONT. O. M.
COOPTATO
CONCIVI. PATRONO.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

JOANNI BAPTISTÆ

M E S M E R I

CAROLUS CASANOVA

NAZARIANÆ BASILICÆ MEDIOL. CANONICUS

FELICITATEM.

OPtanda quadam ſortis injuria effectum eſt, PRINCEPS EMIN.ME, ut operis hujus editio futura cùm Cl. Joſephi Antonii Saxii famæ, tùm Patriæ Tuæ cum primis glorioſa, plurimis

Digitized by Google

primùm dilata, mox & interrupta caſibus, poſtremo ad umbilicum ferme perducta, in ejus tandem poteſtatem perveniret, qui & meritorum Tuorum apprimè prudens illud Tibi nuncupare facile vellet, obſervantiæ autem ſuæ conſcius planè deberet. Nam cum ea mihi ſuperioribus menſibus delata fuiſſet provincia, ut quod Philippus Argelatus ejuſdem editor ſupremis ſcripſerat in tabulis exequendum ſuſciperem, ſarciremque meo patrocinio quidquid in hæreditario ejus aſſe mancum, ac debilitatum illius mors reliquiſſet, oblatus repentè dignitatis Tuæ ſplendor eximius, me nondum planè deliberantem compulit, ut Tuo ornatum nomine tandem proferrem. Apparebat enim conſonum, atque præclarum in Tuis defigi oculis, Tuiſque gaudere auſpiciis nobiliſſimam Mediolanenſium Antiſtitum Seriem, quorum Tu facta virtuteſque imitatus ad eum, quem tenes, majeſtatis gradum optima progreſſione con-

ten-

Digitized by Google

tendiſti . Quantum item intereſſet affinitatis , expendebam animo inter egregias Tuas dotes , eorumque Archipræſulum , quorum hîc geſta intentis oculis admirari poteras . Scilicet quemadmodum ex iis alios ſtrenuè inter publicas curas , ac Magiſtratus perhonorificè verſatos licebat recognoſcere , alios populorum procurandæ felicitati addictos impenſius , complurimos vero ad Religionis præſidium feliciter excubantes ; ſic in Te uno expreſſa paria munera , & communis utilitatis , pietatiſque Chriſtianæ haud diverſa ſtudia eminebant .

Norunt Romani , & Sapientiſſimus Sac. Rotæ Judicum Cœtus exactam in cauſſis diſcutiendis ſolertiam , miram in graviſſimis ferendis Sententiis ingenii vim annorum viginti ſpatio probatiſſimam . Hinc Tuam in Jure dicendo integritatem tanti Clemens XI. fecit , ut Te Præſulem electum Suffragii ferendi cauſſa inter feſtas Populi , & Fori ac-

Digitized by Google

clamationes Nobiliſſimo Tribunali, quod a Juſtitia nomen habet, admoverit; dexteritatem verò in maximarum rerum adminiſtratione Pontificio Benedicti XIII. præconio celebratam quis dignis laudibus proſequatur, intelligens Te ab eo feliciter admodum Cameræ Auditoris, *ut appellant, difficillimis judiciis implicitum, dum* Judicis Ordinarii *perſonam graviſſimam ſanè Tibi imponeret, aut animo recolens depulſam vigiliis, ac laboribus Tuis ab Alma Urbe rei frumentariæ inopiam, ſuffectum Romanis certum commeatum publicum, privatum vero Piceni, unde illum exportaveras, non imminutum, levatam demum utrobique in poſterum Annonam, adeout nulla caritas timeretur? Sapientiam hanc multis auctam honoris inſignibus voluere ſubinde Clemens XII., & Benedictus XIV., quorum Ille Tibi* Apoſtolicæ, *ut vocant*, Cameræ Clerico *renuntiato viarum Præfecturam, atque rem frumentariam curandam de-*

tulit:

tulit: Alter afflicti Pontificii Ærarii reſtituendi provinciam demandavit, tam felici rerum exitu, ut quadriennii ſpatio modò imperatis pecuniis, modò exactis illud levares maximo ære alieno, imo additis novis ſubſidiis, ac veluti nervis mirum in modum confirmares. Adlectum denique in S. R. E. Cardinalium numerum gratulabundi ſuſpexere optimi omnes, itemque præclariſſimi cujuſcumque ordinis Viri, quorum plurimi cùm integritatem veriti Tuam, tùm prudentiam admirati ſingularem, illaqueatas Legum periculis, aut odio irretitas publico rationes auctoritati, & conſilio Tuo expediendas feliciſſimè permiſerunt: Mediolanenſes verò præſertim Tui plurimis ſe nominibus Tibi obſtrictos profeſſi ſunt, cum Te in Patriæ res, ac gloriam mirè animatum primariæ SS. Ambroſii, & Caroli in Urbe Sodalitatis, imo & univerſæ Nationis noſtræ Patronum habere quam veriſſimè gloriarentur.

Ita-

Itaque geſtiunt, mihi crede, Archipræſulum Noſtrorum feliciſſimi Manes conſcriptam diligenter de ſuis egregiè factis hiſtoriam in ejus patrocinio deliteſcere, qui ut pronus eſt in Patriæ res fovendas, amplificandaſque, tam illuſtrem etiam clientelam a ſe amoveri non patietur; Teque interim fautore uſuros ſe confidunt ampliſſimè. Hoc ut ego quoque non deſperem, Tua in literas, Patriamque propenſio facit; imo ut indubiè credam, injunctum Tibi Nationis noſtræ protegendæ munus hortatur. Quod ſi Tuorum erga me meritorum revocare memoriam velim, id non Tua dumtaxat cauſſa, ſed etiam mea abundè, cumulatèque Te præſtiturum certo ſcio. Diuturnus enim, quo me proſequeris, favor, magna, quæ mihi tecum eſt non ullis meis meritis inita, ſed ab excelſo Tuo, ſublimique animo profecta gratia, cùm ſemper Te Tui ſimilem fore pollicentur, tùm erga me æque ac munus meum animatum denun-

tiant.

tiant. Excipe igitur, quo ſoles, animo hoc Tibi inſcriptum opus, quod Tuo honeſtatum, auctumque nomine minus lucem hominum, conſpectumque verebitur. Sin minus mea offerentis voluntas grati animi dignam exhibet teſtificationem; Tua acceptum habentis humanitas hunc mihi adjiciet gratiæ, & amoris cumulum.

Mediol. Prid. Cal. Julias MDCCLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLUS CASANOVA
BASILICÆ NAZARIANÆ CANONICUS
LECTORI BENEVOLO.

QUo animo, quibuſque niſibus Philippus Argelatus Bononienſis a Secretis Sac. Cæſ. Cath. Majeſt. contenderit, ut Literarum incrementum, Literatorumque Hominum commodum promoveret, omnibus in comperto eſt; cum eo potiſſimum adnitente in lucem producta fuerit Collectio Scriptorum Rerum Italicarum ab immortalis memoriæ Viro Ludovico Antonio Muratorio digeſta, pluribuſque magnæ molis voluminibus comprehenſa. Ejuſdem Argelati operâ e Typis Mediolanenſibus prodiere a jam laudato præclariſſimo Scriptore coacervatæ Veteres Inſcriptiones, aut nondum cognitæ, aut ſeorſim evulgatæ. Ille ipſe fuit, qui Numiſmatum a Franciſco Mediobarbo in amplum Codicem redactorum ſecundis, iiſque nitidioribus curis editionem paravit, pluraque alia peregit ad Eruditorum utilitatem procurandam aptiſſima, quæ commemorare ſupervacaneum cenſeo, utpote ad inſtitutum meum minimè pertinentia, & doctis Hominibus jam cognita. Id tamen in præſentia reticere haudquaquam decet, quòd

eos inter illuſtres Viros, doctrinâ, ſcriptiſque Elucubrationibus ab Argelato apprimè cultos, Clariſs. Joſeph Antonius Saxius *Collegio ac Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectus adnumerandus occurrit; ab eo enim Adnotationes ad* Sigonii de Regno Italiæ *Hiſtoriam, cum hujuſce Scriptoris Opera omnia prælis committeret, labore maximo collectas, atque ampliſſima eruditione refertas exquiſivit, atque obtinuit; ab eodem etiam quam longis paraverat curis* Hiſtoriam Mediolanenſem Typographicam, *Operi ſuo* de Scriptoribus Mediolanenſibus *præponendam, impetravit. Atque ut uno omnia verbo comprehendam, Saxius ille fuit, quem in rebus dubiis veluti Delphicum Oraculum conſuleret, ejuſdemque auctoritatem veneraretur. Vix dum Argelatus ab eo ad umbilicum perductam* Archiepiſcoporum Mediolanenſium Chronologicam ſeriem *intellexit, eamque, morte intercepto eruditiſſimo Auctore, penes æmulum Patrui Joſephum Mariam Saxium, Collegio Canonicorum S. Georgii adnumeratum, manuſcriptam deliteſcere, commodo atque utilitati publicæ de more conſulens, hanc ab humaniſſimo Nepote impetravit, neque prælis ſubjicere ſuperſedit ulterius, niſi quantulum ad nitidiores parandos typos temporis intercederet. Quo vehementiore ſtudio editionem expectatiſſimi Operis ſolicitabat Argelatus, illamque pene abſolutam proſpiciebat, eum pituita vehemens ſtommaco indiſſolubilis oppreſſit ita, ut vi morbi cedere,*

ætate

Digitized by Google

ætate Annorum LXXVI. jam gravis, coactus fuerit VIII. Cal. Februarias bujus Anni. Priuſquam tamen e vivis abiret, ſe morti proximum ſentiens, me rerum ſuarum Curatorem poſtremis Tabulis declaravit, idque inter primas curas commendatum mibi voluit, ut quod ipſe antea ad hujuſce editionis complementum mente perceperat, ſedula executione me auxiliante abſolveretur. Cui amicæ benevolentiæ vinculis obſtrictus viventi fueram, eidem terris erepto devinctum me ſentiens, hoc potiſſimum animadverti, ne poſtrema vota vel tantiſper eluderem; quocirca præconcepta ab Argelato tam præclari Operis ornamenta haudquaquam parare neglexi, imo pro viribus complere ſtudui. Noverat ille quidem, Clariſs. Saxium Apoſtolicam Ambroſianæ Eccleſiæ inſtitutionem viriliter propugnaſſe, in lucem productis Vindiciis de Adventu S. Barnabæ Mediolanum. *Hanc Diſſertationem numeris omnibus abſoluto Mediolanenſium Præſulum Catalogo præponere animo conceperat Argelatus, utpote quæ viam aperiret ad ceterorum Antiſtitum Acta explicanda, primorumque inter eos antiquitatem probandam non modo utilis videretur, verum etiam neceſſaria. Eam igitur tibi, veluti Prodromum ſiſto, Lector humaniſſime; neque hic recuſam cuiquam diſplicere poſſe arbitrabor, cum in iſta, quæ hiſce temporibus fervet, controverſia, ſe uſque ad extremum ſpiritum in ſuſcepta ſententia perſtitiſſe Saxius ipſe profeſſus ſit, quemadmodum a fide dignis teſtibus non ſemel accepi. Quinimo,*

†† 2 *quo-*

quotieſcumque Argelatus familiariter cum Amicis de productis hinc inde rationibus verba miſcebat, eum plures dicentem audiverunt, ſe nihili facere ab Adverſariis productum argumentum e verbis S. Ambroſii deductum (in Concione adversùs Auxentium), *quibus ait*: Abſit ut tradam hæreditatem Dionyſii - - - - atque omnium retro fidelium Epiſcoporum, *Sancti Barnabæ nomine omiſſo, cum de tradenda Arianis Baſilica Portiana ageretur, quæ vivente hoc Apoſtolo, neque Anatalone Succeſſore ſuo nondum in Chriſtianorum ceſſerat portionem, imo a fundamentis nondum extructa fuerat. De materiali, cenſebat Argelatus, Eccleſia agi, non de myſtica, ut ajunt, ſeu ſpirituali; quapropter non expediens, neque utile Ambroſio fuiſſet, ad Barnabam uſque Apoſtolum aſcendere, ut poſſeſſionem Portianæ Chriſtianis vindicaret, qui a prima Catholicæ Fidei hac in Urbe prædicatione non adhuc Templum illud obtinuerant. Sed hæc obiter, cum mea non interſit in arenam deſcendere a tot Clariſſimis Scriptoribus calcatam; iſtud enim tantum innui, ad Amici demortui mentem hac de re mihi compertiſſimam explicandum.*

Quo primùm tempore Argelatus ſibi propoſuerat hanc parare editionem, ut laudabilem præſentis ætatis morem ſequeretur, præfigendi ſcilicet Scriptoris Vitam, debitum tam benemerito de ſacra, ac profana Eruditione Saxio officium hoc præſtare duxit perneceſſarium; quapropter Clariſs. Virum Balthaſſar Oltroccum, *Bibliothecæ Ambroſianæ*

næ Pro-Præfectum, mortuique Collegæ veſtigiis prope inſiſtentem, enixis precibus exoravit, ut hanc provinciam impleret. Hiſce votis benigniter reſpondit humaniſſimus Oltroccus, Vitamque Auctoris eleganti ſtylo conſcriptam mihi ſuppeditavit, quam & ad Saxii commendationem, & ad Argelati implendum deſiderium, necnon ad Lectorum omnium delectationem, imitationemque excitandam, primo loco imprimendam curavi.

Operæ pretium cenſeo, qualis quantuſque ſit tam præclaræ elucubrationis fructus, Lectori benevolo paucis exhibere, quæ reapſe non meo ſanè, ſed proborum Hominum judicio, qui iſtam manu exaratam jam viderunt, haud vulgarem apud Eruditos exiſtimationem ſibi vindicat, cum nova non minus, quàm difficilis, ac perfecta cenſenda ſit. Novam dico, nam nullus ante Saxium Scriptor inventus eſt, qui Mediolanenſium Archiepiſcoporum Acta fideliter, rectoque ſervato temporum ordine, literis commendaverit. Antiqui eorumdem Catalogi nudum tantummodo nomen, annos Sedis, diemque mortis deſignant: recentiores quædam eorum innuunt geſta, ſed parcè nimis expreſſa. Si qui poſterioribus Seculis liberiori calamo Vitas Mediolanenſium Antiſtitum conſcripſerunt, dubia certis, vera falſis indiſcriminatim miſcuerunt. Noſter tamen Auctor, rerum ad Ambroſianam Eccleſiam pertinentium notitiá, longo ſeduloque paratá ſtudio uſus, ac ope Diplomatum, Codicumque nuper e tenebris eductorum adjutus, ita profecit, ut tutiorem

rem uniuſcujuſque epocham figeret, atque peracta ab iiſdem opera declararet: Quocirca a vero non aberrabimus, ſi tot inter Mediolanenſium Præſulum Catalogos jam evulgatos, hunc pro ſua dignitate, obque criſim adhibitam perquam diligentem, novum appellaverimus.

Difficilem in hoc perficiendo Opere Saxii laborem quiſquis dijudicabit, dummodo animadvertat, Seriem hanc per plura excurrere Secula, bellorum aſperitate concuſſa, ac ignorantiæ tenebris involuta; poſt quæ alia ſucceſſere nimiæ credulitati obnoxia, fabuliſque facillimè inhærentia, quibus præteritorum temporum geſta inficiebantur. Tot difficultates Auctori noſtro ſatis ſuperque compertæ hunc ad eam rerum indaginem compulerunt, ut nihil aſſereret, quod aut coævorum, aut proximorum ſaltem auctoritate non inniteretur; cum aſſidua perquiſitione, ac nunquam intermiſſa Librorum lectione eam ſibi comparaſſet eruditionis meſſem, unde uberes probatoſque manipulos in medium produceret. Quæ profectò res extero Homini, in rebuſque noſtris haud apprimè verſato, ſupra quam credi poſſit, perdifficilis evaſiſſet.

Perfectam quoque elucubrationem hanc Saxii appellavi, ea potiſſimum ratione ductus, quòd hic ab Apoſtolo Barnaba uſque ad nunc ſedentem in Ambroſii Catedra Joſeph Puteobonellum S. R. E. Cardinalem, Archiepiſcoporum Seriem perduxit, Anno conſiſtens MDCCLI. quo mors invida tam inſignem doctrinâ Virum nobis eripuit. Comple-

ctitur

Digitized by Google

ctitur illa quidem & eos, qui ſpontè oblatam Mediolanenſem Inſulam recuſarunt, ſpiritu Dei, & humilitatis amore ducti: eos etiam commemorat, qui dolo, aut armorum vi hanc occupare Sedem auſi ſunt; illos non omittens innuere, qui falsò a cæcutientibus Scriptoribus Mediolanenſis Antiſtitis nomine donati fuerunt. De unoquoque horumce Præſulum ſeorſim Saxius ſermonem inſtituit; de Patria, de Studiis, de Muneribus cujuſcumque diſſeruit: quæ ad Dei gloriam promovendam, ad Eccleſiæ ſibi commendatæ honorem augendum, ad commiſſi ductui ſuo Gregis utilitatem comparandam quiſque peregerit, diſtinctè declarat, profanæ quandoque hiſtoriæ narrationem interſerens, ut eá veluti præeunte face, Præſulis geſta vividius illuſtrentur, & Lector fortaſſe minus neceſſario expertus aliunde lumen non cogatur exquirere. Ne quid inſuper deſiderandum ſupereſſet, hoc quoque Saxius addidit ornamentum, ut ſcilicet tempus deſignaret, quo Familia quælibet Religioſorum hominum vel Mediolanum inducta eſt, vel hac in Urbe nata alias etiam Catholici Orbis Civitates, & loca ad Incolarum proventum, ſive pietatis ſtudio, ſive verbi Dei prædicatione, inſtitutis ibidem domiciliis juvit, & fovit: quam ob rem ſumma Mediolanenſibus Archiepiſcopis auctoritas, dignitas, & gloria, maxima Populis, ac præſertim Inſubribus utilitas, delectatio, facilitas comparata.

Hæc breviter præfari, licèt hujus probatiſſimi Operis minus conſcius, quod primoribus tantùm labiis attigi, opor-

portunum cenſui , majorem id procul dubio laudem reportaturum ſperans ab eruditis Lectoribus , quibus celeberrimi Auctoris nomen in pretio eſt, & qui optimè noſcunt, Scriptionis tot tricis involutæ argumentum non minorem Saxio Hominem ad illud feliciter enodandum expoſcere.

Jo-

Digitized by Google

JOſeph Antonius Saxius Collegio & Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectus, Literatorum Reipublicæ ob plurimos ingenii ſui cultiſſimi partus in lucem productos perquam notus, mihique potiſſimum, qui ultra XXX. Annos ſub ejus humaniſſima inſtitutione crevi atque inſenui, quæcumque Opera elucubravit, ea ſane omnia ita modeſtia, pietate, ac moderatione compoſuit, ut quid in iis reprehendendum eſſet, ferme nullus repererit, omnes laudaverint, quinimmo quampluribus Auctoribus nimis libere ſcribentibus in exemplum propoſuerint caſtigatioris diſciplinæ propugnatores. Laudabilem hanc methodum religioſiſſimè ſervavit poſtremis vitæ ſuæ annis, quos in digerenda juxta ſeverioris criticæ leges *Archiepiſcoporum Mediolanenſium Serie*, ad laborum, laudiſque ſuæ complementum, impendit. Hanc ipſam eruditione ampliſſima confertam elucubrationem, ac *Vitæ* illius *Compendium* a Clariſſimo Viro Balthaſſar Oltrocco, Bibliothecæ ejuſdem Pro-Præfecto, dictatum, mandante Reverendiſſimo P. Hermenegildo Todeſchini, Ord. Prædic., S. T. M. ac Generali in Mediolanenſi Provincia contra Hæreticam pravitatem Inquiſitore, diligenter perlegi; cumque in hiſce Scriptionibus nihil bonis moribus, nihil Orthodoxæ Fidei injurioſum offenderim, ſed iiſdem tantummodo Sacram Patriæ eruditionem augeri, & Antiſtitum Inſubriæ præclara geſta illuſtrari compererim, annui poſſe cenſeo, ut Typis committantur; me tamen &c.
Dabam Mediolani pridie Idus Apriles MDCCLV.

P. I. Servilianus Latuada S. T. D. L. C.

Die 2. Junii 1755.

Attenta ſupradicta approbatione

IMPRIMATUR.

Fr. Hermenegildus Todeſchini Sac. Theol. Mag., Ord. Præd., Inquiſitor Generalis Mediolani.

Benedictus Mazzolenus Can. Ordin. Theologus Eccleſiæ Metropolitanæ pro Eminentiſs. & Reverendiſs. D. D. Card. Archiepiſcopo.

Vidit Julius Cæſar Berſanus pro Excellentiſſimo Senatu.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VITA ET SCRIPTIS

JOSEPHI ANTONII SAXII

OBLATI SACR. THEOL. DOCTORIS

O L I M

COLLEGIO ET BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTI.

Ii mihi videntur fortunatè beatèque vixiſſe , quibus cum auctoritate rerumque geſtarum gloria , tum etiam ſapientiæ laude perfrui licuit . Cic. in Brut.

Con-

Digitized by Google



COnfirmata Veterum exemplis conſuetudo hiſce præſertim, quos vivimus, viget annis, ut qui rerum bene geſtarum laude floruerint, eos immortalitati conſecret poſterorum memoria, quæ illuſtrata monumentis Virorum eximiorum Acta conſignans literis, cum præſentis ætatis conſulat gloriæ, tum futuræ proſpiciat utilitati. Hinc graviora ſapientum Hominum funera impatientius conſequitur bonorum deſiderium: ſive poſtulantium, ne debito virtus

præmio immortalitatis fraudetur, ſive expoſtulantium, ſeneſcente poſt cineres eorum laude, propoſita ſibi deeſſe exempla ad imitandum. Itaque gemina mihi cauſa id in præſens oneris impoſuit, ut *Joſephi Antonii Saxii* dotes, ac Scripta perſequerer: commune inſtitutum, cui inſerviendum eſt; & plurimorum vota, quibus refragari videbatur pene ſubruſticum. Acceſſit præterea alia grati animi prodendi neceſſitas; cùm & plures me unum intuerentur, qui ejuſdem amicitiam poſtremis hiſce annis coluiſſem, arcanorum participem & conſcium, imo ingreſſum ſtudiorum ſuorum cubile, ipſarum epiſtolarum cauſâ, quarum magna in Ambroſiana Bibliotheca mihi copia ſuppetebat; demum iiſdem cum Saxio hærentem legum & ſocietatis vinculis propter Collegii atque Ordinis commune utrique nomen. Hiſce tamen de cauſis non electus potiſſimum ſum, qui ejuſdem res geſtas ſcribendo complecterer, cum periculum ſit, ne ineptus Scriptor obteram Viri laudes; ſed relictus unus, cui plura ad id muneris obeundum nomina ſuffragarentur. Equidem non ignoro, plures ſibi quàm libentiſſime fuiſſe ſumpturos has partes; quibus etſi gratiam habeo, quòd occaſionem animi mei declarandi dederint, ſubiraſcor tamen, quòd tam ſalubre conſilium, tenui deſignato Scriptore, perverterint.

Mediolani natus, ſuſceptus, & inſtitutus ad laudem

Jo-

Joſeph Antonius Saxius fuit, cui nec generis honeſtas abfuit, nec Principum virorum patrocinium naſcenti defuit; imo & ſolidæ gloriæ adjumenta in paterna domo præſto fuere. Natalis illi annus fuit LXXV. ſupra ſexcenteſimum & milleſimum, dies verò, qui Kalendas Martias præcedit; atque hic quidem primus vitæ dies poſtremus fore nato infanti videbatur, ingenti Reipublicæ Literariæ damno: quapropter conſolaturi æternæ uſurâ mortalis vitæ diſpendium parentes, vix dum eductum in lucem ſalutaribus perfundi aquis voluere. Abfuit tamen paulo poſt vitæ periculum; quare VI. poſt ortum die, iidem, qui æternæ ſalutis beneficium præverterant domi parentes, ne quid deeſſet ritus & pompæ ad ſacram Baptiſmatis cæremoniam, in Mediolanenſem S. Joannis, quæ *ad Concham* dicitur, Baſilicam delatum infantem, in Excellentiſſimi Ceritum Ducis Antonii Borromei tutelam ac ſacram diſciplinam tradidere, qui rem deinde Suſceptoris tenuit, ac nomen. Latebat jamdiu in Nobiliſſimæ illius Gentis patrocinio Saxiorum familia; verumtamen quod veteris horum obſervantiæ argumentum eo videbatur tempore, poſtmodum in eam partem fuit acceptum, ut præclariſſimum infanti putaretur auſpicium. Scilicet omni vitæ tempore ornatus adeo, cumulatuſque Borromei Generis beneficiis extitit *Joſeph*, ut verè de parentum manu in eorum,

ut

ut dicitur, manum traditus crederetur, cum eos ſemper & patris habuerit loco, & in eorum caſtris verſaretur, atque præſidiis. Itaque tam honeſte natum, & tam ſplendide ſuſceptum domeſtica excepit puerum diſciplina, in qua niſi ſanctum, niſi eruditum, niſi ſolidæ laudis plenum, nihil ille vidit. Gemini anteibant ſapientiâ, & præclare factorum famâ Fratres Franciſcus, & Thomas, quorum hic Anatomicâ ſcientiâ deinde præſtans, & Urbis facilè ea in arte princeps, plurimas in Philoſophicis rebus tum progreſſiones faciebat & maximas; alter verò in Oblatorum Sacerdotum album cooptatus, renunciatus deinde, poſt Philoſophiæ ac Theologiæ prælectiones ſumma cum laude in Seminarienſi Lyceo habitas, ſupremus ſui Sodalitii Præſes, ultimò Metropolitani Collegii Ordinariis, ut vocant, Canonicis adſcriptus, rudem adhuc *Joſephi* animum excitabat honoribus ſuis, & ad æmulanda ſtrenue decora incendebat. Itaque pueri ingenium naturaque majus quippiam ſpectare, ac polliceri cœperat, & magna præſertim in ſtudia propenſio, quibus lata atque illuſtris fraterno decori patebat via. Neque paratæ in Literas indoli paternus animus, aut cura defuit; nam vix primas Grammaticæ ſalebras prætervectum filium in Societatis Jeſu Patrum diſciplinam tradidit parens; eorumque culturâ adeo fructuoſe adoleverunt injecta ſapientiſſimorum In-

ſtitu-

ſtitutorum labore virtutis ſemina, ut æqualium magiſter, & grandiorum natu tamquam æqualis & compar haberetur. Hac ratione Grammaticarum inſtitutionum apprime gnarus, ad humaniorum Literarum, & Latinæ elocutionis haurienda præcepta in Modoëtienſe Seminarium traductus eſt annum agens ætatis XII., adnitente præſertim Fratre, qui Oblatorum magiſterium & curam inſito quodam in Ordinem ſuum amore ad cariſſimum Fratrem formandum diligenter præoptabat. Revera, ùt erat in puero naturæ vis non acris quidem & vehemens, ſed diligentiâ præſtans & patiens laboris, feliciter unius anni ſpatio ex tricis illis evaſit; & in Mediolanenſe Seminarium evocatum, in primis elementis Rhetoricæ annum alterum, deinde in unctiore ejuſdem palæſtra triennium, Joanne Baptiſta Sutio Rhetoricorum interprete, eumdem ſumma cum laude verſatum intelligo ex MStis monumentis, quæ ibidem ſervantur, de Alumnorum progreſſionibus teſtes fidiſſimi. Anno ætatis XVII. præter ejus Lycei leges, quæ nonniſi decimumoctavum a nativitate annum numerantibus diſcipulis aditum ad caſtra Philoſophica aperiunt, propter ſpectatam indolem, & ingenii naturam ſatis perſpectam, dignus habitus eſt, qui gemina de more ſtipendia conficeret; cumque agmen in Dialecticæ, ac Philoſophiæ campo ſemper inoffenſo curſu duxiſſet, ejus Fratre Hieronymo Phi-

Philoſophicas theſes prælegente, in publico certamine, exactorum cum laude ſtudiorum periculum fecit. In Theologica verò facultate Joſephum Ruſcam, & Fratrem iterum audivit quadriennium; & condiſcipulorum ſuorum indictis comitiis (neque enim in Literaria Republica idem quod in Romana jus viget) renunciatus Dictator egit demum victor, propugnatâ Theologiâ, triumphum X. Kal. Sextiles Anno MDCXCVII.

Laureatum excedentem e prælio Seminarienſis Academiæ Principem, Oblatorum Sodalitium, in quod duobus ante menſibus fuerat cooptatus, excepit: Sacris deinde vix initiato, Aronenſi in Seminario adoleſcentium Clericorum Latinis literis imbuendorum demandata provincia eſt; ex qua quidem ad biennium illi delata, revocavit contractus ex inſalubri & gravi ejus regionis cœlo virium languor. Itaque eos alumnos Bartholomæo Rubeo ſucceſſori optimâ literarum & pietatis diſciplinâ formatos cùm tradidiſſet, (1) ſacris obeundis exercitationibus in Mediolanenſi S. Sepulcri Collegio implicitus

(1) Locuples hac in re teſtimonium exhibent Rubei ipſius literæ latinæ, de diſcipulorum progreſſionibus tite ad Franciſcum Saxium Seminarienſibus ſtudiis Præfectum datæ X Calendas Martias MDCC. in hæc verba; „ Nunciabo enim tibi monumenta ſapientiæ & pietatis, „ quæ Frater tuus juvenis ornatiſſimus teneris animis diſcipulorum „ meorum ita infixit, ut tuto auſim dicere, mollem ac imperitam „ ætatem a nemine melius poſſe formari . . . . . . Ex quibus non „ levem certe lætitiam percepi, cùm & magnam partem laboris Prædeceſſoris diligentiâ humeris meis detractam ſenſerim, nec parvam „ gloriæ meſſem alieno ſtudio mihi videam comparatam „.

citus eſt, quo eum ſingularis & animo inſita vocabit religio; quandoquidem literariæ Præfecturæ deerant, quibus par erat excellens ingenium. Primo tamen hujus Seculi Anno XIV. Kal. Majas, vacua, & a Joanne Baptiſta Repoſſio relicta, oblata eſt ſedes Rhetoricorum Interpretis in Mediolanenſi Seminario, quam ille uſque ad Kal. Novembris occupavit: cumque coactus ex imbecillitate corporis ab ipſa veluti meſſe diſcedere, iterumque in S. Sepulcri Collegium translatus totum ſe in religionis caſtra conjeciſſet, etſi Giberti Borromei ſolicitudo ejus favens ingenio jam illum Ambroſiani Collegii Doctorem deſignaſſet (2); poſtridie Idus Novembris Anno inſequente datus eſt Comes Carolo Joſepho Oldono, & Georgio Martinello, Viris magna cum ſanctimoniæ fama in Evangelii prædicatione verſatis, qui ſacram expeditionem in Arciſati Plebem ex Archiepiſcopi Joſephi Cardinalis Archinti mandato ſuſceperant. Apoſtolicus hic labor nobi-

(2) Aperiet initum a Giberto Borromeo tum Patriarcha Antiocheno conſilium, necnon ipſas conſilii cauſas, & Joſephi indolem Franciſci fratris epiſtola, ad eumdem XII. Calendas Octobris anno MDCCII. ſcripta in hæc verba: „ Nicolaus Rubinus Bibliothecæ tuæ optimus „ tutor amice me alloquens dixit, tuæ mentis eſſe vocare fratrem „ meum in ſecundum Ambroſiani Collegii Doctorem. Nihil magis ex „ animi mei ſententia eſſe poterat, quàm obſequium meum tot no- „ minibus tibi obæratum in fratre meo geminare. Nihil & fratris „ genio jucundius, qui imbecilli corporis metu coactus a laborioſis Se- „ minarii ſtudiis miſſionem petere, adhuc tamen literas cordi habet, „ amanſque eruditæ quietis toto animo refugit œconomicas provincias, „ quibus Sodalitium noſtrum occupare ſolet quos eximit Academiis. „ Quapropter totus in hoc officio erit, & pondere quodam animi in „ hæc ſtudia proni, & accepti beneficii lege, & ſapientiæ tuæ imita- „ tione „.

les Triumviros ad bimeſtre ferme ſpatium tenuit: quo tempore eas regiones vicatim nudis pedibus obire, etiam cùm glacie rigeret ſolum, Fidelium confeſſiones excipere, quotidianis concionibus vitia oppugnare, pia fuit illorum exercitatio. Mirum certe fuit in Saxio illud religionis aſperum teſtimonium, ut quam valetudinem ægre a ſtudiis literarum ſartam ſervaſſet, eam tam generoſe in pia ac duriſſima hujuſmodi contentione profunderet; ſervavit tamen in tanto periculo, Deo adjutricem manum porrigente. Per eos ipſos, quibus ſacræ prædicationi vacabat, dies: nimirum XV. Kal. Jan. Anni MDCCIII. adlectus in Ambroſiani Collegii Doctorem *Joſephus* fuit, cùm ex Antonii Albutii diſceſſu Bibliothecæ Præfectus renunciatus eſſet Ambroſius Curionus, in cujus ipſe locum ſucceſſit. Non ita tamen in novi curriculi limine uſus eſt literis, ut animum amoveri ſineret a religione: Scilicet per inſequens etiam biennium, autumnalibus recurrentibus feriis, delectus iterum eſt ſacrarum, quemadmodum antea, expeditionum cum Joſepho Oldono comes. Hinc in agro Mediolanenſi Plebem Decimi obivit menſe Septembri Anno MDCCIII., mox ad eumdem menſem, inſequente anno, Marliani, & Seveſi, Divini Verbi prædicatione ubique egregiè perfunctus. Hoc illi munus ut erat ex Sodalitii legibus impoſitum, tum præſertim Joſephi Cardinalis Archinti

man-

mandato, qui ejuſdem dicendi vi, & genere admodum delectatus, ad Saxiorum Fratrum commendationem, hujus ſcilicet, & Franciſci tum ſupremi Sodalitatis noſtræ Moderatoris, dicere conſueverat, ſe duos Saxios tamquam geminos pretioſos lapillos æſtimare.

Suum igitur in Ambroſiano Collegio veluti campum nactus, ſibi impar nunquam eſt viſus, æque ſcilicet in religionis, ac literarum ſtudio probatiſſimus. Sors tulit ut in ipſo demandatæ tam illuſtris provinciæ limine ad ſumma contendere juberetur, atque in dolio, ut ajunt, figularis artis tyrocinium ponere. Jamdiu Mediolanenſium gloriæ invidentes Tranſalpini, illatam ab Ænobarbo Federico Mediolanenſibus cladem novâ injuriâ ita oneraverant, ut quod reliquum ejus arma nobis fecerant, literario bello per ſummum dedecus eripere conarentur. SS. Protaſii & Gervaſii Corpora in Ambroſiana Baſilica antiquitus religioſiſſime aſſervata, atque ab ipſo S. Ambroſio ibidem condita, Briſacum translata magnifice venditabant; eoque certius ſibi arrogabant id laudis, quo clarius decedere ab eadem noſtri ipſi Scriptores videbantur (3). Itaque ad eorum poſſeſſionem

* 2 Pa-

(3) Ivere in hanc ſententiam primo Bernardinus Corius in ſua Hiſtoria Mediolanenſi, & multo poſt Joſephus Ripamontius, qui Parte II. Libro II. Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis pluribus perſecutus Mediolanenſis Urbis exordium in hæc verba erumpit. „ Corpora „ Trium Magorum, itemque Corpora Gervaſii & Protaſii, Naboris „ & Felicis extra communem injuriam fuere, ſed ut auferret ſibi, „ non ut relinqueret nobis ea ſubſidia Barbarus „.

Patriæ vindicandam ſtrenue in arenam deſcenderat Joannes Petrus Puricellus ex eodem Oblatorum Sodalitio Sacerdos, Vir, in quo æque acumen ingenii commendes, atque in excutienda antiquitate ſolertiam. Sed cum ſparſim, ubi ſe ferebat occaſio, in alia intentus Scriptor id argumenti pertractaſſet; illuſtres qui ſubſecuti ſunt Tranſalpini Scriptores, hoſte in oculos non incurrente, eamdem recoquere crambem non ſunt veriti, & veluti integram Briſacenſium poſſeſſionem nobis obtrudere. Maximum præjudicatæ a Germanis cauſæ momentum afferebant magna nomina Crombachius, & Papebrochius; ille in trium Magorum hiſtoria, eorum opinioni ſubſcribens; hic in Sanctorum Actis, in quibus Joannis Bollandi conſilium ſubſecutus ſin minus inventi operis gloriâ claruit, optime continuati laude certe Auctorem ipſum ſuperavit. Itaque irruentes undique præclariſſimos hoſtes juſſus eſt Saxius depellere: Omni telorum genere, conjecturis, ſolidis argumentis, & depromptis ex tota antiquitate teſtimoniis oppugnavit, & juſto bello adortus medium utrumque tenuit, atque arctiore nodo, quam ut poſſent elabi (4). Quid expectamus? Ex tam præclaro certamine uterque victor exceſſit Saxius,

(4) Egregii Operis Titulus hic eſt: Diſſertatio Apologetica ad vindicandam Mediolano SS. Corporum Protaſii & Gervaſii antiquiſſimam poſſeſſionem &c. Mediolani MDCCVIII. apud Marcum Antonium Pandulphum Malateſtam.

xius, & Papebrochius; diſpari tamen ratione; cùm alter argumentorum pondere, veritatis ſtudio alter triumphaverit. Etenim moderationis ingenuæ Scriptor hic nobiliſſimus exemplum dedit, quod omnes in poſterum admirentur, vix ullus unquam imitetur. Habere ſe Joſepho gratiam teſtatus eſt apertiſſime, quòd ea ſibi explicaſſet, quæ antea ſolertiſſimam licèt illius indaginem latuiſſent. Hinc palinodiam vere divinam eo promptius canens, quo facilius excuſatione uſus ætatis refugere potuiſſet, tabulæ a qua jam retraxerat manum iterum admovit, quintum ſupra octogeſimum annum natus, & perhonorificam de Saxio mentionem ei Supplemento, quod jam Conradus Janningus concinnabat, juſſit adjungi; de ſua certe detractum laude non exiſtimans quidquid acceſſiſſet alienæ. Hanc in ipſis literarii curriculi carceribus conſecutus lemniſcatam veluti palmam, incredibile dictu eſt, quanta exinde cum laude fuerit Saxius in Italorum omnium atque Tranſalpinorum ore verſatus. Placet eorum nomina & teſtimonia omittere, e quorum re erat non tam Saxium extollere, quàm Papebrochii famam nitedulæ more arrodere. Eam dumtaxat proferam, luculentiſſimam certe, teſtificationem eo ſolidæ laudis pleniorem, quo ab omni aſſentationis ſuſpicione magis alienam: Scilicet ab iis profecta laus, qui ſuis rem pendunt ponderibus, nec partium incenduntur

ſtu-

ſtudio, ea demum vera ac ſolida appellanda eſt. Itaque maxime omnium Diſſertationem hanc probavit, in quem fuerat elucubrata, Papebrochius. Apud hunc non ſolùm ille in laude, ſed etiam in gratia fuit; & præter literas ejus verbis a Conrado Janningo ad Saxium datas (5), extat nobiliſſima recantatæ ab ipſo ſententiæ com-

(5) Placet haſce integras exponere, ex quibus non erui dumtaxat poteſt, quanti hanc Diſſertationem Janningus fecerit, verùm etiam quanti Auctorem ipſum æſtimaverit:

„ Admodum Reverendo, atque Illuſtri Viro
„ D. Joſepho Antonio Saxio
„ Conradus Janningus e S. J. S. P. D.

„ Pridem mihi Mediolano ſubmiſit R. P. Jo. Baptiſta Moſca noſter
„ Diſſertationem Apologeticam tuam, Admodum Reverende ac Illu-
„ ſtris Domine, qua Mediolano vindicentur Corpora Sanctorum Ger-
„ vaſii & Protaſii, tuo, ut puto, dono. Verùm Codex ille, neſcio
„ quomodo intercidit. Quod ubi poſt longam expectationem meam
„ ille tandem intellexit, aliud ejuſdem exemplum dono ſuo gratioſe
„ ſuppoſuit, quod nuper huc allatum eſt. Legi obiter librum: placuit
„ claritate, eruditione, ac modeſtia ſua. Mox ipſum obtuli luſtran-
„ dum optimo Seni noſtro Papebrochio; qui inde oblectatus æque, ac
„ ego, fuit; ſimulque profeſſus, ſe indidem diſcere quæ neſcierat; uſui
„ futura, tum ad augendum & magis illuſtrandum Commentarium
„ ſuum de prædictis Sanctis, tum ad mutandam, quæ de ſacris illo-
„ rum Corporibus, eorumque poſſeſſione Mediolani perpetua graviori-
„ bus argumentis in hoc libro tuo productis penitus nunc perſuaſus.
„ Imo capita aliquot correctionis ſuæ jam collegit, octoginta quatuor
„ annorum ſenex; mihique tradidit, Supplemento Junii, quod præ
„ manibus eſt, inſerenda. Vellem tam propinqua eſſet occaſio pluri-
„ bus agendi de ſententia, quam olim veriorem putavit P. Jo. Bollandus
„ in Commentario ſuo ad diem VII. Februarii de ætate Sancti Ro-
„ mualdi Camaldulenſium Inſtitutoris; quam poſt annos demum quin-
„ quaginta nuper ſedulo illuſtravit D. Guido Grandi in Diſſertatione
„ ſua Camaldulenſi ex monumentis vetuſtis! Cujus tamen rei mentio
„ fieri quoque poterit in prædicto Supplemento ad diem XIX. Junii,
„ quo

commemoratio in eo volumine, quod Supplementum in Acta Sanctorum Menſis Junii inſcriptum, atque editum in lucem fuit. Ibi ſpongia uſus Papebrochius plura emendavit ex Saxii ſententia, atque (ut ejuſdem verbis utar) *Saxio facem præferente: neque eum profiteri puduit, unde profeciſſet etiam ea LXXXV. annorum ætate.* Rejecit exinde ad fabulas Crombachii fundamenta, & Mediolanenſibus perſpicue SS. Fratrum poſſeſſionem adjudicavit, Briſacenſibus ereptam, quibus maxime in priore faverat Commentario. De eadem item emendatione differens ibidem Conradus Janningus, mirum, quantam Saxio virtutis, Papebrochio modeſtiæ laudem tribuat. Hæc ille: *Reformationem Commentarii* (de SS. Martyribus Protaſio & Gervaſio) *concepit* (Papebrochius) *ex lectione Diſſertationis Apologeticæ Doctoris Joſephi Antonii Saxii . . . . Concepit autem reformationem ſuam, & propria ma-*

„ quo ejuſdem Sancti Romualdi nomen inter Prætermiſſos repeti-
„ tur „.
„ Redeo ad Apologiam tuam, Admodum Reverende Domine, in qua
„ numero CXXXVII. Sanctus Udalricus veſter, ab aliquibus pro San-
„ cto Antiſtite Auguſtano habitus, dicitur *gratias ſanitatum* conferre;
„ quas Puricellus ait, *publicis tabulis conſignatas* &c. Iſtas tabulas ope-
„ ræ pretium foret nobis deſcribi: Et ſi auctoritas tua id faciendum
„ curare poſſit, utemur illis ad majorem gloriam, ſeu Sancti Udalrici
„ Ep. Auguſtani, ſeu alterius Sancti (quod nobis veroſimilius eſt)
„ apud vos culti; certe ad gloriam Dei, qui in Sanctis ſuis qualibuſ-
„ cumque colitur, majorem. Denique gratulor Auctori ſuo Diſſerta-
„ tionem Apologeticam ad vindicandam Mediolano SS. Corporum
„ Protaſii & Gervaſii antiquiſſimam poſſeſſionem; meque tibi, cete-
„ riſque omnibus, qui meliora quàm quæ nobis ſuppeditata fuerunt,
„ aut in mentem venerunt, bona ratione nixa produxerint, amicum
„ profiteor. Dabam Antuerpiæ VI. Kal. Decembris MDCXL. „

manu, quoad licuit, in tam gravi ſenectа & caligine oculorum diſpoſuit, mandans nobis, ut in Supplemento Junii illam ederemus in lucem, & gratularemur Auctori Apologiæ de opera ſua, & Opere.

Hi primi fuere in Saxio virtutis igniculi, & ſemina, quæ ad nova gignenda, procreandaque plurimum valuere. Felicior etiam paulo poſt eidem ſeſe obtulit planities, in qua liberius comparandæ eruditionis ſtudium excurreret. Ambroſianæ Bibliothecæ legibus cautum eſt, ut nobiliſſimi, quibus ea abundat, MSS.i Codices in Præfecti unius tutela ſemper atque præſidio lateant: cui ea demandata provincia eſt, ut eos Collegii Ambroſiani Doctoribus ſuppeditet identidem, qui ad eorum elucubrationes facere præſertim poſſunt; ceteros vero ab exterorum oculis arceat, quo infinitis congeſta ſumptibus ſupellex literaria in Bibliothecæ, Doctorumque commodum atque utilitatem reſervetur (6). Fortè triennio poſt editam Saxii Diſſertationem pretioſa eidem patuere MSSrum penetralia: nam defunctus Præfectura cum eſſet Ambroſius Curionus, qui eum Magiſtratum per ſeptennium habuerat, atque Anno MDCCXI. Sacrorum Præ-

(6) Hoc alte multorum animis infixum velim, ut ſtolidæ blateronum quorumdam dicacitati occurram, qui vel deberi ſibi putant, ſi quid videre ex MSS. Bibliothecæ noſtræ ſibi per ſummam Præfecti humanitatem aliquando liceat; vel ea videri interdum non poſſe conqueruntur: quorum illud ſummæ inſcitiæ eſt, alterum inſignis videtur audaciæ.

Digitized by Google

Præſes in Oppido Seveſo renunciatus fuit, communi acclamatione (7) in ejus locum ſuffectus Joſeph concreditam ſibi vidit nobiliſſimi Literarii patrimonii poteſtatem. Quare ad hanc potiſſimum exornandam Spartam advertit ocyus animum. Latebant in perviis exterioris Bibliothecæ forulis nonnulla adhuc MSSta, veterum curarum male deſertæ reliquiæ. Mens erat Borromei Præſulis Patroni, eorumque, qui ex Clero Ambroſiano delecti Bibliothecæ Adminiſtrationi præſunt, omnia in unum locum conferre, remotum illum quidem ab exterorum manibus atque ſepoſitum ab audaculorum quorumdam oculis, qui noſtrarum legum imperiti, quidquid in ea reconditur, publici eſſe autumant juris, licèt in unius Collegii uſus ſtudioſe a Conditore comparatum. Huic conſilio adminiſtrando aptiſſima ſeſe offerebat Saxii diligentia. Aſſumpto igitur in curæ partem Clariſs. Collega Bartholomæo Rubeo acris ingenii, nec minoris ſolertiæ

(7) Audiens eum communibus electum ſuffragiis Gibertus Borromeus Patriarcha Antiochenus in hanc ſententiam Saxio gratulatus per literas eſt, III. Calendas Auguſti MDCCXI. „ Immortaliter gaudeo
„ electum te audiens in Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectum, prout
„ æquum erat, atque ego jamdiu optabam. Omnium iſtorum Præſi-
„ dum plauſus quibus tibi acclamatum eſt, & meritis debebantur tuis,
„ & eximiis etiam virtutibus, quibus ornaris. Tute probe ſcis, non
„ hoc me dumtaxat tempore ſuffragio meo ad hanc electionem con-
„ ſpiraſſe, utpote quæ utilis ſummopere ſit Bibliothecæ ipſi futura.
„ Hoc ipſum jamdiu mente præverteram, quemadmodum jus omne
„ exigebat, & tui præſertim amantiſſima admiratio mea, quæ angeli-
„ cas tuas dotes ſuſpicit. Itaque hoc potius mearum partium eſt, ut
„ tibi gratias agam pro eo ſuſcepto munere, in quo dum verſaberis,
„ ego eaſdem admirari potero „.

Viro , luctari cum tineis & blattis cœpit : Pulverulentos Codices ſcrutari ex appoſitis titulis , atque in Indicem ordine redigere , complures etiam penitus introſpicere , eorumque ſenſum exprimere , partiri Opuſcula , expendere , apte congruenterque illorum ætatem dignoſcere , ſolutas item , & in faſciculos compoſitas chartas in nova conflare volumina , utriuſque ſtudia fuere . Inter tot prompta ſibi & paratiſſima eruditionis præſidia grandeſcebat ipſe quodammodo Saxii animus , & nova quotidie veluti oboriente luce, in ipſa antiquitatis adyta ſecuro tramite irrumpebat . Accedebant etiam crebræ per literas Clariſs. Muratorii ad iſtiuſmodi opus urgendum perficiendumque cohortationes ; neque enim melior hujus ſtudii æſtimator eſſe poterat , quàm qui ex eodem penu tot ſibi glorioſa , Reipublicæ vero utilia ingenii monumenta deprompſit (8) . Verùm utinam ſpem illius , & noſtram

(8) Sæpius a Cl. Muratorio admotos Joſepho ſtimulos hac de cauſa lego . Primum enim anno MDCCXII. poſtridie Idus Jan. ſic eum hortatus eſt : ,, Optimo conſilio Patriarchæ Antiocheni effectum eſt, ut de- ,, nuo in Indicem referrentur MSS. Græca ; atque utiliſſimum erit ,, idem præſtare de Latinis, Italicis, & Arabicis, quæ ſuperſunt non- ,, dum in ordinem redacta, Hac occaſione multum gaudeo te una ,, cum Collega Rubeo penitus callere poſſe antiquos Codices, quorum ,, tractatio mirum in modum ad eruditionem confert, atque conducit ,, ad nova ſemper alia proferenda ,, . Item poſtridie Nonas Majas idem inculcavit eodem anno. ,, Rurſum gratulor tibi ſuſceptum labo- ,, rem in MSS. Ambroſianæ recognoſcendis ; qui labor ſane jucundiſſi- ,, mus Viro erudito eſt, qualem te eſſe ſcio, quique maximo tibi uſui ,, erit, ut ad exitum meditata perducas, imo nova etiam Opera me- ,, diteris. Ego etiam tractavi ſemel, imo pluries omnia iſthæc MSS., & ,, in mea adverſaria etiam retuli quidquid ad literarias meas cogita- ,, tiones

ſtram fallax non intercepiſſet rerum exitus! Pertinax in hac provincia obeunda labor, & plane quotidianus fregit mentis robur; & lento tentata morbo valetudo non vires dumtaxat ad rem conficiendam opportunas ademit, verùm etiam animum a retexenda abſterruit. Sub vitæ exitum mihi ingenue aperuit, ad labores hujuſmodi firmam viribus, & juvenilem ætatem unice aptam fore, imo eâ firmiorem, qua ipſe uſus eſſet. Suum tamen illi non defuit pro feliciter inita opera congiarium, ſive conſolationis loco propter inflictum valetudini vulnus, ſive incitamenti ad ſpem excitandam eorum, qui imperfecto manum eſſent admoturi. Inde etiam major congiario fructus acceſſit: utpote maximam conceptus labor eruditionis ſegetem inde collectam in iis, quos concinnavit, libris utiliter admodum & glorioſe profudit.

Recreatus utcumque, remittere tamen mentem ab omni exercitatione non deſtitit. Suopte ingenio pronus in religionis ſtudia, accommodatam pietati ſuæ, & corporis imbecillitati ſcriptionem aggreditur. B. Joannis Nepomuceni nomen in magno erat honore tum apud Inſubres; novum illud quidem noſtris auribus, ſed hi-

„ tiones pertinebat : : . : : : . : Proſequere ſtrenue cœptum iter, fa-
„ cturus operæ pretium tum Bibliothecæ ipſi, atque iis, qui eâdem
„ uſuri ſunt; deinde transfer cogitationem ad hoc, ut fructus a te
„ perceptus in publicam utilitatem redundet „ .

ſce regionibus ex Bohemia propter quoddam veluti Auſtriaci Dominatus commune nobis cum ea vinculum, & quaſi cognationem illapſum. Hoc amplificare Saxius ſtuduit, atque ex P. Bohuslai Balbini fide & commentariis (9) ejuſdem Vitam, reſque mire geſtas edidit in lucem, Italico ſtylo reddens Latinam ejus hiſtoriam, quæ ſuppreſſo Auctoris nomine dum tereretur multorum manibus, ex opere ipſo æſtimari facile Scriptorem poſſe, credidere univerſi. Paulo poſt alii ex aliis illum obruêre labores non ſua quidem voluntate ſuſcepti, ſed potentiorum rogatu, quod vere dixeris imperium. Renunciatus Mediolani Archipræſul a Summo Pontifice Clemente hujus nominis XI. Benedictus Herba Odeſcalchus, & Sacra Purpura ornatus in Mediolanenſium JCC. Palatinorum Equitum Collegium fuerat cooptatus. Abſens tum, & in Polonia degens torquebat expectationem noſtram; verùm plauſus atque acclamationes ab amantiſſimis Civibus jure ac merito extorquebat. Ea itaque occaſione Joſephi Frater Franciſcus Alumno ſuo (10) ad tantæ Dignitatis faſtigium evecto *Triumphum Nobilitatis*,

(9) Sancti hujus Vitam atque virtutes Anno MDCLXX. colligere conatus fuit hic Auctor ex veteribus MStis ac Libris editis, ut docet ad diem XVI. Maji Daniel Papebrochius: Saxius autem ſic inſcripſit: *Vita del B. Gio. Nepomuceno Canonico della Chieſa Metropolitana di Praga, cavata dagli Atti de' Santi alli 16. Maggio. Milano 1715.*

(10) Theologicæ facultatis tyrocinium poſuerat Benedictus Herba Odeſcalchus in Mediolanenſi Seminario, Franciſco Saxio prælegente.

tatis, *&* *virtutis* (11) inſtruxerat ſplendidiſſimum; Joſeph vero dum inſequente anno optimus Cardinalis in Urbem advenîſſet, & præſens Collegium ipſum ſuo bearet aſpectu, annuam gloriæ celebritatem (12) renovavit: quare Apparatum ipſum *Anniverſarium gloriæ* inſcripſit; cùmque recurreret anno circumacto antecedentis cooptationis commemoratio, ex ipſa menſis Septembris, in quem celebritas inciderat, opportunitate inſtruendæ pompæ duxit argumentum. Ex Romanorum moribus didicerat, eo tempore Ludos inſtitui ſolitos, quos *Magnos* appellabant, in quibus ſive armis, ſive toga illuſtriores Viri antegreſſi agmen ducebant juventutis; & victoribus demum imponebantur coronæ. Quod ex univerſa Romana Urbe agebatur ſpectaculum, id totum ex unica Familia Saxius feliciter concinnavit. Ex hac delectos plures atque inſignes doctrina ac religione Viros, inter quos maxime eminebat Innocentius XI. Summus Pontifex, in oculis omnium defixerat Joſephus: deinde ejuſdem Cardinalis quinque amantiſſimos Fratres integerrimoſque exprimi juſſerat juventutis ſubſequentis loco:

(11) Hoc titulo gaudet ipſius Franciſci opuſculum hac occaſione elucubratum, & Mediolani editum MDCCXIV. apud Federicum Galiardum.

(12) *L' Anniverſario della gloria celebrato dagl' Illuſtriſſimi Signori Abbati, e Collegio de Signori Conti, e Cavalieri Giureconſulti per il ſolenne ricevimento dell' Emo Sig. Cardinale Benedetto Erba Odeſcalco Arciveſcovo di Milano loro Collega. In Milano MDCCXV. per Carlo Federico Gagliardi.* in 4.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

loco : poſtremo datas præcipuis Benedicti virtutibus, quarum potiſſimum causâ triumphans Collegium ingrediebatur, ſuas coronas affinxerat ex Græcorum, Romanorumque inſtituto: Graminea ſcilicet Pietati tamquam Obſidionalis; Caritati Civica ſeu Quercea; Myrtea veluti Ovalis Sapientiæ, Liberalitati Spicea, Laurea Doctrinæ; ſertum verò ex Olea contextum Clementiæ, Prudentiæ ex Floribus, ex Palma Fortitudini, ex Amarantho Gloriæ, ex Auro Religioni decernebatur. Univerſum Apparatum, & dignam triumphante Archipræſule pompam accurate deſcripſit, atque anno inſequente in lucem edidit qui tum erat a Secretis Civitatis Joannes Auguſtinus Meda (13); placuitque hac ratione perenne Saxii ingenii extare monumentum. Biennio poſt cùm par delata Purpuræ Dignitas Bernardino Scotto in idem Collegium cooptandum novum Cardinalem ſuaderet, Civium deſiderium ad par ſpectaculum demandata Saxio extruendi novi Apparatus provincia excitavit. Neque certe expectationi omnium hic defuit; eamque exhibuit celebritatis ſpeciem, in qua ſua æque, ac Scotti ſapientia triumpha-

(13) Latine hoc Joannis Auguſtini Medæ Opuſculum fuit conſcriptum *Amoris triumphus in Mediolanenſi Metropoli Eminentiſſ. Archiepiſcopum D. D. Benedictum Herbam Odeſcalcum XIV. Cal. Sept MDCCXIV. Pontificale ſolium capeſſentem ſolemniter excipiente. Narrabat dicans Opuſculum Illuſtriſſimis DD Urbis Præfecto, & LX. Decurionibus inclytæ ejuſdem Civitatis, atque univerſæ Provinciæ a Secretis J. C. Jo. Auguſtinus Meda. Mediolani, in Curia Regia typis Marci Antonii Pandulphi Malateſtæ MDCCXV.* in 4.

pharet. Gratulabantur Nobiliſſimi Equites excepturi *honores ſapientiæ* (14), quibus cum maximè floreret Scottus, ſegetem atque materiam laudis Saxio ſuppeditavit. Vernum tum forte appetebat tempus; quare Purpurato Principi inſtituit Ludos, imitatus quinquatria, quæ prima anni tempeſtate in Minervæ honorem olim celebrabantur. Si Clariſs. Apoſtolum Zenum audiamus, Inſcriptiones ac lemmata tempori accomodata, ac loco *ingenioſe* ducta ſunt, *ac feliciter*. Deſcripſit deinde ſingula Saxius juſto volumine comprehenſa, eamque Deſcriptionem editam habemus, iiſque refertam luminibus, quæ non minus Romanam, ac Græcam, ſed Eccleſiaſticam etiam ſapiant eruditionem. Hæc in lucem producere meditantem nova ex tempore affecit ſolicitudo, quæ aliquam afferret properanti moram. Joannis Baptiſtæ Tonettæ opera atque conſilio recens advectæ ex Aronenſi Aſceterio ex S. Franciſci Saleſii Inſtituto ſacræ Deo Virgines novam veluti coloniam deduxerant in hanc Urbem; iiſque adjectæ ex primariæ Nobilitatis flore puellæ cœtum conflaverant Virguncularum, non ſola caſtimoniæ laude, verum etiam virtutum omnium ſplendore

op-

(14) *Gli onori della Sapienza ſpiegati in pubblica pompa dagl' Illuſtriſſimi Signori Abati e Dottori dell' Illuſtriſſimo Collegio de Signori Giudici, Conti, e Cavalieri di Milano per congratulazione della Sacra Porpora conferita dalla Santità di Clemente XI. al di loro Collega l'Emo, e Rmo Sig. Cardinale Bernardino Scotto. In Milano MDCCXVII. per Pietro Franceſco Nova. in 4.*

optimum futurum Patriæ ornamentum. Sanctæ Sophiæ Templum, ad quod fuerant collectæ, vetuſtate pene faticſcens hortabatur, ut earum religioni commodius conſuleretur; quare Benedictus Cardinalis Odeſcalchus, qui concluſum hunc Hortum ſtudioſe, ut omnia, colere pro virili ſtudebat, conſpirante in idem conſilium nonnullorum Nobilium opera, novi & ſplendidioris Templi fundamenta jacere cœperat, quod intra paucos annos ad eam, quam hodie ſuſpicimus, pompam etiam feliciter perduxit. Splendida celebritate peracta res eſt; atque in partem illius venit commune gaudium, quo natus per ea tempora Leopoldus Archidux Auſtriæ fuerat exceptus. Nam ſacræ illæ Virgines Templi ſui primordia Deo dicare ſtatuerant tamquam grati animi teſtimonium propter datum Auguſtæ familiæ Infantem, hæredem, ut ſperabant, futurum avitæ religionis non minus quàm dignitatis. Editus typis libellus eſt (15), quo univerſa celebritatis illius ornamenta ſingillatim complexa ſunt: Quidquid in eo ad hiſtoriam, & rem geſtam ſpectat, Bartholomæus Rubeus, tum Saxii Collega, de more egregie comprehendit: Orationem eo tempore habitam ſcite elucubra-

vit

(15) *La Gratitudine verſo Dio per la naſcita del Sereniſſimo Infante Leopoldo Arciduca d'Auſtria, e Principe dell' Aſturie, eternata in un Tempio da innalzarſi in Milano dalle Monache di Santa Maria in Santa Sofia, preſentata alla S. C. C. R. M della Imperatrice Eliſabetta Criſtina dalla Superiora, e Religioſe Fondatrici dello ſteſſo Monaſtero. In Milano, per Domenico Bellagatta MDCCXVI.* in 4.

vit idem Tonetta : Omnia, Virginum nomine, Eliſabethæ Chriſtinæ Auguſtæ inſcripſit eleganti epiſtola Saxius, ex Oblatorum ſodalitio univerſi; quorum poſtremus etiam ſacro Apparatui palæſtram quamdam, & veluti extrema Inſcriptionum lineamenta attulit. Verumtamen animi vim, & infirmitatem corporis tum oſtendebat Joſephus, atque hanc una virtute ſuperabat; hinc autumno ejuſdem anni ineunte, ægra valetudine cum eſſet, juſſus eſt doctis curis abſtinere; quod Literariæ Reipublicæ potius, quam Saxii periculum datis literis conqueſtus eſt Romæ degens Gibertus Borromeus Patriarcha Antiochenus, tum a Cubiculo Clementis XI. Pont. Max. Quamquam nec diu ſegne otium paſſus eſt Joſephus; nec confirmandæ illius valetudinis deſiderium diutiùs tulit Gibertus: qui anno inſequente ad diem XV. Martii renunciatus S. R. E. Cardinalis, primus depulſi morbi fructum eſt conſecutus, quemadmodum invaleſcentis moleſte dolorem fuerat paſſus. Solemnis eidem ſtatuebatur triumphus, cum poſt recentem inaugurationem, in J. CC. Palatinorum Equitum Mediolanenſe Collegium eſſet de more referendus. Ad notam Saxii eruditionem confugêre qui inſtruendæ pompæ conſilium ceperant. Pridie Kal. Septembris communi Patriæ, bonorumque omnium plauſu cooptatus eſt novus Cardinalis; iſque maxime inter Majorum ſuorum, qui Patriam hanc illuſtrarunt, imagines erat conſpicuus. Singulas

Apparatus partes deſcribere nec meum eſt, nec inſtituti: facturus dumtaxat operæ pretium ſim, ſi quid Saxius illius auctor mente conceperit, evolvam. Utar itaque verbis, quibus ille ferme uſus eſt, dum conſilium ſuum edita in lucem deſcriptione aperiret: Reſpiciens amplam ſplendide factorum, Virorumque inſignium ſeriem, qui antiquiſſimam clariſſimamque Borromeorum familiam diu illuſtrarunt, duo ſibi firmiter cavenda ſtatuit: Primum ne quid externæ eruditionis tanto argumento insereret, cum Nobiliſſimæ Gentis decora omnibus etiam Rhetorum luminibus deſtituta ipſa lucerent per ſe ſe, quin aliunde ſibi dignitatem conciliarent: alterum vero, ne ab hac inſigni Urbe recederet in ſeligendis rebus, unde magnificum Borromeorum nobilitati elogium texeretur. Suadebant autem tum menſtrui temporis ad hoc dati anguſtiæ, tum etiam loci ipſius, quo univerſa pompa erat definienda. Hæ illum cauſæ non ſinebant peregre aut longius accerſere turmatim egregia Nobiliſſimæ Stirpis facta, præſertim cum Scriptorum copia hanc illi præripuiſſet gloriam, ut ſingula ornamenta perſequeretur Gentis, quam aliqui ex Regio genere ortam memorarunt. Hæc illius ſententia; ſed coronidis loco ſcite Zenus in ſua Ephemeride hunc Apparatum deſcribens appoſuit: *Hoc unum dicemus, optime Clariſs. Saxium peregiſſe quod ſuarum erat partium; cum hac*

hac in re, ut in ceteris omnibus, ſummæ prudentiæ laudem cum ſumma doctrina conjunxerit, ejuſque ingenium feliciter maximarum, exoticarumque eruditionum ornamenta prodiderit (16).

Patriæ amplificandis honoribus intentum nova, & ab ejus inſtituto maxime aliena avocavit ſolicitudo. Etenim Nicolao Rubino vivis erepto, deſtitutum Quæſtore ærarium cum eſſet Bibliothecæ, ejus adminiſtrandi provincia demandata eſt Saxio; quam cum poſt trimeſtre ſpatium, novo ſuffecto Quæſtore, dimiſiſſet, in literaria iterum ſe conjecit caſtra lubentiſſime. Neque optima defuit votis opportunitas. Pacatis tamdem poſt diuturnum bellum ac tranquillis Europæ rebus, & reſtituto Cæſaris patrocinio, Autuerpienſes Bollandiani Patres publica luce donaverant, quod dudum ſpoponderant Supplementum in Menſem Junium. Perhonorifica ibidem injecta fuerat de Joſepho mentio, ut diximus. Quare hic non intemperanti victoriæ gaudio, ſed veritatis vehementiori ſtudio ductus, cum alia ſibi ſuppeterent poſterioribus comparata curis, ac præſertim ex ſedula MSSrum inveſtigatione ad Patriæ decus fulciendum argumenta, veteri

(16) Pompæ hujus deſcriptio edita typis eſt hoc titulo inſignis: *La Nobiltà Borromea eſpoſta in ſontuoſo apparato dagl' Illuſtriſſimi Signori Abati e Dottori dell' Inſigne Collegio de' Signori Giudici, Conti, e Cavalieri della Città di Milano nella ſolenne Aggregazione dell' Emo, e Rmo Sig. Cardinale Giberto Borromeo Patriarcha d' Antiochia, e Veſcovo di Novara. In Milano MDCCXVIII. per Pietro Franceſco Nava*. in 4.

Diſſertationi adjunxit Appendicem (17). In ea novis monumentis ſatis propugnatam exaggeravit poſſeſſionem. Verbis ipſis Papebrochii calculum retrahentis ſuum diligenter expenſis atque illuſtratis, nonnulla ex autographis ipſis S. Caroli ſcriptis in medium protulit, quæ ignota ſibi antea, nunc optime in rem ipſam cadebant. Ultimò Opus ipſum gemino additamento ornavit: liberius aliquanto, quam cauſa exigeret, ſed non inutiliter; cum hanc veluti operis coronidem quadam affinitate ac veluti vinculis hærere cum victis jamdiu Adverſariorum rationibus intelligeret (18). Perfectam Appendicem vete-

ri

(17) *Appendix ad Diſſertationem Apologeticam pro vindicanda Mediolano SS. Corporum Gervaſii & Protaſii antiquiſſima poſſeſſione Auctore Joſepho Antonio Saxio SS. Ambroſii & Caroli Oblato, S. T D Collegii & Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecto Mediolani in Curia Regia Anno MDCCXIX. excudebat Marcus Antonius Pandulphus Malateſta Regius, Ducaliſque Typographus*. in 4.

(18) Appendicis hujus partem ad Conradum Janningum cum MS. mantiſſa adjicienda Sancti Ulderici Actis Joſephus miſit, antequam typis ederet; atque utramque illi munus gratum fuiſſe intelligo ex Jannigi ipſius literis Antuerpiæ datis V. Kal. Quintil. MDCCXII. „ Redditæ mihi pridem fuerunt humaniſſimæ tuæ juxta & gratiſſimæ nobis, quibus per illas ſuppeditatur tum acceſſio argumentorum ad confirmandam ſententiam in libro tuo copioſe probatam, eruenda ex duabus epiſtolis Petri Galeſinii ad Sanctum Carolum olim ſcriptis ſuper celebratione Feſti SS. MM. Gervaſii & Protaſii tota Civitate a populo peragendi; & ſuper poſſeſſione Corporum illorum etiam e ſententia Cardinalis Sirleti. Tum ſuppeditatur quoque acceſſio noſtris Sanctorum Actis per Summarium gratiarum quas Sancti Ulderici Ep. interceſſione ad ipſius Corpus & Imaginem fideles a Deo illic plures conſecuti ſunt. Quod Summarium, aliaque eo ſpectantia pro Additamento erunt poſt Acta Sancti Udalrici Ep. Auguſtani die IV. Julii, non abſque grata recordatione tui: Cui interea cum debita gratiarum actione pro impenſa nobis opera ſalutem diuturnam, proſperamque felicium ſtudiorum continuationem, etiam ab optimo Sene noſtro Papebrochio enixe precor: atque uti nos te amare velim perſuaſum habeas; ita nos viciſſim amare perge &c.

ri Diſſertationi ſubjecit, atque utramque Generali Urbis noſtræ Concilio inſcripſit, retulitque obſequii ſui fructum cum mercede conjunctum, ampliſſimum virtutis a Sapientiſſimo Ordine teſtimonium (19).

Hoc ornatus inſigni judicio aliam ille Patriæ gratiam retulit, dum comparata novorum voluminum ſupellectile Ambroſianam lautius inſtrueret Bibliothecam. Hunc ille ex perbrevi adminiſtratione ærarii fructum perceperat, ut diſceret, haud contemnendam æris ſummam poſſe fidentius in libros expendi. Sic objicientibus nonnullis Tranſalpinis noſtræ Bibliothecæ exoticarum editionum inopiam oppoſuit Saxius ſplendidam Præſidum liberalitatem. Eâdem uſus occaſione & plenam hauſit veterum voluminum notitiam, dum librariam rem ſtuderet augere, Indiceſque conſuleret; neque exinde um-

quam

(19) In Acta publica relatum publicum de Saxio Decretum hiſce plane verbis conceptum eſt:

„ Johannes Gaſpar Caimus
„ Vicarius Proviſionum
„ & LX. Decuriones
„ Concilium Generale Civitatis Mediolani:

„ Mediolanenſi Metropoli vindicatam Sanctorum Gervaſii & Protaſii Corporum poſſeſſionem Eruditiſſimo Ambroſianæ Bibliothecæ Præfecto Joſeph Antonio Saxio acceptam retulit Sexaginta Decurionum Generale Mediolani Concilium: Ipſum itaque tanti decoris Vindicem atque Aſſertorem, Civem optime meritum Publica dignum cenſuit memoria, & commendatione.

„ IV. Non. Maji MDCCXIX.

„ Locus Sigilli.

„ Subſcript. Jo. Auguſtinus Meda

quam cogitationem hanc abjecit, donec ſub vitæ exitum doluit, minores eſſe deſideriis ſuis loci anguſtias, etſi in interioribus Ambroſianis ædibus novam veluti ex recentioribus libris Bibliothecam conſtruxiſſet. Ex hac præſertim inveſtigandi ſolertia ortum illud conſilium reor, ut Typographicam Mediolani Hiſtoriam contexeret; lego enim per hæc tempora datas ad eum ab amicis Viris frequentes Epiſtolas, præſertim Cajetani Vulpii, & Gaſparis Beretti, quibus ille de rariorum ac præſertim Mediolani excuſorum voluminum titulis & præſtantia docebatur. Corroborabant item hanc Viri induſtriam crebræ trans Alpes admotæ pro comparandis vetuſtis editionibus preces, ex Auſtria præſertim, & Helvetia: illæ nimirum per Vindobonenſis Bibliothecæ Præfectos; hæ per Dominicum Cardinalem Paſſioneum, tum ſedemem vel Lucernæ, vel in Murenſi Cœnobio Pontificium Internuncium. Hic cum totus in eo jam ab adoleſcentia eſſet, ut Bibliothecam inſtrueret, quæ omnibus miraculo eſſet, ut reapſe eſt conſecutus, multam ſe debere in hujuſmodi conquirendis Saxii diligentiæ, & habere etiam gratiam declaravit ingenue. Imo cum ex Joſepho audiſſet congeſta jam a ſe multa, quæ Alexandri Minutiani excellentis cumprimis Typographi Vitam, atque typographicos labores illuſtrarent: ut erat, atque eſt Literariæ Reipublicæ ornandæ ſtudioſiſſimus, initare

non

non deſtitit , ut hoc in eam conferret propere beneficium . Neque mirum erit propterea , ſi aliorum hac in parte conatus pro virili foveret Saxius, ut egregie præſtitit , cum Cominiano prælo Joannes Antonius Vulpius S. Caroli Sermones Anno MDCCXX. committeret ; & Mediolanenſis Provinciæ adminiſtrationi Præfectum Comitem Hieronymum de Colloredo excitaret, ut ex edendis in hac Urbe libris unum exemplar Bibliothecæ gratis offerrent Librarii : qui tamen , ut eſt hominum genus avidiſſimum lucri , optimi Principis beneficentiam vel eluſerunt , vel , ut veriori verbo utar , nihili fecerunt . Sed utcumque Joſephi beneficium intercipere eorum avaritia potuit ; impetrati laudem certe non ademit . Quinimo de ſuſcepta tam viriliter Bibliothecæ cura gratulatus per literas eſt ejuſdem Patronus Gibertus Cardinalis Borromeus ; & maxime obſtrictos ſe propter optimam Principis, ſin minus benefactum , ſaltem benefaciendi voluntatem , profeſſi ſunt optimi omnes.

Sed cum tot in Patriæ commodum , & Bibliothecæ ornamentum Saxius ageret ; numquam tamen infirmam redimere potuit valetudinem . Faſſus eſt ipſemet ingenue in ſecundo Appendicis additamento pag. 22. ſe incommoda valetudine eſſe infra tot ſtudii patientiſſimos Viros ; & biennio poſt Brixianorum Epiſcopus , & S. R. E. Cardinalis Barbadicus , ut ex ejuſdem literis conſtat ,

mo-

Digitized by Google

moleſte tulit imbecillitatem, quam tamen ille fortiſſime omnium & conſtantiſſime non toleravit ſolum, ſed plane vicit; numquam enim eniti auſus eſt altius, quàm cum corporis vires labefactari ſentiret. Scilicet per hæc tempora initum conſilium eſt Italiæ univerſæ glorioſum, Saxio perhonorificum, ut quotquot in Archivis, aut penes privatas, aut publicas Bibliothecas deliteſcerent MSta monumenta ad hujus Provinciæ res pertinentia, delectu habito, ederentur in lucem. Conſilii auctor atque anteſignanus immortalis famæ Vir Ludovicus Antonius Muratorius optimo in hanc rem adminiſtro præſertim uſus eſt Saxio; atque in illud exequendum Mediolanenſis Nobilitatis opes, atque Philippi Argelati opera ac induſtria conjunctis mirum in modum ſtudiis conſpiravere. Paucis ediſſeram, unde tanta rei moles initium duxerit. Eruditus quidam Civis diu in eruendis vetuſtis Patriæ noſtræ monumentis verſatus collegerat plura, quibus nova affundi lux noſtræ Hiſtoriæ poſſet. In eam venerat mentem, ut Batavicis ea typis committeret; remque, interprete Saxio, cum Hollandis tranſigebat Muratorius. Verum, cum, ut fit, alia ex aliis orirentur Typographorum diſſidia, quæ moram afferrent, cogitavit Ateſtinæ Bibliothecæ Præfectus, rem non dumtaxat noſtris in regionibus confici poſſe, verùm etiam conſilium ipſum perfici. Itaque quod in unius Urbis gloriam agi-

agitabatur, id ille ad univerſæ Italiæ convertit. Suppetebant plures in Italia amicitiæ, quarum auxilio facile publica Archiva patuiſſent: Ultro pollicebantur operam ſuam literati omni ex parte Viri: Præſto erant MSS. Eſtenſis Bibliothecæ; neque diffidebat, defutura Ambroſianæ, quæ tum latebat maxime in tutela Eminentiſſimi Giberti Borromei Cardinalis ampliſſimi, qui, ut Nobiliſſimæ ſuæ Gentis mos ſemper fuit, Literariam ſuſtentare Rempublicam ope & auſpiciis numquam deſtitit. Immanes unice abſterrebant ſumptus, quibus tanti Operis univerſa conſtaret moles. Verùm hunc etiam abſterſit timorem parata atque expoſita Mediolanenſium Equitum liberalitas: Ex his complures Societatem coivere, quam Palatinam ex Regio Palatio, ubi excitata Typographia eſt, appellarunt, atque ære collato in neceſſarios ſumptus, abunde typographica ſupellectile officinam inſtruxere, cujus adminiſtratio Philippi Argelati ſolertiæ ac curæ fuit concredita. Neque defuere Auguſti ipſius Caroli VI. auſpicia, & Comitis Hieronymi de Colloredo tum Inſubriæ Præfecti præſidia, quorum protecta patrocinio ſemper res eſt. Una videbatur deſiderari egregii Viri manus, quæ præſenti ſemper auxilio aut ſuppeditare materiam, aut Typographorum emendare vitia, modo opus urgere, modo expolire, demum ſeriem rerum, ſi opportunitas poſtulaſſet, ſine alicujus querela

digerere poſſet. Perutilis viſa eſt Saxii, qui, adſcito in operæ partem doctiſſimo Fratre Franciſco, Muratorii non fefellit expectationem; quinimo Operi ipſi non parum laudis atque incrementi adjunxit (20). Certe teſtatum mihi ex literis eſt, in eam ſpem primo vix erectum fuiſſe Muratorium, ut ex coacervatis monumentis quatuor circiter aut ſex volumina poſſent conflari: qua in re falſus certe vates fuit; cum tanta affluxerit rerum ſeges, ut modum potius adhibere poſtmodum in iis evulgandis cogeretur. Neque diffitebor, plurimùm in id voluminum incrementum profuiſſe Saxii diligentiam, qui & Ambroſianæ opes diligentiſſime ſcrutatus, nonnulla in medium contulit aptiſſima, Amicos nonnullos ſollicitavit, qui auxiliariam præberent manum, & nonnulla a quibuſdam amice extorſit, quæ venire in manus poſſe Muratorii cura jam deſperaverat. Non is ego ſum, qui Muratorio præclariſſimum hujuſmodi in Literariam Rempublicam meritum invideam, aut decerpi quidquam ex ejus laude velim, ut Saxio famam conciliem: hoc ta-

(20) Placet exponere Cl. Muratorii judicium, Operis ipſius Præfationi adjectum, ex quo tamen breviorem hanc ſententiam juvat excerpere. „ Bonæ tamen fortunæ meæ tribuendum, quòd in ea Urbe (Mediolano) vices meas ſuſtinuerint duo ex ſua eruditione editiſque Libris „ Clariſſimi Viri, nempe ſupra laudatus Vir Joſephus Antonius Saxius, Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus, ejuſque germanus Frater „ Franciſcus Hieronymus Saxius Metropolitani Capituli Canonicus „ Ordinarius, ut ejuſmodi Opus prodiret, quantum fieri poterat caſtigatum atque ornatum „.

tamen non præteribo tacitus, quòd, cum nonnulla aliquando inciderent vel dubia illuſtranda, vel implexatricis expedienda, non raro provocatum fuiſſe ad Joſephi ſententiam, qui præſtantiſſimorum Equitum, præſertim Caroli Comitis Archinti, & Theodori Alexandri Marchionis Trivultii auctoritate fretus, atque mira ſagacitate adjutus, ut ſibi virtutis eximiæ famam peperit, parèm etiam Muratorio modeſtiæ laudem reliquit. Sed hæc illius in diſponenda veluti voluminum ſerie ſit obſcura apud nonnullos laus; ea ſane perſpicua, quam ex illuſtratis aliorum ſcriptis, eique Operi adjunctis, ejuſdem veluti Muſæ æmulus evadens comparavit. Jordanis ille ſeu Jornandis Hiſtoriam (21) de Getarum, ſive Gothorum origine accuratiſſime ad fidem MSti Codicis Bibliothecæ Ambroſianæ collegit, emendavitque. Auxit, & Animadverſionibus ſuis ornavit Acta Concilii Ticinenſis (22) Anno DCCCLXXVI. habiti: Landulphi junioris (23) Mediolanenſem; Laudenſem Ottonis & Acerbi Morenarum Hiſtoriam (24), ab Oſio prius illuſtratam: Romualdi Salernitani (25), Goddi Vicentini, Patavinique (26)

* 5 item

(21) Tomo I. Rerum Italicarum.
(22) Ibidem Tomo II. Parte II.
(23) Ibidem Tomo V.
(24) Ibidem Tomo VI.
(25) Ibidem Tomo VII.
(26) Ibidem Tomo VIII.

Digitized by Google

item Monachi Chronica: Dulcini Hæreſiarchæ Novarienſis (27); & Azzonis, Luchini, atque Joannis Vicecomitum res a Galvano deſcriptas (28) perſecutus eſt egregie, ſuoque vero in lumine collocavit; ut omittam prolatam de Cribello ſententiam (29) in ea Epiſtola, quam Muratorius tanti fecit, ut Commentariis in eum ſuis præfigeret; Lypſienſes vero appellavere *doctam profecto, & de Vita, Scriptiſque Cribelli multa commemorantem ſingularia*. Tot demum in ea augenda atque promovenda Scriptorum collectione cumulatiſſime præſtitit, ut Palatini Socii honeſtandam ejus operam annuo ſtipendio honorifice decreverint.

Hæc partim ediderat Saxius in lucem, partim edenda digeſſerat, honori maxime velificatus ſuo; cum Romam plurima, qua Borromeorum familiæ adſtrictus erat, obſervantia illum repente evocavit, Urbem profecto Saxii oculis, atque eruditione digniſſimam. Verùm cum jam ſe viæ accingeret, nova in literarium ſtudium revocavit cura. Redditæ eidem Carpentoracto fuerant paulo ante literæ, quibus Clariſs. Vir Fornerius illum interpellaverat, rogabatque ſuam de Sanctiſſimo Chriſti Clavo, qui ibidem, & Mediolani in freni formam ductus co-

(27) Ibidem Tomo IX.
(28) Ibidem Tomo X.
(29) Ibidem Tomo XIX.

colitur, ſententiam. Elucubrabat hic eo tempore de Avenionenſi Comitatu Hiſtoriam, in qua texenda cum in Carpentoractenſis maximi Templi deſcriptionem incidiſſet, atque ex pluribus reſciviſſet, in ſimilem formam alium Chriſti Domini Clavum Mediolani coli, ſciſcitari ex Saxio voluit, quo tempore tanto theſauro noſtra ornata fuiſſet Eccleſia. Reſpondit Joſeph ſolertiſſime: optime ex Hiſtoria mutuatus eſt conjecturas, quibus unice agi poterat; aperuitque tempus, quo Urbi noſtræ potuit illud inferri redemptionis pignus; obſcurum id quidem in maxima ſuperiorum ſeculorum caligine, ſed valde congruum monumentis Hiſtoricorum, & certe a popularibus commentis alienum. Sic pereleganti Latina epiſtola rem totam evolvit (30), & nobili cura defunctus ſe viæ commiſit. Hujus autem, ut ſupra innui, itineris cauſa fuit Borromeorum in prolem amor, & concepta de Saxii virtute exiſtimatio. Etenim in juſtam ætatem adoleverant Excellentiſſimi Comitis D. Joannis Filii ſuaviſſimi Renatus & Franciſcus, in quorum utroque ſitæ meritò erant Avi Caroli, olim Neapolitanorum Pro-

re-

(30) Extat MS. hoc Opuſculum in Epiſtolæ formam conſcriptum penes Joſeph Mariam Saxium Canonicum Mediolanenſis Baſilicæ S. Georgii ad Palatium & Auctoris Nepotem, quod magna ex parte in ſuam Urbis Mediolanenſis Deſcriptionem intulit Cl. Servilianus Latuada.

regis, & Patrui Giberti Cardinalis ampliſſimi ſpes & deliciæ. Initum jam erat conſilium, ut ambo in doctiſſimorum Inſtitutorum diſciplinam traderentur. Occurrebat optimum ſcientiarum emporium Roma, ubi iiſdem domicilium ac inſtitutio deſignari poterat: Ex plurimis ad hanc delecti Somaſchæ Patres, quorum adminiſtratione Collegium regitur, quod Clementinum vocant. Unus ſupererat deſignandus in itinere utriuſque innocentiæ moderator & cuſtos, qui etiam in exteris regionibus verſantes nobiliſſimos Ephæbos perfunctoria quidem, ſed ſolida eruditione imbueret. Aptiſſimus creditus eſt a Cardinali præſertim Joſephus; atque illi etiam humaniſſime gratias Gibertus habuit hoc potiſſimum nomine (31). De manu in manum, ut dicitur, ſuaviſſimos & præſtantiſſimos Dynaſtas P. Baldino ille commiſit; atque in eo Collegio tyrocinium ſcientiarum poſuere, quarum amorem primum a Saxii hauſerant inſtitutis. Ibi dum iſte

(31) Audi Giberti Cardinalis Borromei Novarienſis Epiſcopi literas, poſtridie Calendas Julii datas eodem anno MDCCXXVI. „ Conſolata me „ apprime fuit XI. ante dies ſcripta a te epiſtola, ex qua intelligo „ bene admodum eſſe Pronepotibus meis; qui jam Romani itineris „ metam attigere. Id ego Sancto Carolo tutelari acceptum refero, qui „ ipſorum iter fortunavit; Atque optimus & ſapiens eorum ſenſus, „ quo illos vigere ſcribis, totus a me tribuitur optimis documentis & „ ſapientibus monitis, quibus tu eoſdem formaveris. Deus Optimus „ Maximus hanc illis mentem ſervet, ut in Collegio poſtmodum edu„ cati magis ac magis ſemper iis ornentur dotibus, quarum cauſa „ evadant in Equites prudentes æque ac Chriſtianos.

ille ad bimeſtre circiter ſpatium verſaretur, opportune uſus affinitatibus, quas cùm ſplendidas, tum plurimas ea in Civitate habet Borromeorum Gens, ad multorum amicitias facile pervenit; atque hanc redditis viciſſim literis, acceptiſque ſubinde aluit, & fovit. Summus ipſe idemque Sanctiſſimus eo tempore Pontifex Benedictus XIII. plurima Virum ornavit benevoli animi ſignificatione, eumque ab colloquio digredientem, quæ ſua erat ſingularis animi demiſſio, rogavit, ut lucubratiunculam ſuam, quam ſuper S. Bartholomæi corpore in Beneventana Urbe condito texuerat, diligenter expenderet: quin etiam moleſto animo cujuſdam cunctationem ferens, qui eamdem Saxio exhibere ſuperſederat, cum hic iterum ad ſe accederet, confeſtim juſſit afferri exemplar, tanta Aulicorum admiratione, & Pontificis favore, ut ſtatim Romæ rumor de more afflaret, facile illum Infula aliqua, aut inſigni dignitate ornandum. Sed non erat is Saxius, quem facile ſplendor honoris pelliceret a literaria laude ſejunctus; nam vix ad id temporis ſe circumegerat annus, ex quo Modoëtienſem tiaram, ſibi humaniſſime a Benedicto Odeſcalcho delatam ſplendide repudiarat: quos quidem mores ſemper retinuit, quoad vixit; nam mihi narrare identidem ſolebat, quanta animi conſtantia ejuſdem Archiepiſcopi Mediolanenſis votis

dein-

deinde obſtitiſſet, ſummopere cupientis nobiliſſimo illum Sacerdotio augere, atque Laurentianæ Baſilicæ Antiſtitem renunciare. Hæc itaque animi moderatio Mediolani æque ac Romæ in ſermone hominum fuit, quemadmodum etiam celebratam utrobique audivi ejuſdem doctrinam ſingularem, præſertim cum egregia Almæ Urbis monumenta inviſeret, & ſuburbanum præcipue Templum Fortunæ. Quare cum primum in Patriam reverſo licuit ad priſtinam moderationem ex tanto hominum plauſu animum recipere, & ad ſuos mores redire, nihil antiquius habuit, quàm ut Summi Pontificis votis obſecundaret (32) æque ac ſuis (etſi texere jam cœperat per id temporis Literariæ Mediolanenſis Hiſtoriæ Prodromum, de quo inferius inſtituetur ſermo). Nam cum ſolerti indagine rem, quæ in controverſia erat, fuiſſet perſecutus, æſtimans ulterius rationum momenta, ſuaque adjiciens, effectum eſt, ut anno inſequente Diſſertationem, brevem illam quidem, ſed ſucci plenam Pontifici mitteret, quam eruditis Opuſculis publica luce dignis, & in unum redactis, de Literaria Republica bene-

(32) Revera ad Calendas Martias anno MDCCXXVII. Beneventanæ poſſeſſionis cauſam defendit Opuſculo, quod ſtatim Romam tranſmiſit, atque in hunc modum inſcripſit: *Ragioni per provare l'eſiſtenza del Corpo di S. Bartolomeo in Benevento, eſpoſte in una lettera alla Santità di Benedetto XIII. dal Dottor Giuſeppe Antonio Saſſi Bibliotecario dell' Ambrogiana.*

benemeritus P. D. Angelus Calogierà deinde intexuit, & publici juris fecit (33). Per idem tempus Inſubrum ingenia exarſerant pari ferme ac ea, quæ Romæ biennio ante inſtituta fuerat, quæſtione. Triginta & amplius ante annis reperta ſacra Lipſana in Ticinenſi S. Petri ad Cœlum-Aureum Templo diſcordiam ſententiarum induxerant; aliis in eam inclinantibus opinionem, proditas in iis tamdem S. Auguſtini reliquias, quas certò conſtabat ſeculo VIII. in illud illatas; aliis contra repugnantibus, obſiſtentibuſque in ea certa poſſeſſione, incertò admodum id ſtatui poſſe. Diſputatum utrinque acriter eſt; atque in ipſo diſputationis æſtu ab optimo & prudentiſſimo ejus Urbis Antiſtite Franciſco Pertuſato, qui multum ejus eruditioni atque doctrinæ deferebat, rogatus Saxius ſententiam eſt: illamque probavit adeo ſapientiſſimus Judex, ut in eamdem facile iverit, dum illud verum S. Auguſtini Corpus pronunciaret (34). Neque ignoro, minus firmis innixam fundamentis viſam aliquibus eſſe eam Saxii lucubrationem; ſed, ut alieno verbo utar, qui ſuffragium tanto judicio probatum damnat,

(33) Vide Opuſculorum collectionem ab ipſo curatam ad Tomum XV.
(34) Hoc ipſum teſtatus eſt Franciſcus Pertuſatus Epiſcopus tum Ticinenſis ad Saxium ſcribens pridie Idus Quintiles anno MDCCXXVIII. in hæc verba „ Sapiens tua ſententia me maxime in eorum partem „ inclinat, qui repertum hoc volunt eſſe Sancti Auguſtini corpus; at- „ que intra paucos dies ſententiam ipſam pronunciabo „. Editum deinde eſt una cum aliis Saxii ſuffragium in *Collectione Actorum atque allegatorum* hac ſuper re.

næ ille Judicis potius prudentiæ videtur detrahere, quàm Saxii doctrinæ (35). Quamquam aliter, quin etiam magnifice de hac ſcriptione plures ſenſerunt, & inter ceteros ex Minimorum Ordine Clariſſimus P. Roma; quinimo ea facile judicio ipſo dirempta quæſtio eſt, a quo provocare licuit nulli. Sed in altera paulo poſt inſtituta controverſia Saxii ipſa ſententia judicii inſtar fuit, quæ adverſarios confixit. Objecerant nonnulli (joco, an ſerio, incertum eſt) Sacrarum Literarum, ſi fas eſt dicere, expertes, reſperſam hæreſi Ambroſiani, ut vocant, Confractorii formulam, in qua Chriſti Corpus triticea nube in Euchariſtia involutum *frangi* aperte Liturgici libri noſtri affirmant. Non tamen lædi, aut aliqua ex parte imminui eorum auctoritatem paſſus eſt Joſeph; quare ſapienter ultus injuriam, hæreſis ſuſpicionem abſterſit omnem, atque datâ ad Amicum Epiſtolâ docuit, eum loquendi morem inductum, & ſervatum ab Orthodoxis Patribus, imo a Chri-

(35) Magnifice de hac ſcriptione ſenſerunt complures, atque inter ceteros ex Minimorum ordine Cl. P. F. Joſeph Roma, Auguſta Taurinorum ſcribens anno inſequente in hæc verba, quæ fideliter ex Gallico epiſtolæ ſermone reddo. „ Tuo ad me miſſa eſt nomine Diſſertatio
„ *de identitate Corporis S. Auguſtini*. Ego jam ſingularem in modum,
„ te tuamque eruditionem admirabar; parva ejus temporis more, quæ
„ me ſuperiore anno Mediolani detinuit conceptam de tua doctrina, ac
„ probitate opinionem confirmavit: ſed tui Operis lectio eam auxit
„ quam maxime. Optimæ notæ Viri, quos lectionis ejuſdem partici-
„ pes feci, in hoc conveniunt, Diſſertationem tuam plura aliorum
„ ſcripta hac ſuper re edita longo intervallo ſuperare „.

a Chriſto ipſo, & Apoſtolo eam uſurpatam formulam: Docuit tempus, quo opportune ea videtur Ambroſianæ Liturgiæ illata, quoque ea ſenſu intelligenda ſint verba: Meminit ex Mabillonio diverſas, in quas Scriptores, damnato Berengario, diſtracti ſunt ſententias. Demum Romanas cæremonias, Græcas, & veteres Gallicanas eodem laborare vitio, ſi tamen hoc vitium Adverſarii audent appellare, luculenter oſtendit. Itaque hac ſcriptione *hebetatam telorum aciem* Lypſienſes ipſi confeſſi ſunt, *quibus formula ipſa fuit attentata, & collabefacta*. Hujus pretium molem voluminis ſuperat. Bis prælo commiſſum eſt Mediolani, & deinde Calogierianæ Opuſculorum collectioni inſertum (36).

Sed hæc Achaica veluti tela ille in hoſtes certo ictu contorſerat. Illo tamen excedentem prælio nova excepit pugna, in qua Eſerninum invida ſors cum Pacidiano compoſuit. Anno inſequente dentatâ chartâ rem agi plures admirati ſunt, eoque inuſitatius, quòd melle litum gladium ſemper ille conſueſſet hoſtibus intentare. Rem paucis exponam, ut ab utroque contendentium accepi. In quodam Virginum Collegio, cui nomen S. Mariæ ad Stellam, convenerant Præſides, de rerum

* 6 admi-

(36) Vide ad Tomum XIV. Opuſculum IX. ſic inſcriptum: *Joſeph Antonii Saxii SS. Ambroſii & Caroli Oblati Collegio & Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecti Epiſtola ad Amicum pro vindicanda formula in Ambroſiano Canone ad Miſſæ ſacrum præſcripta*: Corpus tuum frangitur Chriſte.

adminiſtratione ipſis commiſſa acturi. Eos inter duo aderant, quorum alteruter priorem ſibi ſedem deberi contendebat; Metropolitanæ Baſilicæ alter Canonicus Ordinarius, ut vocant, alter Ambroſianæ Antiſtes. Neuter de ſuo jure decedere voluit; quare mox inſtituta quæſtio eſt, uter alteri præemineret. Clariſs. Nicolao Sormano, Saxii Collegæ, & in Ambroſiana Bibliotheca tum Doctori, nunc Præfecto delata ab Ambroſianæ Antiſtite provincia eſt, ut tuendam ejus dignitatem in ſe reciperet. Ipſum Canonici in ea Baſilica honorarii nomen, quo Bibliothecæ Doctores utuntur atque gloriantur, plura inſuper collecta ex veteri ejus Archivo monumenta, eidem facile ſumendas has defenſionis partes perſuaſere. Verùm cum Metropolitani Collegii majeſtatem obſervaret æque ac coleret, itemque vindicare a veterum Monachorum moleſtiis Ambroſianæ Baſilicæ jura ſtatuiſſet, conſcripta Diſſertatione parem ineſſe utrique litigantium dignitatem contendit in ſpeciem; re autem vera (ut ipſemet (37) teſtatus eſt) ut vulneribus illatis antiquitus Ambroſianæ Baſilicæ Collegio mederetur.

(37) Juvat Cl. Nicolai Sormani teſtimonium audire, qui in Libro Italico *de Origine Apoſtolica Eccleſiæ Mediolanenſis* ad pag. 223. hæc ſcribit, & ſententiam meam confirmat: „ Sed hodiernus Adverſarius „ (Anonymus ſcilicet Vercellenſis) veterem alium (Saxium) imitatus eſt, qui anno hujus ſeculi XXXIV. in Cauſa a nobis pro Ca„nonicis Sancti Ambroſii adverſus Monachos ſuſcepta, ignarus quo„modo rationi obſiſteret, eam omiſit, atque intactam, ut dicitur ta„bulam relinquens, ad ejus coronam deformandam incubuit „.

tur. Infeliciter ceſſit conſilium; & imminutam ſplendoris ſpeciem non ferens Ordinariorum Cœtus, Saxium impulit, ut pro eodem ſtaret. Non audebat ille impoſitum onus ſuſcipere, ſed pudebat recuſare; utrinque enim latere periculum arbitrabatur, aut propter Collegæ, aut propter rogantium imminuendam exiſtimationem. Tamen ſibi & glorioſum ducens, nec Collegæ moleſtum ſartam tectamque conſervare Metropolitanæ Baſilicæ dignitatem, cui quidquam detrahi ne ipſe quidem Sormanus voluit, raptim elucubravit obſervationes nonnullas (38), quæ, cum propter anguſtias temporis minus depaſcere offerentis ſeſe ultro reſponſionis luxuriem ſibi licuiſſet, expertes minime aculei viſæ ſunt; reapſe tamen nihil defenſionem contra Monachos a Collega inſtitutam lædebant. Nam & ea dumtaxat delibavit tractanda, quæ Metropolitanæ jura oppugnare videbantur, integris iis omnibus relictis atque intactis, quæ Ambroſianæ contra veteres Adverſarios defenderent. Sic utrique honeſtum certamen fuit; exitus tamen pugnæ utrinque incertus: cum ſublatâ poſtmodum diſſidii causâ, neutri adjudicata fuerit victoria, & pares Sapientum calculi in Operis utriuſque judicio fuerint. Quare verum

(38) Harum Obſervationum titulus hoc modo conceptus eſt: *Diſſertatio Hiſtorica ad vindicandam veritatem, contra Allegata in cauſa Præcedentiæ. Mediolani 1733. in 4.*

rum certe fuit Lypſienſium judicium, utrumque Opus eâdem cerâ veluti laudantium, dum pronunciavere de Clariſſimorum Pugilum pugna celebre illud, & in rem aptiſſimum effatum. *Non opis eſt noſtræ tantas componere lites*.

Sed venio jam ad Opus plane palmarium, illuſtrata ſcilicet *de Regno Italiæ* Sigonii Opera (39), quæ licèt prius edita in lucem ſint, quàm poſtrema a nobis relata Ordinariorum defenſio, tamen hoc loco commemorare viſum eſt, ut contentioſum ab illo ſuſceptum ſcribendi genus uno veluti impetu perſequerer. In Sigonianorum Operum editione cùm illuſtria aliorum, tum præclara certe Saxii merita extitere. Etſi enim detectis plane ætatis obſcuriſſimæ tenebris in priſcis evolvendis, comparandis, digerendis monumentis ſplendido labore verſatus eſt Mutinenſis ille egregius Scriptor; deſiderabant tamen nonnulli aut exactius in lutulentis cautiùs conſulendis fontibus judicium, & frequentiùs adhibendam ſpongiam cenſebant in texenda factorum ſerie, & rerum ipſarum, locorum, perſonarumque deſignatione. Mederi hiſce incommodis ſtatuit Saxius: Facem præferebant plura poſt Sigonium edita in lucem integerrimæ auctoritatis

(39) *Caroli Sigonii Hiſtoriarum de Regno Italiæ Libri viginti in hac nova editione a multis mendis expurgati, & a Clariſſimo Viro Joſepho Antonio Saxio Collegio & Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecto notis illuſtrati. Mediolani 1732. in fol.*

ritatis teſtimonia a Baronio, Peregrinio, Mabillonio, Pagio, Bacchinio; alia ſuppetebant prolata ex Archivis ἀνέκδοτα; & in diſponendo temporum ordine, Theſeus illi præcipue fuit vivens adhuc Literariæ Reipublicæ bono, illique amiciſſimus P. F. Bernardus Maria de Rubeis, ut ſæpe mihi idem Joſeph confeſſus eſt candide. Quare longum ſit complecti, quibus ille in rebus de nobiliſſima ac Hiſtoriæ parte eſt optime meritus. Nam & Langobardorum res geſtas ſolerter excutiens Epocham regni Rodoaldi cum Legum edictis conciliavit: Adaloaldi nativitatem triennio ante, quàm ceteri cenſuere, contigiſſe oſtendit, licèt ſerius per literas S. Gregorius Theodelindæ matri de illa gratularetur, ex quibus complures perperam poſterius Agilulfo datam prolem evincebant. Sic ad annum DCCLVII. regni conſortem factum probavit poſtremum eorum Regem Deſiderium, prolatâ chartâ, ex qua nonniſi ſub anni præcedentis exitum interiiſſe Aiſtulfus dicendus eſt; qua de cauſa felicius etiam, quàm ceteri, annum deſignavit, quo Rachiſius regia ſe dignitate abdicaverat. Deinde quàm feliciter, Agnelli præſertim ductu, tamquam tradito ab Ariadna filo, ex multis tricis evaſerit in ſtatuendis origine, numero, ac tempore Exarchorum Ravennatum nemo eſt qui ignoret. Hinc geminas Eutichii Præfecturas contra plurimos Scriptores meminit;

& tem-

& tempus indicavit, quo opportune Plato eamdem provinciam ingredi potuit, ne antiquorum Scriptorum monumenta convelleret. Quantum deinde ſubſidii atque opis eidem attulit Carolinus Codex, atque antiquæ tabulæ in ſtatuendo Langobardici Regni ad Carolum Magnum translati initio contra Pagium alioſque! Vindicavit ſtrenue Mediolanenſe marmor, ſeu ſepulcralem Inſcriptionem Bernardi Regis Italiæ, ejus regni Epocham ſtabiliens: Sic ex Andreæ coævi Scriptoris, imo oculati teſtis Chronico deſignavit locum, ubi Ludovicus II. Imperator interiit, ante hoc ſeculum, ſeu ante editam a Burchardo Menkenio Rerum Germanicarum collectionem, Hiſtoricis omnibus vel inexploratum, vel prætermiſſum. Omitto quæ de Epocha Caroli Craſſi, de Arnulpho Italiæ Regibus adnumerando, de Hugonis regni primordiis altius repetendis, ejuſque Epocha duplice, de Mediolanenſi Lotharii coronatione erudite adnotavit: collocatas in bono lumine ex Biſantina Hiſtoria res Græcorum geſtas pro Italia vel retinenda, vel recuperanda: ſacri Belli felices, infauſtoſve exitus: emendatam ex Pagio Romanorum Pontificum chronologiam, ſed Mediolanenſium præſertim Antiſtitum felicius quàm a ceteris digeſtam. Illuſtraſſet etiam quàm libentiſſime Othonis IV. Epocham, ſi citius in poteſtate habuiſſet optimum ex S. Georgii ad Palatium Tabulario deprom-

ptum

ptum monumentum ; quamquam debere illud diutius Literariæ Reipublicæ noluit, lucemque hanc Hiſtoriæ attulit, dum Hiſtoriam Mediolanenſem Typographicam publici juris fecit. Certe in eo Opere patuit, quantum ille eruditionis hauſiſſet ex Rerum Italicarum Scriptoribus, quibus edendis, illuſtrandis, augendiſque tam ſedulam operam impenderat. Mirari tamen præſertim ſubit hoc loco laborioſum ab illo ſuſceptum onus; dum, ubicumque res ferret, conatus eſt in ipſos fontes digitum intendere, unde Sigonius hauſiſſe videbatur; tum etiam exactam diligentiam in poſtremis præſertim recenſendis libris, in quibus aut vitiatus, aut diverſimode elatus Sigonii ſenſus in lucem prius prodierat; idque MSSrum maxime auxilio, epiſtolarumque Vincentii Pinelli Bibliotheca in Ambroſiana deliteſcentium: tum inſuper inſignem ſolertiam in excutiendis antiquitatis monumentis, in nobiliſſimo Monachorum S. Ambroſii Archivo latentibus, quæ ſingulari diligentia in ordinem redegit Clariſs. D. Laurentius de Georgiis eidem Præfectus iis diebus, nunc vero Abbas; Vir certe, ut eum Saxius non minus vere, quàm magnifice appellavit, *præclaris omnibus dotibus, ac præſertim antiquitatis ſtudio & peritia excellenter inſtructus*. Poſtremo coronidis loco appoſuit, veluti Operi colophonem, Indicem copioſiſſimum, ſin minus novo, certe laudabili conſilio, eorum

præſertim imitatione digniſſimum, qui ad Hiſtorias conſcribendas animum appulere.

Sic exaggerata firmiter famâ & cùm patriæ, tum externæ eruditionis pariâ gloriâ, ceſſare aliquantulum illius opera viſa eſt per annos nonnullos, quibus a prælo exercendo abſtinuit. Quamquam remotum a communi luce molitus opus, totum ſe in Eccleſiaſticæ antiquitatis commentationes abdidit: ſic nihil, ut videbatur, agens, agebat tamen, urgebatque propoſitum. Fervebant Nobilium quorumdam Virorum ex Metropolitanæ Baſilicæ Collegio ſtudia, ut quod eſſet ab Odæi curis vacuum & reliquum tempus, illud fovendæ, quam privata primum ac diuturna lectione comparaverant, ſacræ eruditioni attributum, & tamquam ſepoſitum haberent. Optabant unum aliquem in hujuſmodi tractatione anteſignanum veluti, & ducem, qui ordine univerſa digereret, & ea in medium promeret, quæ varia dumtaxat lectione conquiri ſolent; ex quorum deinde comparatione & examine veritas tamdem emergit. Incurrit ſtatim in oculos Saxii fama & virtus, eoque uti Interprete voluerunt. Haud fefellit ille quam animo imbiberant opinionem, & prima Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſecula aggreſſus evolvere, implicita quæque & dubia ex optimorum Scriptorum fide concinne explicavit, dubia a certis ſecernens, eaque omnia deſcribens, quæ ad Apoſtolos

ſtolos primum, deinde ad Summos Pontifices, Imperatores, mox ad Concilia, perſecutiones Tyrannorum, Catholicorum Scripta, & Ordinum Eccleſiæ politiam, atque Hæreſes pertinerent. Cujuſcumque ſeculi diſputationibus faſtigium quodammodo impoſuit, de Mediolani Epiſcopis diſſerens, & Diſſertationem adnectens, quæ vel in exponenda prima Eccleſiæ Liturgia, vel Fidelium pœnitentiæ ratione, vel in precibus, quas deinde Canonicas Horas appellavimus, in Baptiſmi, & Confirmationis ritibus, vel Sacrorum Ordinum cæremoniis explicandis verſabantur. Commentationes haſce ad ſeptimum uſque Eccleſiæ ſeculum felici labore Joſeph provexit, geminumque conflavit juſtæ Volumen Hiſtoriæ (40). Oneravit interim hanc non levis momenti, quæ biduum ſingulis hebdomadis eum prælegentem tenuit, curam pluries interjecta diverſi generis elucubratio: Nam cum per id temporis Sacram Deo Virginem, quam per XXX. annos ad ſanctitatis diſciplinam inſtituerat, mors oppreſſiſſet, ejuſdem mores atque virtutes brevi quidem, ſed ſucci plenæ ſcriptioni conſignare ſtatuit, quo labor ad ſe unum, fructus verò & exemplum ad omnes perveniret. Quapropter in Epiſtolæ morem ea omnia comple-

*7 xus

(40) Teruntur multorum manibus MSS. hæc volumina, utpote in jure ſunt tum Canonici Joſeph Mariæ ipſius Nepotis, cùm eorum omnium Nobilium Virorum, qui Saxium prælegentem audivere.

xus eſt, quæ illius ſanctimoniam ex ipſo fonte hauſtam præferrent, & ejuſdem Amitæ legenda obtulit conſolationis in ſpeciem; reipſa tamen ceteris Deo dicatis Virginibus incitamentum (41). Paulo poſt, cum depoſito Ambroſianæ Eccleſiæ clavo vigilantiſſimus Gubernator, qui diu eidem aſſederat, Benedictus Cardinalis Odeſcalchus, languentibus diuturno corporis ſtupore viribus, morbo ſuccubuiſſet; nihil antiquius habuere nobiliſſimi ejuſdem Conſanguinei, capti Joſephi eruditione ac ingenio, quàm ut huic inſtruendorum Funebrium provincia demandaretur. Paruit ille triſtiſſimo quidem imperio, obſequii tamen exhibiturus pignus dumtaxat; cum animo reluctante inferias Parenti cogeretur perſolvere, cui plaudere viventi, maluiſſet. Templum igitur, quod S. Joannis *ad Concham* dicimus, in quo tumulandæ fuerant amantiſſimi Archiepiſcopi exuviæ, eo quòd in illius jure ejuſdem domus contineretur, (ſe enim abdicaverat paucis ante annis nobiliſſimæ hujus Eccleſiæ adminiſtratione) atris aulæis obductum in funebrem pompam compoſuit. Ejus potiſſimum ornamentum erant Pontificiæ Virtutes, quæ con-

(41) Habemus vitæ hujuſmodi ſeriem in Libello, cui titulus: *Breve Ragguaglio della vita, e virtù di Suor Maria Geſuanna Monaca nel Venerando Monaſtero delle Celeſti di Milano morta nel giorno 30. di Marzo 1718., diſteſa in una lettera alla Molta Rev. Madre Suor Laura Giovanna Petebia Monaca nel Venerando Monaſtero di S. Cattarina in Brera dal Sig. Dottore Gioſeffo Antonio Saſſi Prefetto della Biblioteca Ambroſiana. In Milano, preſſo Gio. Battiſta Ghiſolfi in 4.*

concinne appictæ Paſtoralium Virtutum ſpecimen exhibebant, inito inter Avunculum Innocentium XI. Pont. Max., & Filium ex Nepte Benedictum pulcherrimo certamine (42). Ingenioſam comparationem aptis Inſcriptionibus expreſſam conſequuta laus anſam Eminentiſſimi Cardinalis Cajetani Stampæ, & Mediolani Archiepiſcopi Nobiliſſimo Fratri dedit, ut triennio poſt (breve nobis ſcilicet ex ejuſdem adminiſtratione gaudium fuit) in Templo Maximo nobiles, & Principe dignas inferias adornandas eidem deferret. Par erat Civium in triſtiſſimo pari ſpectaculo de Saxii ingenio expectatio, quam paria etiam ſubſequuta præconia ſunt; imo pari ferme invento ille & expectationi ſatisfecit, & laudes fuit promeritus; nam Majorum virtutes Nobiliſſimi Archipræſulis dotibus auctas cumulataſque in dolentis Urbis oculis defixit, & Ampliſſimo Cardinali non ſine lacrymis, & dolentis animi ſignificatione magnifice parentavit (43). Fuerat enim Caje-

(42) Hoc funebre ſpectaculum cum deſcriptum a Saxio eſſet pluribus Mediolanenſium Civium amoris ſignificationibus ornatum atque auctum, ideo cauſam illi dedit, ut ampliori titulo Deſcriptionis frontem inſigniret in hunc modum: *Pietas & Amor Mediolanenſium in obitu Eminentiſſimi Cardinalis Benedicti Herbæ Odeſcalchi olim Mediolani Archiepiſcopi, & Funebris Apparatus virtutibus Innocentii XI. Magni Avunculi ac ejuſdem Benedicti invicem comparatis inſtructus &c. Mediolani 1741 per Joſeph Ricchinum Malateſtam in 4*

(43) Anno inſequente edita Deſcriptio eſt hoc titulo: *Specimen virtutis avitæ ſtemmati Nobiliſſimæ familiæ de Stampa inſcriptum, auctum virtutibus Caroli Cajetani Stampæ S. R. E. Presbyteri Cardinalis Tituli Sancti Alexii Archiepiſcopi Mediolani, atque expreſſum in Funebri Apparatu Solemnium Exequiarum, quæ in Templo Maximo celebratæ eidem fuere XII.*

Cajetanus Stampa in Viri ingenium & probitatem animatus, ut qui maxime; idque ex eo præſertim perſpectum omnibus fuit, quòd ejus comitate & prudentia in ſedandis Sacrarum quarumdam Virginum pluſquam fœmineis diſſidiis uti voluit, abſtractumque aliquando ex ſacro Viglevani otio (44), in diſſidentium campum, veluti pacis ſequeſtrum, feliciſſime conjecit. Deinde cum ex peſtilenti quodam Libro Mediolani edito erupturum in animarum perniciem videretur malum, eumdem habuit Catholici integerrimi dogmatis eximium propugnatorem. Hujus autem facti ſeriem hìc placet obiter exponere, cum Saxii famæ labem aliquam imperitorum hominum ea occaſione rumor afflaverit. Nonnulla de Religione ſcripſerat, quæ Religioni habita deinde ſunt adverſaria, quàm maxime præſtans ingenio, & Catholicus cetera Auctor. Ejus Liber Pontifici Summo Benedicto XIV. legendus fuit oblatus; additumque commendationis loco, quòd Saxii ſuffragio jampridem probatus foret, ſive id falſo diſſeminatum eſſet, ſive ab aliis falſo dictum id Auctor accepiſſet; neque enim in honeſtiſſimum

XII Cal. Februarii MDCCXLIII. deſtribente Joſepho Antonio Saxio Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecto. Mediolani 1743. Apud Beniamin de Sirturis in 4.

(44) Cum ibidem totus in cœleſtium rerum explicationem abditus exercendis in pietate iis Monialibus vacaret anno MDCCXLI. paulo ante Idus Octobris Mediolanum revocatus eſt ex tempore per certum nuncium ab Eminentiſſimo Archipræſule miſſum. Paruit autem e veſtigio, & in Urbem reverſus, Deumque Deo anteferens feliciter diſſidia compoſuit.

mum ejus notæ hominem cadit mendacii ſuſpicio. Addidit ſane haud contemnendam commendationem ipſum Saxii judicis nomen; quare humaniſſime reſponderat Scriptori Benedictus, gratam ejus Libri lectionem fore, cui calculum ſuum adjeciſſet Saxius, *Vir*, ut ipſum Pontificium præconium exponam, *cujus ſingularia merita, & eximia eſſet literatura*. Interim ſuboffenſi intempeſtivis Scriptoris, quæ in Libro occurrebant, ſententiis Lectores, aliquam de ipſius integritate, & religione commoverant ſuſpicionem; & ne plura perſequar, Sacræ Romanæ Congregationis decreto ademptus eſt piorum manibus Liber. Pupugit eo tempore Saxium injecta ſuî mentio in Literis ad Summum Pontificem datis, atque ut omnem exiſtimationi ſuæ inuſtam maculam abſtergeret, ſe Cajetano Stampæ Archiepiſcopo de afflicto judicio purgavit nobili Ἀπολογίᾳ (45); miniatam ceram apponens iis omnibus Scriptoris dictis, quæ cenſoriâ virgâ digna, & ſanæ doctrinæ ac eruditioni adverſari videbantur: quam quidem adeo probatam Vindobonæ fuiſſe, ut in omnium ore fuerit, teſtatus eſt literis ſuis ea ex Urbe ſcribens Dominicus Columbus; atque ita apud Pontificem Maximum valuiſſe declarant Joſephi Puteobonelli tum Mediolani Archiepiſcopi Electi literæ anno inſe-

(45) Præclarum hoc integerrimæ doctrinæ teſtimonium aſſervatur MStum penes alibi memoratum Saxii hæredem.

inſequente Roma Pridie Kal. Auguſti a[d] [Sa]xium datæ; ut optimam de ejuſdem integerrima eruditione opinionem animo altius imbiberet.

Hæc agentem, prælegentemque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſeriem repentinus morbus ferme oppreſſit: tantaque perturbatio ejus valetudinis fuit, ut manum de tabula tollere cogeretur. Nam cum ſtomacho eſſet languenti, pluteoque affixum veluti trabali clavo aſſidua teneret aut lectio aut ſcriptio: ſatis vehementer, diuque ægrotavit; donec ancipiti Medicorum curatione adhibita, ex eo incommodo tamdem emerſit, ita tamen ut numquam priſtinam firmitatem, atque bonam corporis habitudinem revocaverit. Oppreſſit nihilominus hærentes morbi reliquias vis animi, qui otii neſcius novis ſtudiis, ſolatii veluti loco, indulſit. Auctus Sacra Romana Purpura Joannes Baptiſta Barni, Patriam, a qua diu Legationibus Pontificiis implicitus abfuerat, recreaturus erat adventu ſuo, dum ex Hiſpanica Aula reverteretur. Civitas univerſa ſibi, & Ampliſſimo Cardinali gratulari voluit partum decus. Hinc Civici Concilii verbis Laudenſis Orator Saxium rogavit, ut dignam Purpurato Principe, dignam Patria pompam inſtrueret. Adornavit illico ſplendidiſſimum triumphum (46), in quo apte
illius

(46) Inſcriptiones & Symbola, quæ pompam hanc conſtituere edita typis ſunt in Libro, cui titulus: *Tributi d'oſſequio della Città di Lodi all' Emo Sig. Cardinale Gio. Battiſta Barni per la di lui eſaltazione alla Sacra Porpora. Milano 1744. in 4.*

illius Legationes, Majores, atque Virtutes, ſuum tamen maxime ingenium eminerent.

Exinde animum appulit ad Typographicæ Mediolanenſis Hiſtoriæ impolita adhuc, quæ improbo labore, per annos complures congeſſerat, monumenta in ordinem redigenda. Scilicet cum verſanda quotidie pulverulenta volumina in demandata Bibliothecæ Præfectura videret, noluit eam evolvendorum librorum curam eſſe frugis expertem. Referebat igitur in ſchedas ab ipſis provinciæ ſuæ primordiis Auctorum nomina, qui ſeculo XV. commentationes ſuas Mediolanenſium Typographorum diligentiæ commiſiſſent; ſolerter addebat annum, quo in hac Urbe emiſſa in lucem fuiſſent Veterum ſcripta: neque ſatis ſibi factum ratus eâ eruditionis copiâ, qua auctus cumulatuſque a prædivite hujuſmodi opum Ambroſiana Bibliotheca diſceſſerat, contrahebat undique quæ in rem facerent ſubſidia: fretus cùm Amicorum opera, qui in exteris etiam regionibus adjutricem porrigebant manum; tum præſertim Nobiliſſimorum hujus Urbis Civium, (ut mirifica ſunt hoc in genere Patriciorum noſtrorum ſtudia) & Patrum in primis Societatis Jeſu humanitate, quorum utrique cum pervias illi ampliſſimas, & optimis Libris refertas Bibliothecas facerent, complementum interim meditato Operi favore ſuo afferebant. Verùm cum creſceret ſub

manus veluti voluminis moles, & nova quotidie erumperent paternæ Literariæ Hiſtoriæ indicia, ſolerter perſequebatur reperta veluti illuſtrium Virorum veſtigia, quibus in eorum vitæ cubilia ingrederetur. Inuſitatas itaque indagans vias, & nondum tritas, ex ipſis etiam MStis Operibus, & Literis præſertim, rerum obſcuros eventus, & Scriptorum mores ſcrutatus eſt, quæ longe ſepoſita ab hominum memoria, & Eruditis ipſis incognita, ex Lypſienſium teſtimonio videbantur. Sic uno impetu feliciter collectam diuturnis vigiliis eruditionem effudit; ediditque *Mediolanenſem Hiſtoriam Literario-Typographicam* (47), cujus lineamentis niſi eorum pigmentorum ferme, quæ inventa nondum ſunt, florem & colorem videmus defuiſſe; gaviſique ſunt Inſubres, hac in parte Hiſtoriæ ſe nihil debere Tranſalpino Typographicorum Annalium Scriptori: Imo veterem æque ac recentem Civium ſuorum literaturam illuſtratam Saxio gratulati ſunt; qui in ipſo Operis Prodromo Opuſculum *de Mediolanenſibus Studiis* (48) adjunxit, pro quo ſeptemdecim

(47) *Hiſtoria Literario-Typographica Mediolanenſis, in qua de ſtudiis literariis antiquis & novis in hac Metropoli inſtitutis: de tempore inductæ Mediolanum Typographiæ: & primis hujus Artis Opificibus: de Viris doctrina illuſtribus, qui Seculo XV in eadem Urbe floruere, atque eorumdem MSStis Operibus in Ambroſiana Bibliotheca ſervatis diſſeritur. Adjecta ſunt Appendix Epiſtolarum, quæ libris, tunc ibidem editis, affixæ legebantur, & Catalogus Codicum Mediolani impreſſorum ab anno MCDLXV. ad annum MD. Auctore Joſeph Antonio, Saxio Sanctorum Ambroſii & Caroli Oblato, Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecto.*

(48) Hæc Saxii elucubratio lucem vidit primùm anno MDCCXXIX. in for-

decim ante annis in lucem edito gratias habuerant immortales.

Vulgata hujus Hiſtoriæ fama, ſtatim exorta eſt ea, quæ imitatio virtutis dicitur, æmulatio. Quod ad Typographicam laudem attinet, primas antea Brixianis detulerat Eminentiſſimus Princeps, Brixianorum, exterorumque, & Literarum præſertim bono natus, ac nuper acerbiſſimo ereptus fato Angelus Maria Cardinalis Quirinius. Hinc propoſiti tenax eruditiſſimas literas raptim elucubratas, ut erat ad intelligendum promptus, ad judicandum paratus, ad ſcribendum expeditus, Saxio dedit, quibus aſſertum ſuis decus vindicare contendit. Acceptæ Epiſtolæ ſtatim ille reſpondit (49); & modeſtiæ ſuæ item, ac alienæ Dignitatis memor ita contentioſum funem duxit, ut partam Patriæ gloriam conſervaret: fuitque præclara utriuſque pugna, humanitatis & virtutis indicium; utinam eorum magiſtra tenebrionum, qui male feriati, conviciiſque liberaliter indulgentes virus chartis allinunt, & putant ſe perbelle dicere, cum fœdius in ſcommata inania ut plurimum,

 & ra-

forma octava, ut dicitur, ſummoque excepta plauſu. Præfixa deinde eſt Typographicæ Hiſtoriæ, ſive ad explenda eorum vota, qui deeſſe prioris editionis exemplaria dolebant, ſive ad Hiſtoriæ ipſius, ut ita dicam, optimum complementum; præſertim cum ſecundis curis eam auxiſſet.

(49) Utraque ſucci æque ac dignitatis plena Epiſtola edita eſt in calce ipſius Typographicæ Hiſtoriæ; & primùm etiam educta in lucem fuerat in 4.

& rationibus deſtituta erumpunt intemperanter!

Poſt hæc impetus animi ad ſcribendum, & ardor mentis ad gloriam incitari in Saxio viſus eſt vehementiùs: ſcilicet cum ex ipſa virium deflorefcentium jactura antecaperet cogitatione impendentem interitum, defuturi temporis damnum ipſa lucubrationum feſtinatione reparare conabatur. Cum per id temporis juxta vetus Bibliothecæ Ambroſianæ inſtitutum, Typographiam excitare funditus, & ad omnem lautitiem ornatam, ejuſdem tutelæ Præfecti ſtatuiſſent, adnitente inter hos præſertim Vitaliano ex Comitibus Borromeis præſtantiſſimo Præſule, ut ille eſt Federici Inſtitutoris laudum æmulus, & in literas fovendas amplificandaſque animatus, demandatum Saxio fuit, ut ex ampla uberrimaque MSrum ſupellectili egregium aliquod Opus ſeligeret, quod naſcenti Typographiæ commendationem afferret. Oculos ille in *S. Caroli Homilias* conjecit, aggreſſuſque eas notis illuſtrare, brevi ad umbilicum eas perduxit, Præfationemque addidit numeris abſolutam omnibus (50). Pro-

(50) Geminum eſt hujus editionis genus: in fol. prima ad ſummam lautitiam comparata; altera minoris impendii in 4. ut vocant: utraque eodem tempore ex Typographia dumtaxat Bibliothecæ Ambroſianæ prodiit hoc titulo inſignis: *S. Caroli Borromei S. R. E. Cardinalis Archiepiſcopi Mediolani Homiliæ, nunc primum e MSS. Codicibus Bibliothecæ Ambroſianæ in lucem productæ, Joſeph Antonii Saxii Præfatione & Annotationibus illuſtratæ. Mediolani MDCCXLVII.* In quinque autem diſtributæ ſunt volumina; quorum in poſtremo additi leguntur Sermones à S. Carolo ad Angelicas Monaſterii S. Pauli Mediolani habiti; qui tamen antea ad annum 1720. Patavii Cominiano prælo ſuppoſiti fuerant.

Prodiit in lucem exoptatum Opus ea pompa, ut cum Clariſſimo Scriptore loquar, quæ Regiam Pariſienſem Typographiam deceret. Mox Homiliis *Noctes Vaticanæ* veluti cumulus acceſſere, illius itidem commentationibus, & Præfatione auctæ (51). Sed dum irrequieto labore fatigaret Typographos, Mediolanenſis Eccleſiæ cauſam ſuſcepit, oppugnatam hoc tempore ſummis viribus, & præſtantiſſimorum Scriptorum auctoritate. Vindicavit ſcilicet Mediolanenſ. Apoſtolicæ decus Eccleſiæ (52), probans S. Barnabæ adventum in regiones has noſtras: ea tamen inita defenſionis ratione, ut licèt monumentorum inopiam fateretur, poſſeſſionem tamen integram retineret. Plures ea Commentatio habuit, eoſque magni nominis laudatores: Gabrielem autem cumprimis Verrum, Urbis noſtræ lumen, & Senatorem præſtantiſſimum,

(51) In hac Præfatione de Vaticanæ Academiæ Inſtituto eruditè diſſeruit; atque compluta tricis implexa, & Academicorum nomen ſuo in lumine collocavit. Libri autem hujus Titulus eſt: *Noctes Vaticanæ, ſeu Sermones habiti in Academia, a S. Carolo Borromeo Romæ in Palatio Vaticano inſtituta Præmittitur Opuſculum Auguſtini Valerii, inſcriptum Convivium Noctium Vaticanarum. Omnia nunc primum e MSS Codicibus Bibliothecæ Ambroſianæ eruta Joſeph Antonius Saxius Præfatione & Notis illuſtravit. Mediolani MDCCXLVIII.* Egregium hoc Opus geminâ formâ excuſum, quemadmodum Homiliæ, publicâ luce donatum eſt, & magno apud Eruditos in pretio fuit.

(52) Inſcriptus eſt hic Libellus: *Vindiciæ de Adventu Mediolanum S. Barnabæ Apoſtoli*. Mediolani primo impreſſus fuit in 4. anno MDCCXLVIII. Editus autem ſeorſim eſt ab Archipræſulum Mediolanenſium Serie, cum ingraveſcens in dies morbus ſpem adimeret, ut ſæpius dicebat, hujus Hiſtoriæ perficiendæ. Cum verò vitam eo uſque produxerit, ut eamdem abſolutam hæredi relinqueret; inde Editor ſubjectam prælo Archiepiſcoporum Mediolanenſium Seriem Hiſtorico-Chronologicam iiſdem Vindiciis ſecundò prolatis in lucem, veluti nobili Prodromo ornavit.

mum, æque in politioribus Literis, atque in Juriſprudentia ſumma cum laude verſatum, qui mirum elegantemque in modum Scriptoris decora complexus, in Epiſtola ad hunc data, quam *Vindiciis* ipſis præfixam legimus, hæc ad ipſarum commendationem literis conſignavit: *Vera, ſolida, probata omnia: elegans ſermo, certus ordo atque perſpicuus, eruditio ſumma & perfecta, claritas denique cum brevitate conjuncta. Vindicias agis modeſtiſſime, neque laceſſis quempiam acerbius. Singulis reſpondes, omnibus occurris. Nihil ab hiſtorica integritate alienum, nihil non ad Dialecticas leges exactum, nihil non aptum ad perſuadendum affers: qua re declaras, abs te veritatem quæri, non gloriolam captari.* Verumtamen eam cauſam non pleno, ut ajunt, pede ingredi viſus eſt aliquibus Saxius. Suum cuique omnino judicium; atque *hac plane de cauſa*, ut Caſa ſcripſit, *difficillimum puto omnibus æque placere*. Hoc verò conſtanter affirmare poſſum, quod cum objeciſſent nonnulli, eum in conſcriptis *Vindiciis* plus voluntati Mediolanenſium obſecundaſſe, quàm menti ſuæ, quæ certe ab iis diſſentiret, quæ ſcripſiſſet: hanc ille veluti candori, & fidei ſuæ objectam maculam deteſtatus eſt omnino; mecumque triduo ante obitum diu conquerens ſuper hac, ut ille appellabat, fraude, affirmavit aperte, atque, ut ſolebat, candide, ſe illud ipſum, quod literis mandaſſet,

pla-

plane ſentire; imo eos de ſe ipſo male nimis ſenſiſſe, qui putaſſent, potuiſſe ſcientem ſe, prudentemque mentiri.

Quod reliquum vitæ fuit, id omne in *Archiepiſcoporum Mediolanenſium* Acta ad rectæ Chronotaxis leges ſtatuenda & ordinanda contulit (53). In quorum ſerie diſponenda cum alii quoque non infimi ſubſellii Scriptores naviter operam ſuam collocaſſent, Saxii certe diligentiam atque peritiam non ſuperarunt; qui ex fide veterum monumentorum cuncta exactiùs digeſſit, eamque in ſpem poſteros erexit, nihil amplius hac in parte a Mediolanenſibus, & exteris deſideratum iri. Huic ex multorum ſententia apprime convenit illud Homeri; *Tarda & ſera nimis, ſed famâ & laude perenni*. Neque puto, minus laudabile hoc Opus fore, quàm commendandam Operis cauſam extitiſſe. Hæc autem ea fuit; quòd cum illuſtrandi Ambroſiani Ritus conſilium cepiſſet Joſeph Cardinalis Puteobonellus, atque Operis moliendi Architectum Saxium deſignaſſet; is in certa quædam Capita meditati Operis molem diſtribuit univerſam,

quæ

(53) Atque hoc Opus eſt Saxii Poſthumum, quod nunc luce donatur, tribus voluminibus in 4. comprehenſum hoc titulo. *Archiepiſcoporum Mediolanenſium Series Hiſtorico-Chronologica*, ut ex hujus voluminis fronte videre eſt. Hanc ſumma diligentia texuit, revocavitque ad examen Catalogum præſertim editum a Papebrochio, & Galeſinio, quos ex Criticæ artis regulis & Diplomatum fide conatus eſt vel ſequi, vel emendare. Penſum hoc, & vitam ſub idem fere tempus exegit.

quæ deinde viritim diviſa, multorum opera ac ſtudio erant evolvenda. Reſervaverat autem ſibi Operis caput, *De origine, & Paſtoribus Eccleſiæ noſtræ* inſcribendum: idcirco Vindicias primo de S. Barnabæ Mediolanum adventu ſcribere aggreſſus, collegit deinde quæ ad ceteros Antiſtites pertinerent; ne qui prætuliſſet ceteris ad ſcribendum facem, defuiſſe deinde exemplo crederetur.

Si quas, dum hæc elucubraret, ſucciſivas deinde nactus fuiſſet horas, iis abuti ſub vitæ exitum religioni ſibi duxerat. Quare cum propter tempeſtatis hybernæ injurias raro ad Bibliothecam accederet; cumque puderet, nullum a ſe proditum monumentum extare ſui erga Deiparam obſequii teſtimonium, quo certe ferebatur eximie: impellentibus etiam officiis Demarchi Alexandri Theodori Trivultii, Patricii Viri, religionis, & literaturæ fama celeberrimi, populos excitare novo Opuſculo (54) conatus eſt, eorumque pietatem accendere, qui ad B. V. Mariæ imaginem colendam ad S. Celſi confluunt quotidie. Cycnea hæc veluti fuit Hominis cantio, & impendentis fati prænuncia. Revera dolore ſtomachi acrius recrudeſcente conflictatum cum ſe diceret appetente Vere, tamdem ad XIV. Kal. Majis An. MD-

(54) *Motivi per accendere ſempre più fervoroſa la divozione de' Popoli verſo la B. Vergine, che ſi venera nella Chieſa dedicata al glorioſiſſimo di lei Nome preſſo S. Celſo: Eſpoſti da un Sacerdote Obblato divoto della medeſima.*

MDCCLI. erupit nocturno tempore mali maturitas cum præſentiſſimo vitæ diſcrimine. Facta domeſticorum conterſatione, relevari aliquantulum eſt viſus; ſed Medicorum coacto concilio, anceps de ejus vita redditum reſponſum eſt. Quare Sacris Myſteriis expiatus, refectuſque primùm, inſequenti die certò audiit pronunciatam a Medicis mortis ſententiam. Aſſidebant frequenter morituri lecto primarii hujus Urbis Equites, quorum ſibi virtute ſua ingenioque plurimos devinxerat, & vulgata morbi fama evocaverat: Conſodalium Oblatorum, ejuſque præſertim, qui ſibi a Confeſſionibus erat, officia ad multam etiam noctem protracta non deerant. Demum tertia recurrente nocte, cum jam in præcordiis conceptam mortem contineret, vi mali ingraveſcente eſt obrutus, atque in Conſodalis ſui, aliorumque conſpectu repente efflavit animam. Occupavit adſtantes omnes ingens ex ejus interitu dolor, & Cives omnes deinde perculit emanans mortis rumor. Die poſtero qua per leges licebat pompa funus illi duxere Sacerdotes Oblati, delatumque in S. Sepulcri Templum cadaver dolentiſſimè tumulo intulere; retinuere tamen memoriam ejus meritorum alte animo infixam, & nulla umquam injuria temporum obliterandam. Hæredem poſtremis tabulis ſcripſit, cujus indolem atque ingenium exoſculabatur, ſtudiorum & arcanorum participem Joſeph Mariam Fra-

tris Filium, a ſe Veterum monumentis evolvendis eruditum, probitatis ſuæ imaginem, in Canonicorum Collegium S. Georgii ad Palatium cooptatum. Huic Scripta, Libroſque legavit, ac Muſeum præſertim, quod ex variis ac mirandis Naturæ veluti ludificantis partibus domi collegerat, literarii laboris ſolatium, & eruditi otii oblectamentum.

Incredibile dictu eſt, quantum ſui deſiderium moriens Civibus omnibus reliquerit, cum eſſet apprime omnibus Ordinibus carus cùm propter ſapientiam & comitatem, tum propter morum integritatem ſingularem. In cujus quidem probitatis commendationem libentiſſime delapſum me gaudeo, ne ſuus detrahatur virtuti honos, aut comparatum tam longa ætate morum ornamentum intereat, injuſto ſilentio conſepultum. Fuit ille certe ad amuſſim religionis effictus, quod non minus ex domeſtico ipſius colloquio teſtatum erat, ſed in ipſis Scriptis longe perſpectiſſimum; abfuerunt enim ab ejus elucubrationibus dicteria omnino, atque aculeati ſales, ſi unam excipias, quam celerrime concinnavit, & in qua non ſuum ſequutus ingenium videtur, ſed juſtum defendendi Nobiliſſimi Ordinis ſtudium, cui nihil detrahi neque per ſpeciem vellet. Quare cum ſciret fervidum fortaſſe aliquibus id videri Scriptum poſſe, omni ſtudio contendit, ne maledicendi ſtimulo potius, quàm

Cau-

Cauſæ ſerviviſſe crederetur : hinc ſemper eum, in quem ſcripſiſſe credebatur, favore proſequi conatus eſt, ut ſæpe affirmavit; mihique paulo ante vitæ exitum teſtatus eſt, *toto ſe in eum amore ferri*. Scio eam elucubrationem ab aliis in deteriorem partem fuiſſe acceptam; nec deerunt fortaſſe qui meam hanc ipſam teſtificationem reprehendant, licèt veriſſimam; ſed hoc in loco non ego defenſoris partes ſuſcipio, ſed Scriptoris. Certe mihi ejus ingenii & morum cumprimis conſcio, abſonum a fide non videtur quod dixit; eumquè ſemper fui ſimilem novi. Ceterum præter Scripta, pluribus etiam in locis, muniiſque innocens vitæ illius ratio eluxit; & quamquam laudis amans videretur, mercenario tamen præconio ſemper fuit infenſus. Fuci expers omnino creditus eſt; pecuniæ dumtaxat appetens, ut profunderet. Multis admirationi fuit, quòd cum non admodum opulenta ſtipendia faceret, tamen tantum in pios uſus ad plures annos expenderit, quantum facile annuos ei obvenientes reditus ſuperaret. Floret Viglevani Sacrarum Deo Virginum Monaſterium, quæ ex Sanctæ Thereſiæ inſtituto ad ſanctitatis normam formantur. Huic naſcenti Collegio Patronum attribuerat Saxium Georgius Cattaneus ex eodem Oblatorum Sodalitio, tum ejus Urbis Epiſcopus. Auxit ſingulare hoc vinculum erga domeſticos ſuos amor; nam cum Soror, & ex Fratre Filia idem inſti-

tutum profeſſæ in ea ſe Clauſtra abdidiſſent, omni exinde tempore in ſuſceptum patrocinium Saxius ſuum literarum ſtudiis vacuum tempus, atque cogitationes convertit. Hæc illius redituum; ut alienis verbis utar, vorago fuit: huc ille quod reliquum neceſſarii ſumptus faciebant, totum congeſſit, paratus omnia præter animam dare. Neque reditibus dumtaxat ſuis auxit atque ornavit Collegium; verùm etiam Virginum animis excolendis ſedulo intentus (55), cum autumnalium feriarum tempore ſolutum Bibliothecæ curis haberet animum, illuc ferme quotannis convolabat, & ſacrarum exercitationum adminiculo Virgines corroborabat nobilis inſtitutor, & lectiſſimi gregis paſtor optimus; atque has ille delicias, has ferias appellare conſueverat (56): Quare grata viguit, atque nunc etiam viget apud eas Virgines Saxii virtutum memoria. Etenim cum reſignato illius teſtamento quater mille librarum æris ſummam ſibi ab co-

(55) Collegit diligenter, atque utiliter certe cuſtodit laudatus Joſephi Hæres complurimas ſacrarum meditationum ſintaxes, per certam ſeriem de more diſpoſitas, quas ille ad earum Virginum optimam inſtitutionem elucubravit, deſumptas ex appoſitis ſacrarum Literarum hiſtoriis, & præſertim ex S. Evangelii Parabolis, in quibus cùm ſumma elucet Scriptoris pietas, tum inſigne virtutis eminet magiſterium.

(56) Lepide de hiſce vacationibus ad eumdem aliquando ſcripſit Muratorius. Hic cum literas a Saxio accepiſſet, monente ſe propediem rus cogitare, in hæc verba reſpondit. *Ruſticari ergo te velle dicis. Sed quodnam hoc ruſticandi genus? Viglevanum ſecedere, atque illic in confeſſiones audiendas totos dies abdi. Ruſticationem ego eam credo, quæ ſinit nos libero apertoque cœlo frui. Hæc ſcribo valetudinis amantiſſimus tuæ; tacitus tamen tuæ pietati invideo.*

eodem legatam audiviſſent in Templi ædificationem conferendam, annuum piaculare Sacrum faciendum primo ſponte decreverunt: deinde ne ullo umquam tempore illius meritorum recordatio obſoleſceret, ejuſdem Imagini appingendam, Auctore non ſatis certo concinnatam, hanc inſcriptionem cenſuere:

JOSEPH ANTONIUS SAXIUS SACR. THEOL. ET
J. U. D.
OBLATUS, AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS
MAXIMIS IMPENSIS LABORIBUS
AD LITERARIAM REMPUBLICAM INSTRUENDAM
PROTRACTIS AD ANNOS XL. PATERNI AMORIS CURIS
AD HASCE CARMELI VIRGINES
IN SUSCEPTA PERFECTIONIS SEMITA DIRIGENDAS,
AUCTIS NON PAUCIS
PROPRIO ÆRE
HUJUS MONASTERII ÆDIBUS
IMMORTALIS MEMORIÆ
OBDORMIVIT IN DOMINO ANNO MDCCLI.
ÆTAT. ANNOR. LXXVII.

Neque minores pro Sacrarum Virginum tutela Mediolani illum implicuerunt curæ. Earum Sanctimonialium ad-

m ni-

Digitized by Google

miniſtrationem, quas *Viſitationis* appellant, non recuſavit, plenam licèt ſacræ ſolicitudinis (57): plenum autem ſtomachi munus in Parthenonum aliorum compeſcendis diſſidiis in ſe recepit ſemel atque iterum Archipræſulum juſſu delatum (58). Cumulate vero implevit multarum in ſacram ejus diſciplinam ſe tradentium vota; & nobilium præſertim Matronarum ad plures annos audivit Confeſſiones in S. Sepulcri Templo, quarum cauſa numquam illum piguit a lectione & ſtudiis intempeſtive etiam avelli.

Tanta morum religio ac ſuavitas cum præclara eruditione conjuncta multos deinde pellexit, ut ad ejuſdem vel amicitiam ſe applicarent, vel aſpirarent ad magiſterium: victus ſcilicet Potentiorum precibus animum aliquando adduxit, ut nonnullos generis ſplendo-

re

(57) Qui ex Sancti Franciſci Saleſii inſtitutionibus Præfecti, ut vocant, Spiritualis munus norit, is profecto intelliget, quot luſtrationibus, ſermonibus, & præſertim qua prudentia, & conſilio ea provincia conſtet. Strenue tamen etiam pene confecta ætate eamdem adminiſtravit Saxius; imo maximam pro eadem demandata veluti gratiam retulit, cum iiſdem Virginibus poſtremis tabulis legaverit ſacra univerſa Sanctorum lipſana, quibus ipſe laute admodum domi erat inſtructus, utpote comparatis, cum Romæ eſſet, & Procerum aliorum dono.

(58) Penè calamo exciderat ſingulare arreptum patrocinium Monaſterii S. Mariæ prope Clarium ad Lepontias a Saxio plane ſervati. Tenuis admodum atque anguſta cum illi res eſſet; inierat ſalutare conſilium Benedictus Cardinalis Odeſcalchus, ut vetaret ſubinde, novas alumnas earum Monialium numero accenſeri, & ſic perire ſenſim Parthenonis nomen cum Virginibus ſineret. Modeſte obſtitit Joſeph, quem illius procuratio tenebat obſtrictum; atque in tantum interpoſita conſilio mora profuit, ut paulo poſt ex inſperato legata Monaſterio a Negotiatore in Hiſpaniis extincto haud contemnenda pecuniæ ſumma, abjectum omnino illius extinguendi conſilium fuerit.

re præſertim claros ſolerter erudiret. Numeravit itaque Saxius primi nunc ſubſellii Equites diſcipulos ſuos: Joſeph Arconatum Vicecomitem a Conſiliis in Supremo Italico Concilio, & a penitioribus Mariæ Thereſiæ Reginæ Auguſtæ; Equitem ornatiſſimum D. Antonium ejuſdem Filium; Georgium Antonium de Clericis, ex Magnatibus Hiſpaniarum, Tribunum militum, pugnæ inſtruendæ Præfectum; Hermetem Stampam e Soncini Marchionibus, qui deinde in Olivetanorum Monachorum caſtra ſe recipiens magnam in Philoſophicis & Theologicis ſtudiis famam ſui nominis & ingens deſiderium, præcoce fato ereptus, ſuis, & omnibus reliquit; Comitem Herculem de Sola eruditione ſacra & profana hujus Urbis præclarum decus; Equitem Don Franciſcum Porrum, qui Societati Jeſu dato nomine Civitatem noſtram maxime ornat in præſens; & Servilianum Latuadam ſcriptis editis clarum, Virum, quem nonnulli honoris fortaſſe causâ Saxii pediſſequum appellarunt, & quicum certe ille joca ſeriaque, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia. Plane numquam defatigatam in Joſephi ſtudiis adjuvandis hujus operam vidi; & poſtrema ætate, cum difficilis & gravis illi eſſet uſus manuum atque oculorum, Latuada ſuas manus atque oculos, mentem tamen Saxius ſcribendo accommodabat; neque enim verſatus tamdiu inter libros Scriptor ullam ſine linea diem patiebatur

tor effluere. Diſcipulorum ſuorum pellecturus deinde ingenium ipsâ diſcendarum rerum ſuavitate, modum excogitaverat, quo juvenum indolem laboris ut plurimum impatientem deciperet: ſcilicet Romanorum Hiſtoriam, qua nihil ad Nobilium præſertim mentes erudiendas aut ad laudem & morum honeſtatem, virtutumque normam accomodatius videtur exiſtere, ſtrictim complexus ſcripto, hoc illis offerebat terendum perſæpe manibus, mentique altiùs infigendum, præter ceteras politioris literaturæ illecebras, quibus eoſdem dimiſit excultos. Neque præteribo tacitus ſtudium fovendæ inter Optimates atque Illuſtres Viros eruditionis; quod ut pluribus teſtimoniis compertum eſt, dum auxiliariam veluti Nobilium manum contraheret pro illuſtranda Scriptorum de Rebus Italicis collectione, tum certe luculentiſſime probatum ex Amphictyonico illo, ut ita dicam, Eccleſiaſticorum Virorum conſeſſu, qui ad eum itare conſueverant ſacræ eruditionis ergo hauriendæ. Infinitum verò eſſet ſingulos recenſere, eoſque Eruditos Viros, qui vel ejus opem in promovenda ſtudia paratam implorarunt, vel per literas interpellavere officii amicitiæque cauſa, vel colloquio ac eruditione delectati ſunt. Optavere operam Saxii Tranſalpini complures, inter quos Lipſienſis Gottliel Cortius, Henricus Brencmannus Batavus, Chriſtianus Gotlibius Schwartzius in Academia

Al-

Altorſina Norimbergenſium Hiſtoriæ & humaniorum literarum Profeſſor Publicus, Erneſtus Salomon Cyprianus Saxoniæ Gothanæ Principis Bibliothecæ Præfectus, Gothofredus Philippus de Spannagel Vindobonenſis Cæſareæ Bibliothecæ Præfectus, Abbas Toſinus Amſtelodami degens, Georgius Conradus Sigler Herbipolenſis, Joannes demum Jacobus Leo Tigurinæ Reipublicæ a Secretis. Omitto Italos, inter quos frequentiores literæ occurrunt Celeberrimi Muratorii, Petri Canneti Abbatis, Hieronymi Lilii Senenſis. Infinitum deinde eſſet recenſere Epiſtolas officii, & exiſtimationis plenas ad eum datas, ex quibus facile conſtat, quo ille apud Clariſſimos Viros loco eſſet. Mire in ſe animatos habuit ex Sac. Rom. Cardinalium Collegio Dominicum Paſſionei, Angelum Mariam Quirinium, Joachimum Beſutium, Vincentium Gotti, Gibertum Borromeum, Jo. Franciſcum Barbadicum, Marcellinum Corium, Aloyſium Lucinum, Leandrum Portiam, alioſque; quibus omiſſis inofficioſo tamen ſilentio non involvam Matthæum Petitdidier, Auguſtinum Calmet, in quorum benevolentiam, auctore Dominico Paſſioneo, Pontificio tum apud Helvetios Internuncio (59), irrepſit; alioſque ex quacumque pro-

(59) Quantum in commune vinculum quoddam literarum, & literatorum hominum incubuerit ſemper hic Princeps doctrina plane ac dignitate Eminentiſſimus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, cùm abunde nuper

propemodum Religioſorum Hominum familia Eruditos complures : Conradum Janningum ſcilicet , Thomam Cevam , Joannem Chryſoſtomum Trombelli , Cœleſtinum Lorefice , Gaſparem Beretti , Thomam Minorellum , Benedictum Zuanelli , Bernardum Mariam de Rubeis , Paulum Quaglini , Peregrinum Orlandi , Joſephum Ma-

nuper declaravit encyclicis datis per Europam literis egregiæ ſuæ in ſcientias amplificandas voluntatis prænuncias ; tum hoc præſertim benevoli in Saxium animi teſtimonio. Placet primùm recitare ipſius doctiſſimi Petitdidier literas ad Saxium, quibus hæc Paſſionei officia facit teſtatiſſima.

Clariſſimo & doctiſſimo Viro Joſepho Antonio Saſſi

Matthæus Petitdidier Epiſcopus Macrenſis

Abbas S. Petri Senonenſis in Lotharingia S.

,, Accepi, Vir Clariſſime, literas tuas, quibus de quibuſdam Opuſculis
,, meis ad te per Excellentiſſimum Dominum Nuntium in Helvetia
,, tranſmiſſis gratias agis, meque pluribus tuæ in me amicitiæ ac be-
,, nevolentiæ teſtimoniis proſequeris. Jampridem mihi nota erant per
,, eumdem Dominum Nuntium tua merita, quæ me impulerant, ut
,, Romam pergens te inviſerem: ſed eo tempore quo tranſivi, Me-
,, diolano aberas. Jamvero quod pro exiguo munuſculo tantas gratias
,, agis, majori quàm par erat pretio illud comparas; inſuper & tua
,, Diſſertatione gratiam cumulas. Eam certe cum accepero, & cum
,, aviditate legam, & ut propenſi in me animi tui teſtimonium ſer-
,, vabo. Vale.

,, Dabam Senonis in Lotharingia 4. Junii Anni 1728.

Audi jam ab ipſo Domioico Paſſioneo, quibus ille officiis Saxium Auguſtino Calmet commendaverit. Sic idem Uraniæ cum degeret Pontificius Internuncius ad Joſephum ſcripſit V. Non. Octobr. Anno item MDCCXXVIII.

,, Diſtuli hacteous reſponſum literis tuis, quia quemadmodum pars li-
,, terarum tuarum continebat gratulationem ſuam de electione Ab-
,, batis Senonenſis P. Auguſtini Calmet, in Matthæi Petitdidier locum
,, nuper ſuffecti, ipſum Epiſtolæ tuæ autographon ad eum mittere
,, volui, ut videret quanta ipſe apud te in exiſtimatione eſſet. Reſ-
,, pondit itaque ipſam remittens epiſtolam, addeoſque immortales
,, gratias propter eximiam humanitatem tuam; ſeque profitetur pa-
,, ratiſſimum tibi gratificari &c.

Mariam de Stampa , Jacobum Laderchium , Franciſcum ac Joſephum Blanchinios , Joſeph de Roma , Franciſcum de la Porta , Celſum Migliavacca , ceteroſque , quos conſulto prætereo , ne nimius ſim , non vero ut juſta ulli laus detrahatur . Sileo ſeculi noſtri lumen Apoſtolum Zenum , præſtantiſſimos Medicos Valliſnerium , & Blancum , illum Patavinæ , hunc Taurinenſis Academiæ decus , Scipionem Maffeum , Joſephum S. Martiani Abbatem Commendatar. Malaſpinam , Franciſcum Ariſium , Juſtum Fontaninium , Joannem Mariam Mazzuchelli , Laurentium Mehus , Paulum Gagliardi , Joannem Guaſcum , Cajetanum Vulpium , quos , Tranſalpinis omiſſis , nullo ordine nominavi , ſequutus Epiſtolarum , pro ut mihi in manus venerunt , fidem . Poſtremò Nobilibus Viris apprime carum perpetua ferme Patriciorum noſtrorum declaravere officia . Univerſa teſtis eſt Civitas , quemadmodum in deliciis fuerit Borromeæ præſertim Genti , & Cleliæ Grillæ , Caroli olim Neapolitanorum Pro Regis Nurui , & Sexus ſui , ne dicam Literaturæ miraculo ; Excellentiſſimis Comitibus Carolo Archinto , Carolo Pertuſato , Antonio Simonettæ ; & præſtantiſſimis Equeſtris Ordinis Viris Conſtantio de Abdua , Theodoro Alexandro Trivultio , Vercellino Gregorio Vicecomiti , Hieronymo Puteobonello , Gabrieli Verro , Antonio Joſepho a Turre Rezonici , Donato de

Silva, Paulo de Rio de Sylva, Xaverio Meltio, Fratribus de Herba, & Corbellis, Vermiis, Fanianis, aliiſque, quos longum eſſet recenſere. Hoc unum dicam, quod teſtatur in literis ſuis Muratorius, Sereniſſimos Principes Saxones, cum Mutina iter facerent, Saxii videndi & audiendi deſiderio flagraſſe; & Gallicarum Copiarum Ducem Noaillium multa de Saxio, & magna cum laude colloquutum cum eodem Ateſtinæ Bibliothecæ Præfecto. Quare & Renatus Card. Imperialis, & Sereniſſimus Luſitaniæ Rex Joannes V., ille quidem cum Legatus Pontificis, ut vocant, de Latere Mediolani Carolum Hiſpaniarum Regem, in Germaniam proficiſcentem Anno MDCCXI. deduceret, Ambroſianæ Bibliothecæ originem & progreſſiones brevi Oratione Latina comprehenſas a Saxio, dum eam inviſeret, præſens audivit; hic cum regio, ut ſolebat, animo Bibliothecam Uliſippone inſtruendam curaret, Ambroſianæ ejuſdem Ichnographiam, eâque elegantiorem deſcriptionem etruſco ſermone conceptam multis poſt annis ab eodem accepit (60). Quot vero clariſſimis honorificentiſſimiſque De-

(60) Habitam coram Legato Orationem inter cetera Joſephi MSS. ſervat ejuſdem Hæres, atque illius honorifice meminit Juſtinianus Chiapponi Maſſianenſis S. Baſilii Abbas in Libro, quem inſcripſit: *Legazione dell' Emo e Revmo Sig. Cardinale Giuſeppe Renato Imperiali alla Sacra Real Cattolica Maeſtà di Carlo Terzo Re delle Spagne l'anno 1711. in Roma preſſo Franceſco Gonzaga*. Bibliothecæ verò deſcriptionem in Luſitaniam miſſam iiſdem plane verbis conceptam Cl. Servilianus Latuada in ſuam, quam typis edidit, Mediolanenſis Urbis deſcriptionem intulit.

Decretis ejus nomen honeſtatum voluerint complures in Italia Academiæ, ſupervacaneum non erit commemorare. Singularia penes me extant mandata literis præconia Equitis nobiliſſimi Joannis Franciſci de Semproniis, dum eum accenſeret Urbinatium Academicorum albo, quos *Aſſorditos* appellant; neque minus magnifice de eodem ſenſit Marchio Joannes Baptiſta Corteſius, in Mutinenſium *Diſſonantium* numerum cooptato. Idem præſtitit Abbas Joannes Peregrinus Dandi Forolivienſis penes Franciſcum Farneſium Parmæ & Placentiæ Ducem Theologus, dum *Honoris Literarii* Academiæ catalogo eumdem inferret; & Petrus Franciſcus Bottazzonius ſibi æque ac illi gratulatus, quòd nomen ſuum Academicorum elencho, quos *Diffettuoſos* vocabant, ſiviſſet apponi; ut omittam Marchionis Joannis Petri Lucini Mediolanenſis effuſas laudes, quibus illum proſequutus eſt *Philodoxorum* cœtui adnumeratum. Ambroſianæ demum Bibliothecæ Præſides renovato vetere inſtituto ſtatim ab obitu effingi ejus Imaginem, ceteriſque ſcientiarum fama præſtantibus Viris adjungi, publico decreto ſtatuerunt. Quamquam ut finis ſit, neglectis Italorum, quæ abunde ſuppeterent, teſtimoniis, ut ab omni aſſentationis ſpecie abſim, provocare potius placet ad Tranſalpinorum ſententiam: Trevoltianorum ſcilicet Patrum æquiſſimorum certe de Italorum literatura judicum, qua una Saxii laudes om-

nes

nes videntur comprehenſæ. Illi ad Annum MDCCXLIX. de Saxii *Hiſtoria Mediolanenſi Literario-Typographica* judicium ferentes, in hæc verba erupere: *Maxima eſt apud Italos hujus Scriptoris fama, ſuumque nomen in omnibus ferme per hoſce dies Literariæ Reipublicæ monumentis legitur; eamque perſonam gerit, quam aliàs nos inter Cheſnii, Mabillonii, & Balutii ſuſtinuerunt.*

Digitized by Google

Digitized by Google

VINDICIÆ
DE ADVENTU MEDIOLANUM
S. BARNABÆ APOSTOLI,

AUCTORE

JOSEPH ANTONIO SAXIO

SS. AMBROSII ET CAROLI OBLATO,
COLLEGIO AC BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ
PRÆFECTO,

ITERUM IN LUCEM PRODUCTÆ

AD HUJUS OPERIS COMPLEMENTUM.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS DD.

URBIS PRÆFECTO ET LX. DECURIONIBUS,

GENERALI MEDIOLANENSIS URBIS CONCILIO

JOSEPH ANTONIUS SAXIUS
BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS.

N*Ondum elapſum eſt ſextum luſtrum, ex quo, AMPLISSIMI PATRES, ad Excelſum Tribunal Veſtrum acceſſi, fauſtum nuncium allaturus, me proſperè functum eſſe munere quod ſuſceperam, vindicandi ſcilicet Aris Ambroſianis Corpora Sanctorum Protaſii & Gervaſii Martyrum, quos maximo Civium plauſu, & undique ſtrepentibus miraculis magnus Antiſtes Ambroſius, inclytæ hujus Metropolis conſtituerat Defenſores. Pater Daniel Papebrochius, qui Bollando & Henſchennio, immortalis nominis Viris, in adornandis ad prælum Sanctorum Actis ſucceſſerat, primus contra nos vexillum erexerat, mordicus aſſerens, pretioſa hæc Tutelarium noſtrorum Pignora ceſſiſſe Imperatori Federico Æno-*

barbo in partem prædæ, cùm irâ in Mediolanenſes conceptâ excandeſcens, barbarâ devaſtatione Templa & mœnia dirueret; atque inter cetera feralis odii experimenta Sacris quoque Lipſanis Altaria ſpoliaret. Contra hunc celeberrimum Scriptorem juſſus fui in arenam deſcendere, in qua tam felici exitu depugnare mihi contigit, ut palinodiam publicis typis recantare (raro hiſce temporibus honeſtæ moderationis exemplo) non erubuerit Adverſarius ille doctiſſimus. Hanc ego palmam relatæ victoriæ ante EXCELLENTISSIMUM CONCILIUM VESTRUM deponere neceſſarium tunc duxi; quippe ad commune bonum, ſplendoremque Patriæ triumphus iſte ſpectabat, cui conſervando augendoque, ſolicitudine omni ac vigilantia, non ſine Exterorum invidia Vos præſidetis.

Novum proximè tranſacto Ævo bellum exarſit, eòque acerbius, quòd lucidiorem a Mediolanenſium Religionis Capite gemmam convellere niteretur. Subdidere faces excitando huic igni Scriptores illi, qui principem in Cœtu Literatorum locum tenebant, conſtanter affirmantes, Apoſtolicam a Sancto Barnaba Eccleſiæ Mediolanenſis Originem fruſtra jactari. Mirum eſt, quantum hæc opinio mentes Eruditorum pervaſerit: Ita enim eorumdem animo uſque in hodiernum diem hæſit infixa, ut jam videatur aquam velle contundere qui deſperatæ huic Cauſæ propugnandæ manum apponit; cùm patère omnibus credant, ſpecioſum

hoc

hoc eſſe Civium noſtrorum, affectantium gloriam acceptæ ab Apoſtolo Fidei, Commentum, Æſopianis fabulis accenſendum.

Ne ultro ſerpat injurioſa iſta primordiis noſtris Opinio, curam iterum tutandi hujus Metropolis Aras mihi primò injecit amor Patriæ, dein nobile Eminentiſſimi Cardinalis & Archiepiſcopi JOSEPH PUTEOBONELLI *conſilium, qui rem grandem animo meditatus, Commentaria Ritûs Ambroſiani, hactenus intentata & votis omnium expetita aggreſſus eſt typis parare. Quandoquidem verò de Sanctiſſimo illo Apoſtolo agitur, qui primus in compitis noſtris Chriſti vexillum fixit, & illatâ Evangelii luce denſam infidelitatis caliginem perfregit, novam veluti Urbem in Mediolanenſi Urbe condens, educenda mihi fuit in campum acies validiſſima argumentorum, quæ, non ſecus ac Cæſarum Romanorum* Legio Fulminatrix, *pectus intrepidum adverſis ictibus objiceret; nec referre pedem ſciret, niſi hoſte penitus dejecto ac profligato. Quamcumque tamen fortunam habiturus ſit meus hic labor, eximii muneris loco mihi erit, teſtatum omnibus me feciſſe, non adeo enervem viribus eſſe hanc, tanto ſupra ceteras ſplendore illuſtrem Metropolim, ut in tam conferta manu Adverſariorum, ad abolendum præcipuum ejuſdem decus conſpirantium, ignavi ſilentii pudorem pati poſſit.*

Ve-

Veſtræ benignitatis ac dignationis opus erit, ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI DD., *conatus ſudoreſque meos ſerena frente excipere, meque inter Cives obſequiis veſtris addictiſſimos, ſummoque Patriæ gloriæ amplificandæ ſtudio incenſos adnumerare.*

Ex Ædibus Bibliothecæ Ambroſianæ Pridie Idus Quintiles Anni MDCCXLVIII.

VIN-

VINDICIÆ
DE ADVENTU MEDIOLANUM
S. BARNABÆ APOSTOLI.

Traditio Mediolanenſium proponitur, & propugnatur.

CAPUT I.

SAnctum Apoſtolum Barnabam primum fuiſſe, qui in hanc Metropolim ac Provinciam Evangelii lumen intulerit, Eccleſiæque Mediolanenſis Sedem ſuccedentibus Epiſcopis fixerit, conſtans apud nos eſt Traditio, veterum Annalium auctoritate firmata, & Scriptorum, non Mediolanenſium modò, verum etiam exterorum, dignitate & doctrina illuſtrium, nec ulla ſtudii Partium, vel erga Patriam amoris ſuſpicione laborantium, teſtimonio fulſulta. Notum eſt quid nobis favorabile de hac re a Cæſare Baronio in Annalibus exaratum fuerit ſub annum Chriſti LI.; Ante ipſum tamen ſententiam ſuam protulerat Jacobus Pamelius Burgenſis Canonicus in editis ab ipſo Li-

Digitized by Google

Liturgicis Eccleſiæ Latinæ libris (a); Sanctum Barnabam *Mediolanenſium Apoſtolum* appellans, ubicumque de eodem mentionem agit. In hac veluti Arce, nullis hoſtium aggreſſionibus tentatâ, diutiſſimè conquievimus; donec labente Seculo ſuperiore, & ineunte præſenti; Scriptores nonnulli, magni in Literaria Republica nominis, Papebrochius (b), Mabillonius (c), Tillemontius (d), Bacchinius (e), aliique recentiores minoris notæ, arma ſumpſere, ut decus hoc noſtrum non tam concuterent, ſed commentis etiam annumeratum prorſus delerent. Equidem, cùm hanc Provinciam Ritus Ambroſianæ Eccleſiæ illuſtrandi ſuſcepimus, mens fuerat in hoc limine Operis a diſceptationibus abſtinere; ratio namque Inſtituti noſtri ad Eccleſiaſticam Eruditionem locupletandam ſpectantis, contentioſum ſcribendi genus minimè poſtulabat. Attamen ex quo ſilentium hoc loco ſervatum, videri potuiſſet tacita quædam confeſſio, nos causâ penitus cecidiſſe, præſertim quia plurium mentibus adhuc inſidet opinio, nimis arduum eſſe, contorta in nos a laudatiſſimis Auctoribus tela confringere, neceſſarium cenſuimus Adverſariis occurrere, & quæ ad cauſæ noſtræ tutelam apta eſſe videbuntur, armamenta proferre. An-

(a) Tom. I. pag. 92. editionis anni MDLXXI. &c.
(b) In Actis Sanctorum Bollandi ad diem XI. Junii.
(c) In Muſæo Italico Tom. II. pag. 109. & ſeqq.
(d) In Notis ad Vitam Sancti Barnabæ.
(e) In Lib. de Eccleſ. Hierarch. originib. Part. II. pag. 141. & ſeqq.

Antequam autem ulterius progrediamur, monitos Lectores volumus, minimè nos prodire in hanc arenam, quaſi pro aris & focis dimicaturos; quinimo candore illo, qui honeſtæ fidei Scriptores decet, profitemur, in denſa primorum temporum caligine eam nobis lucem non affulgere, quæ tenebras omnes diſpellat; nec ita nos patimur abripi gloriæ noſtræ propugnandæ fervore, ut Traditionem iſtam venditemus, tamquam Oraculum aut Canonem, cui nefas ſit contraire. Optimè novimus, in tenebricoſo dumiſque conſito tramite ſecurum pedem figi non poſſe; quamobrem transferre huc placet verba illa, quibus in Opuſculo *de Hiſtoria Mediolanenſi* vitam Sancti Barnabæ exorditur Carolus a Baſilica-Petri, vir prudentiâ & doctrinâ ſpectabilis: „ Barnabam Apoſtolum in Urbe Mediolani „ Jeſu Chriſti Evangelium prædicaſſe, Eccleſiæque Mediolanenſi fundamenta jeciſſe, neque ex tam certis „ argumentis affirmare poſſum, ut certiora non cupiam; „ neque rurſus (ùt mihi quidem videtur) ex tam incertis, ut ea quis, licèt gravis hiſtoriæ certæque ſtudioſus, ſit aſpernaturus „. His ita præmiſſis, ad prærogativam noſtram fulciendam, unicam hanc baſim ſtatuimus, *ipſam* videlicet *Traditionem*; eam enim ſi *antiquiſſimam* eſſe, & continenti annorum ſerie in poſteros tranſmiſſam, nulliſque hactenus admotis ad illam

diruendam machinis, verè concuſſam & labefactatam fuiſſe oſtenderimus, probus quiſque intelliget, ſatis ſuperque a nobis actum, ne vigens per tot ſecula ejuſdem poſſeſſio, veluti umbra & fumus ab oculis evaneſcat.

Neque exemplis caremus. Gulielmus Cuperus Societatis Jeſu profectionem Sancti Jacobi in Hiſpanias (prædicationis Evangelicæ causâ) contra Baronium, & Natalem Alexandrum propugnaturus, in Actis Sanctorum Bollandi ad diem XXV. Julii, paragraphum tertium inſtituit, hoc titulo: *Prædicatio Sancti Jacobi in Hiſpania potiſſimùm Traditione nititur*; Gaſpar verò Sanctius, in diſputatione de argumento eodem, Caput primum ſecundi Tractatus ita exorditur. „ Si pro *Hiſpanorum* cauſa nihil ſtaret, præter Traditionem omni „ memoria ſuperiorem, ſatis putaretur habere præſidii, „ quia communis conſpiranſque conſenſio, nullo interrupta tempore, eam habet auctoritatem, quam nulla niſi magna, aut inconcuſſa fides convellere, aut „ infirmare poſſit; quam ſi de medio tollas, cadant „ neceſſe eſt illorum plurima, quæ nunc religioſè ſervat Eccleſia „. Prælaudatus Natalis Alexander appulſum Beatæ Mariæ Magdalenæ cum Sorore ac Fratre in Gallias, licèt deſtitutum uſque ad Seculum VIII. teſtimoniis Scriptorum, ſola Traditione defendit, hæc in

Diſ-

Diſſertatione XIII. Seculi I. Sectione I. ſcribens: „ In
„ veteri quidem Hiſtoria Eccleſiaſtica nullum eſt hujus
„ rei, & appulſus Sanctarum Sororum cum Fratre in
„ Provinciam teſtimonium; ſed illius teſtis eſt Eccle-
„ ſiarum Provinciæ Traditio, iis fulta monumentis,
„ quæ ſimul ſumpta non levis ponderis ſunt, & quibus
„ nihil eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica, quod expreſsè re-
„ pugnet „. Et paulò poſt profitetur, ſuſceptas fuiſſe
ab ipſo has partes, eo quòd „ Catholici ac religioſi
„ Theologi officium eſſe duceret, Traditiones Eccleſia-
„ rum, ubi de illarum originibus agitur, ſequi potius
„ quàm evertere „. Eamdem Traditionem Maſſilien-
ſium propugnant Bollandi Sectatores ad diem XXII. Ju-
lii in Actis Sanctorum, ſed non adeo pugnaci calamo,
ùt Natalis Alexander; contenti namque fuere hunc ti-
tulum Diſſertationi ab ipſis vulgatæ apponere: *Poſſeſſio
Provincialium hactenus veroſimillima*: Subjungentes „ ni-
„ hil in hac Traditione occurrere, quod veroſimilitu-
„ dinem ſuperet; nihil quod probatis Eccleſiaſticis mo-
„ numentis repugnet; nihil quod cum ea appoſitè non
„ conveniat „. Quinimo Launoyum reprehendunt, qui
primus contra illam vexillum erexit, Diſſertationem in
lucem emittens *de commentitio Magdalenæ in Provinciam
appulſu*; id enim erat (ùt ipſi ajunt) „ fundamenta
„ ſuffodere fidei & pietatis Provinciæ, erga Cœlites

„ ſuos Tutelares „ inanibus conjecturis, & falſo Græcorum teſtimonio, qui eamdem Epheſi mortuam & ſepultam voluere. Plura alia in promptu eſſent ejuſmodi exempla; cùm Eccleſiæ permultæ, peculiaribus decoratæ ornamentis ſupra ceteras emicent, quorum nec origo patet, nec antiqua ſuppetunt documenta, ſola eſt, memoriam omnem vincens Traditio, præſidium. Cur ergo Mediolano non liceat, quod Maſſiliæ in Galliis, Cæſarauguſtæ in Hiſpaniis, totque aliis Eccleſiis licet, tranſmiſsâ ſcilicet a vetuſtis Majoribus ad hanc ætatem Traditione Apoſtolicæ originis, Eccleſiæ ſuæ gloriam tutari?

De Antiquitate hujus Traditionis.

CAPUT II.

JAm verò, ut quæ ſpopondimus impleamus, opus eſt compertum facere, Traditionem iſtam verè *antiquiſſimam* eſſe appellandam; Tillemontius namque, Bacchinius, aliique decus hoc explodunt, tamquam Inventum recentium Scriptorum, qui exornandæ Patriæ ſuæ cupiditate incenſi antiquis illuſtribus Metropolis Mediolanenſis prærogativis, hanc etiam ſplendidiſſimam addidere. Cl. Muratorius, in ſecunda Parte Primi voluminis

nis Scriptorum Italiæ, vulgavit *Opuſculum de Situ Civitatis Mediolani*, unà cum Vitis priorum Mediolanenſium Antiſtitum ab Anonymo Auctore confectum: Quærens autem in Præfatione, quo tempore Hiſtoriam hanc ille ſcripſerit, ſolidis fundamentis innixus ſtatuit, eumdem Seculo IX. a Chriſto nato, vel ſaltem X. Opus ſuum exaraſſe; quinimo loquens de Barnabæ adventu in Italiam & Mediolanum, ibidem fusè deſcripto, ſubjungit, minimè cenſendum eſſe, ab Auctore iſto primùm fluxiſſe opinionem fundatæ per Sanctum Barnabam Mediolanenſis Eccleſiæ; ſiquidem quæ de hac Apoſtolica inſtitutione retulerat, *ex diverſis utriuſque Linguæ paginis* ſe collegiſſe, Scriptor ipſe teſtatur; quamobrem non veretur affirmare, *vetuſtiſſimam* hac de re *Mediolanenſium Traditionem eſſe dicendam*. Et ſanè jure optimo hæc vetuſtas aſſeritur; ſi enim ad ſuperiores ætate *paginas Linguæ utriuſque* provocat Scriptor ille, ut fidem ſuam liberet, rebuſque ab ipſo narratis auctoritatem conciliet, nullus dubio locus relinquitur, ab VIII. ſaltem Seculo repetendam eſſe Traditionis noſtræ famam; præſertim, cùm antiquitatem iſtam nobis minimè invideat Bacchinius, qui ſcribens, *nihil* de adventu Barnabæ Mediolanum *inveniri in Eccleſiaſticis documentis uſque ad VIII. Seculum*, tacitè confitetur illa tunc extitiſſe (*a*).

Nec

(*a*) In Lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. originib. Part. II. pag. 341. num. IX.

Nec quidquam negotii nobis faceſſit quorumdam reſponſio, paginas nempe ab Anonymo commemoratas nihil aliud eſſe, quàm fabuloſos damnatoſque Pſeudo-Clementis & Dorothæi Codices, adeoque nullum adſtrui poſſe ad vetuſtatem Traditionis noſtræ comprobandam ex iis (ùt ajunt) quiſquiliis ſolidum fundamentum, cùm inficiari minimè valeamus in hac Anonymi Mediolanenſis Hiſtoria quædam occurrere, quæ memoratis apocryphis libris inſerta leguntur.

Verùm, ſi rem ſincerè expendamus, quis vadem ſe præbeat hujuſmodi Adverſariorum aſſertionis, cùm, Anonymo non indicante quænam paginæ illæ forent, quas ipſe præ oculis habuit, incertum prorſus maneat, an Dorothæi tantùm Synopſi, an aliis etiam Græcis Codicibus, qui tunc ſuperſtites eſſent, uſus fuerit Scriptor hic noſter? Præterea clarum nimis eſt teſtimonium ejuſdem profitentis, ſe non a Græcis ſolùm, ſed etiam a Latinis (id enim exprimunt verba illa: *Utriuſque linguæ*) documentis ea quæ ſcripſerat derivaſſe. Quis autem ignoret, quàm multa apud nos extiterint hiſtorica monumenta, & elaborata ab antiquiſſimis Majoribus Chronica, Patriæ res geſtas, Sanctique Barnabæ ad Mediolanenſem Urbem adventum narrantia, quæ poſtmodum vorax tempus abſumpſit? Longum Hiſtoricorum Catalogum contexuit Cl. Muratorius, in Præfatione

Primi

Primi voluminis *Scriptorum Italiæ*, ex ſolo Galvaneo Flamma deſcriptum, quorum vix nomen ſupereſt, paucaque admodum eorumdem ſcripta ad noſtra uſque tempora feliciter pervenere. Nonnulla etiam Calendaria & Hiſtorias, quæ ſummam antiquitatem ſapiunt, Gothofredus de Buſſero, quingentis ab hinc annis Vitas Sanctorum Mediolani ſcribens, retulit; earumque ſeriem & nomina Auctorum, ex ejuſdem autographo in Bibliotheca Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ ſervato decerpta, ibidem adnotat laudatus Muratorius; dolens tot veteres Codices, e quibus plura diſcere potuiſſemus, jacturâ numquam reparandâ periiſſe.

Itaque quàm futili conjectura contra nos agunt, qui Anonymum ad Clementem tantùm & Dorothæum reſpexiſſe contendunt? Velle autem conſtanter aſſerere, etiam Latinos, quos ille conſuluit Scriptores a cœnoſis iis fontibus Hiſtoriam hanc ebibiſſe, nimis præjudicatam in Mediolanenſes mentem oſtendit, ſanæque Artis Criticæ fines longè tranſgreditur. Quis enim de Auctoribus eorumque ſcriptis, quæ oculos jam effugêre, abſque ullo fidei & antiquitatis illorum examine, juſtam ferre poſſit ſententiam? Præcipuè cùm apud omnes receptа ſit regula, potiorem fidem habendam eſſe iis, qui in Patria & de Patria ſcripſere, quàm exteris; niſi ad eam elidendam, contrarium aliquod inconcuſſæ veritatis teſtimonium emergat. Ve-

Verùm ut ad rem noſtram redeamus, ſi quis a nobis expoſcat, quid ex allatis hactenus ſit colligendum, nihil aliud dicimus, quàm quod primò comprobandum ſuſcepimus, Mediolanenſem nempe Traditionem de Sancto Barnaba, memoriam omnem præcedentium ætatum excedere, proinde verò *Antiquiſſimæ* titulum jure ac merito promereri.

An autem vetuſtior etiam Seculo VIII. ab ipſis Adverſariis ſtatuto, dicenda ſit hæc Traditio, affirmare non audemus; cùm deperditis, qui conſcripti de hac re olim fuerant, libris, nonniſi ſpiſſa undique occurrat caligo. Si vera foret Papebrochii opinio in Exegeſi ad Catalogum Mediolanenſium Antiſtitum impreſſa, Vitas nempe primorum Mediolanenſium Epiſcoporum, quæ in Ambroſiano Codice, unà cum eodem Catalogo leguntur, fuiſſe compoſitas Seculo VI., dilucidè comprobata foret ſuperior ad illud Seculum noſtræ Traditionis antiquitas; in ea namque diſertis verbis adventus Sancti Barnabæ in Italiam, & fundata ipſius prædicatione Mediolanenſis Eccleſia deſcribitur; nec dubio locus eſt, eamdem a Cive noſtro fuiſſe contextam. Attamen laudatus Muratorius in Præfatione jam memorata manifeſtè oſtendit, tantam huic Auctori antiquitatem immeritò affigi. Itaque alteram opinionem, ab eodem Papebrochio vulgatam in Commentariis Sancti Barnabæ

nabæ ad diem XI. Junii, referre lubet; data videlicet pace Eccleſiæ a Conſtantino Magno, quæſitos obtentoſque fuiſſe a Mediolanenſibus Civibus Sacros Cineres Sancti hujus Apoſtoli (non quidem corporis, intacti divinitus ſervati, ſed rogi in quem conjectum a Judæis fuerat, ut flammis abſumeretur); poſtmodum verò, cùm divina revelatione repertum eſſet Corpus integrum Salaminæ in Cypro, anno CDLXXVIII. miſſos fuiſſe a Civibus noſtris in eam Urbem Legatos, ut Sancti Barnabæ Caput a loci illius Incolis impetrarent; idque, ſi non eodem tempore, ſaltem Seculo VII. (ùt veriſimilius cenſet) contigiſſe aſſeverat. Certè tum Cineres, tum Caput Sancti Barnabæ Mediolani religiosè coluntur, eorumque Translationem celebravit ſolemni pompa Sanctus Carolus Borromeus, anno MDLXXI. XVIII. Calendas Octobris: quo die non habuit concionem jam paratam ob tarditatem horæ, quemadmodum conſtat ex Libris Arborum ab ipſo manu propria conſcriptis, qui in Bibliotheca Ambroſiana religiosè aſſervantur. Proinde ſi Papebrochio hæc docenti præbendæ ſunt aures, juſtè inquirendum remanet, quid umquam in cauſa fuerit, cur tanta ſolicitudine, ac publicâ etiam inſtituta Legatione, Mediolanenſis Eccleſia curaverit, ut S. Barnabæ reliquiis exornaretur? Porro non alia congruentior ratio obvia cuilibet fiet, niſi quòd emortua penè

memoria propagatæ in Urbe noſtra ab hoc Apoſtolo Catholicæ Fidei, feliciſſimo accepto prædictæ Inventionis nuncio excitata revixerit, atque ad Sacrum hunc theſaurum comparandum Civium Mediolanenſium animos inflammaverit. Hoc poſito, quis non videt, altiores ſupra Seculum VIII. radices Traditionis ſuæ oſtentare poſſe Mediolanenſem Metropolim? Nihilominus ſincerè profitemur, adnotata hoc loco iſta fuiſſe, non ut infido nutantique huic lapidi, quem nullo veteri teſte Papebrochius firmat, inniti nos velle aliquis credat; ſed ut inde pateat, ad Traditionem noſtram validiùs propugnandam arma peti poſſe ab ipſo Adverſario; cùm eidem Traditioni, ultra quàm nobis in animo ſit, remotiora exordia is figere videatur.

Exploditur opinio, quæ initium Traditionis Mediolanenſium antiquo Schiſmati Angilberti affigit.

CAPUT III.

AUctor recentiſſimus de Apoſtolatu Mediolanenſi Sancti Barnabæ (*a*), ut antiquam Traditionem noſtram enervet, eam ab infecta radice ortum habuiſſe contendit. Ad hanc autem ſtatuendam opinionem præmittit,

(*a*) In Diſſertatione peculiari, ab ipſo conſcripta.

mittit, Eccleſiam Mediolanenſem divexatam fuiſſe a
fœdo Schiſmate, quod incœptum anno DCCCXLIV.
eam per ducentos annos a Romanæ Sedis obedientia
divulſam tenuit: idque firmare nititur auctoritate Sigo-
nii, aliorumque non incelebrium Scriptorum, ſubjun-
gens: „ Non multum a vero aberraverit, qui dixerit,
„ opinionem de Barnabæ Apoſtolatu Mediolanenſi, oc-
„ caſione relati Schiſmatis, atque a Schiſmaticis homi-
„ nibus eſſe invectam; id enim ſemper in more fuit
„ apud Schiſmaticos, ſuarum Eccleſiarum exordia ad
„ Apoſtolos referre, ut collatâ cum Romana Eccleſia
„ dignitate originis, ejus obedientiam ſpecioſiùs abjice-
„ rent „; hujuſque rei exempla producit. Equidem in-
juſta hæc fama, non tam per ora hominum traducta
fuit, ſed etiam literis conſignata ab exteris, domeſticiſ-
que Scriptoribus. Refert illam Sigonius in Hiſtoria Ita-
liæ ad annum DCCCXLIV. his verbis: „ Eodem anno
„ Angilbertus Mediolanenſis Archiepiſcopus ab Eccleſia
„ Romana, parum comperta de cauſa deſcivit; tantum-
„ que exemplo impoſterum valuit, ut nonniſi poſt du-
„ centos annos Eccleſia Mediolanenſis ad Romanæ obe-
„ dientiam auctoritatemque redierit „: Eamdem cæcis
oculis amplexi ſunt Morigia, Ripamontius, Ughellus,
aliique.

Verùm quàm falſò hæc omnia prolata ſint atque

ſcripta, ex infra adducendis luce clariùs patebit. Primò enim, ad mendacem famam Schiſmatis eo anno ab Angilberto excitati prorſus convellendam, abunde ſufficere poſſet tum veterum de illo Hiſtoriarum ſilentium, tum religioſiſſimæ vitæ integritas, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervandæ ſtudium, quod Angilbertus ſexto poſt anno, ideſt DCCCL., oſtendit in Ticinenſi Concilio ab ipſo celebrato, in quo vigintiquinque Canones condidit ad mores tum Populi, tum Cleri componendos; & in altero pariter Ticinenſi habito anno DCCCLV.: quæ omnia refert Labbeus Tom. VIII. Conciliorum. Quinimo validiſſima ſuppetunt documenta, quæ puram putam fabulam eſſe, Schiſma memoratum evincunt. Plura eorum collegit Joannes Petrus Puricellus in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ: Nos pauca tantùm referemus, deſumpta ex Epiſtolis Summorum Pontificum, Conciliis, Hiſtoriiſque. Nicolaus I. Pontifex Maximus inſigne hoc teſtimonium de Thadone, (qui Angilberto defuncto ſuffectus fuerat Mediolanenſis Archiepiſcopus) inſeruit Decreto II. Concilii Romani III., anno DCCCLXIII. habiti in Lateranenſi Palatio his verbis: „ Sententiam, quam a Sede Apoſtolica in Engeltrudem „ uxorem Boſonis Sanctiſſimus Frater noſter Mediolanenſis Archiepiſcopus Thado, & ceteri Coëpiſcopi noſtri petierant emittendam, & nos divino ſuccenſi zelo

„ ſub

„ ſub anathematis obteſtatione canonicè protuleramus &c. Quando autem iſta contigerint explicat Nicolaus ipſe in Epiſtola LVIII. ad Epiſcopos, in Regno Ludovici Regis conſtitutos, quæ a Labbeo recitatur; in illa enim Summus Pontifex hæc ſcribit: „ Juſſum eſt, Mediolani
„ Epiſcoporum Concilium fieri, ad quod ipſa (*nempe*
„ *Engeltrudis adultera*) vocata, ſi certo tempore non
„ occurreret, ab ipſo Sacrato Collegio vinculis anathe-
„ matis vinciretur; quodque illâ ſtatuto tempore non
„ occurrente patratum eſt, ſententiamque in ipſam a
„ Synodo, *auctoritate noſtra convocata*, nos quoque,
„ ùt Sacri Canones præcipiunt, conſenſu noſtro firma-
„ vimus.

Anſpertus Thadonis ſucceſſor Synodum celebravit in Urbe Ticinenſi anno DCCCLXXVI., ut in Italiæ Regem Carolus Calvus inaugutaretur; primum autem Canonem, omnium Epiſcoporum ſuffragiis accedentibus, condidit in hæc verba: „ Ut Sancta Romana Eccleſia,
„ ſicut eſt Caput omnium Eccleſiarum, ita ab omnibus
„ honoretur & veneretur; neque quiſquam contra jus
„ & poteſtatem ipſius aliquid injuſtè agere præſumat:
„ ſed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro Uni-
„ verſali Eccleſia Paſtoralem exhibere curam, atque ſa-
„ cris precibus omnium pro omnibus interpellare Au-
„ ctorem „. Subinde ſtatuere proſequitur: „ Ut honor
„ Do-

„ Domno & Spiritali Patri noſtro Joanni Summo Pon-
„ tifici, & Univerſali Papæ ab omnibus conſervetur;
„ & quæ ſecundùm ſacrum miniſterium ſuum auctori-
„ tate Apoſtolica decreverit, cum ſumma veneratione
„ ab omnibus ſuſcipiantur, & debita illi obedientia in
„ omnibus conſervetur „. Edita eſt hæc Synodus locupletior eâ, quæ apud Labbeum Tomo VIII. Conciliorum legitur, in ſecunda Parte Primi Voluminis Scriptorum Italiæ ex MS. Codice Bibliothecæ Ambroſianæ.

Summus idem Pontifex Joannes VIII. ſcribens *Reverendiſſimo, ac Sanctiſſimo Confratri Anſperto venerabili Archiepiſcopo Mediolani* epiſtolam, numero CXXVII. apud Labbeum, hæc habet: „ Quoniam probata fides
„ *omnium Prædeceſſorum tuorum* erga Romanum Pontifi-
„ cem, tua Fraternitas omnimodis ſtudeat eorum in
„ omnibus aſſequi veſtigia „. Clariùs loquitur in altera epiſtola ad eumdem data, numero CCLVI. his verbis:
„ Decuerat te Frater cariſſime, pura animi ſinceritate
„ eam reverentiam, eumque honorem Sanctæ Sedi Apo-
„ ſtolicæ, cui Deo auctore præſidemus, quotidie im-
„ pendere: quæ uſque ad tua tempora *omnes tui Præ-*
„ *deceſſores laudabiliter viventes, huic Eccleſiæ obtulerunt*,
„ pronâ mentis devotione „. Quandoquidem verò Anſpertus ipſe contumax fuerat non adimplens ejuſdem præcepta, eum inobedientiæ arguit, atque iterum præcipit,

ut

ut Rhodoaldum & Warlenum Monachos, quos injuſtè in carcerem conjecerat, ad eorum Monaſterium honorificè remittat.

Porro quis umquam ſomniare poſſit hæc omnia, tum in Conciliis, tum in Epiſtolis a Pontificibus Maximis tanta conſenſione pronunciata, componi poſſe cum Schiſmate bis centum annorum Eccleſiæ Ambroſianæ, incœpto ab Angilberto, atque ad ſubſequentes Epiſcopos Mediolanenſes non interrupta ſerie tranſmiſſo? Verum quidem eſt, Anſpertum hunc a Joannis VIII. obedientia receſſiſſe; de illo enim in eadem Epiſtola proximè allata, ita conqueritur Pontifex Maximus: „ Contra „ Sanctam Romanam Eccleſiam Matrem tuam non de„ ſtitiſti nunc inobediens, nunc doloſus te patefacere „: Attamen privatum hoc fuit Anſperti piaculum, non univerſæ Mediolanenſis Eccleſiæ; ſiquidem, cùm eum contra monita ſua contumacem Joannes depoſuiſſet ab Epiſcopali dignitate in Synodo Romæ habita, epiſtolam dedit ad Clerum Mediolanenſem, quæ eſt CCXXI., data Indictione XIII., ideſt anno DCCCLXXX., & in Labbeo legitur; præcipiens „ ut omnes uno animo, uno„ que voto convenientes, atque convocantes Paſtores, „ vel Populum Civitatis de electione alterius, qui de „ Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconibus dignior fue„ rit repertus, cum Chriſti ſolatio ad Archiepiſcopatus „ ho-

„ honorem promoveret „ : Quinimo Legatos ſe miſſurum teſtatur, qui vice Summi Pontificis, unà cum univerſo Clero electionem peragerent. Non igitur eo tempore Mediolanenſis Eccleſia divulſa cenſebatur ab obedientia Romani Pontificis. Adde, Anſpertum ipſum pœnitentia ductum, ſe ſe Apoſtolicæ Sedi reverenter ſubdidiſſe, ùt ex epiſtolis ejuſdem Joannis VIII., nempe CCLX. ad Anſpertum, & ſequenti ad Anſelmum Mediolanenſem Archidiaconum datis, Indictione XIV. ideſt anno DCCCLXXXI., in quibus & illum Archiepiſcopum Mediolanenſem appellat, & Anſelmo jubet, ut *Anſperto Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Reverendiſſimo Archiepiſcopo* obedientiam præſtet, manifeſtè colligitur.

Daniel Papebrochius, cùm apertiſſimis hiſce Summorum Pontificum teſtimoniis refragari minimè poſſet, alteram iniit viam, ut decantatum hoc Schiſma Mediolanenſis Eccleſiæ propugnaret. In Propilæo namque menſis Maji vitam Stephani IX. in qua diuturnæ iſtius Mediolanenſis inobedientiæ fit mentio, commentariis illuſtrans hæc ſcribit: „ Conatur Puricellus defectionem „ Angelberti, totque Succeſſorum explodere ùt com- „ mentitiam; ſed ejus rationes aliud non evincunt, „ quàm eam non fuiſſe *poſitivam*, ùt ajunt, quæ verè „ Schiſmaticos conſtitueret, ſed merè *negativam*, ſitam „ in omiſſione nuda petendi Pallii: & hac ipſa poſt an-

„ nos

„ nos circiter ducentum correctâ ab Heriberto, per-
„ manſit obedientia Mediolani „. Cur autem id excogitaverit, ſeu potius divinare contenderit Papebrochius, in cauſa fuit imago ære inciſa memorati Heriberti Mediolanenſis Archiepiſcopi, ab Ughello inſerta Tomo IV. Italiæ Sacræ, quæ Pallio amictum hunc Antiſtitem repræſentat; quamobrem ſubdit: „ Hoc mihi argumento
„ eſt, primum hunc fuiſſe, qui uſum petendi Româ
„ Pallii in ſignum ſubjectionis, per annos ferè ducen-
„ tum prætermiſſum, renovavit anno X. Epiſcopatus
„ ſui; Chriſti MXXV. „. Ut autem omnia novæ huic ſuæ opinioni accommodet, uſque ad Angilbertum excurrit, hujus (ùt falsò creditur) ſeditionis auctorem, eumque, ait, fretum gratia Lotharii Italiæ Regis, parum benevoli erga Gregorium IV. Summum Pontificem, eò quòd Patri ejus Ludovico Pio, contra rebelles filios impensè faveret, neglexiſſe Pallium petere à Romano Pontifice „ injuriam diſſimulante Gregorio, ne
„ Lotharium graviùs irritaret: cùmque eâ pervicaciâ
„ longo XXVIII. annorum, quibus præfuit tractu, ve-
„ luti in jus præſcriptum tranſiſſet, Succeſſores Epiſco-
„ pos ſimili modo potiùs abſtinuiſſe a Pallio, quàm il-
„ lud cum ſubjectionis profeſſione peterent;„. Univerſam tamen hanc conjecturarum ſtruem, ingeniosè à Papebrochio contextam funditus evertit Hiſtoria Pontifi-

cum Tungrenſium, Trajectenſium, & Leodienſium Epiſcoporum, quam tribus voluminibus comprehenſam publici juris fecit Joannes Chapeaville Leodii anno MDCXII. Siquidem in ea legitur epiſtola Ratherii, Veronenſis Epiſcopi ad Joannem XII. Summum Pontificem ſcripta, & relata ab eodem Chapeaville in adnotationibus ad Caput XLV. pag. 179., in qua Ratherius loquens de Hilduino, e Veronenſi Sede ad Archiepiſcopalem Mediolani Cathedram aſſumpto, teſtatur „ ſe reverſum „ a Romana Sede, peracta Legatione, tuliſſe privile„ gium pro jam dicto Domino Hilduino actum, cum „ *Archiepiſcopali Pallio* „. Non igitur primus fuit Heribertus, qui in ſubjectionis Eccleſiæ Romanæ ſignum, Archiepiſcopale Pallium petierit; Hilduinus enim eodem inſignitus a Pontifice Maximo Joanne XII., ferme integro Seculo Heribertum anteceſſit.

Itaque ſubverſo undequaque fundamento Schiſmatis Mediolanenſis, quod omnino fictitium eſſe hactenus comprobavimus, corruat neceſſe eſt, ſubſtructa eidem calumnia nobis afficta, quòd nempe tunc primùm apud nos cuſa ſit fabula inſtitutæ a Sancto Barnaba Eccleſiæ Ambroſianæ, ad obvelandam nobili hoc titulo arrogantis criminis fœditatem. Sed etiam hoc omiſſo, quis defæcatum ferens animum ſuadere ſibi valeat, excogitatum fuiſſe a Civibus noſtris glorioſum commentum Apo-

ſto-

ſtolicæ Originis ſub medium Seculi IX., quo defectionem a Romanæ Sedis obedientia molitus dicitur Archiepiſcopus Angilbertus; cùm jam compertum fecerimus, Adverſariis etiam conſentientibus, centum ſaltem annis antea, nempe Seculo præcedente invaluiſſe apud nos famam de adventu Sancti Barnabæ Mediolanum?

Probè tamen animadvertimus, quid ab aliquibus reponatur, parùm videlicet intereſſe, utrum uno vel altero Seculo audiri cœperit ignota ſuperioribus ætatibus hujuſmodi opinio, dummodo palam fiat, eam in Mediolanenſium officina fuiſſe conflatam. Verùm qui ita differunt, conanturque univerſam aſſertæ hujus gloriæ invidiam in Cives noſtros refundere, obliviofos ſe eſſe fateantur neceſſe eſt; cùm ipſimet tanto verborum ſtrepitu damnent *Synopſim de vita & morte Prophetarum, Apoſtolorum, & LXXII. Diſcipulorum* inſertam Tomo III. Bibliothecæ Patrum, & ſub falſo Dorothæi Epiſcopi Tyrii & Martyris nomine vulgatam; in ea namque iſta leguntur: „ Barnabas cum Paulo verbi miniſter conſti-„ tutus, primus Romæ Chriſtum prædicavit, & poſtea „ Mediolanenſium Epiſcopus factus eſt „. Equidem hanc hiſtoriam, rejectam in cenſum fabularum a Bellarmino, Poſſevino, Labbeo, aliiſque omnibus eruditis Viris minimè nos tueri contendimus. Qui tamen eamdem confinxiſſe creditur in gratiam Conſtantinopolitanæ Eccle-

ſiæ, Primatum antiquitatis ſupra Romanam jactantis, ſe illam ſcripſiſſe teſtatur, *Philoxeno & Probo* Conſulibus, id eſt anno DXXV., ùt Conradus Janingus in Vita Sancti Metrophanis ad diem IV. Junii in Actis Sanctorum Bollandi adnotavit, ſeu DXXVI. ùt vult Gulielmus Cave in Hiſtoria literaria Seculi III. Proinde, licèt infirma admodum ſit ejuſdem auctoritas, ad Traditionem noſtram validè confirmandam, id tamen apertiſſimè evincit, non primò hanc vocem audiri Mediolani cœpiſſe, atque a Civibus noſtris fuiſſe tranſmiſſam ad exteros Scriptores, qui eam credulo calamo libris ſuis inſeruere; cùm Auctor ille Græcus origine, ac remotiſſimè a nobis poſitus illam vulgaverit, quatuor centum integris annis ante ſomniatum Schiſma Angilberti; ſique divinare liceat, eam non proprio cerebro effinxerit, ſed ex aliqua renaſcente, poſt repertum Salaminæ Sancti Barnabæ Corpus, famâ ejuſdem itinerum per Italicas ac Inſubricas oras, literis conſignaverit. Sed hæc ſomniis accenſeat qui velit; neque enim pedem hìc figimus, cùm nobis ſatis ſit, inventæ primùm Mediolani hujus (ùt Adverſarii decantant) fabulæ probrum Metropoli noſtræ appictum aboleviſſe.

An

An Traditioni Mediolanenſi quidquam officiat ſilentium Sancti Ambroſii .

CAPUT IV.

DEpulſo ab hac Metropoli (clarè ſatis , ùt arbitramur) dedecore obſtinatiſſimi Schiſmatis a memorato Archiepiſcopo inſtituti , & confictæ a noſtris Civibus Apoſtolicæ Originis Eccleſiæ Mediolanenſis , feriò expendendum remanet , an argumenta ab inſignis eruditionis Viris ſuperiùs memoratis producta tanti ponderis ſint , ut non extenuare ſolùm , ſed etiam prorſus convellere valeant vetuſtiſſimam , quam oſtendimus Mediolanenſium Traditionem . Primum quo noſtrum decus adoriuntur laudati doctiſſimi Scriptores , eſt ineluctabile teſtimonium Sancti Ambroſii , qui in Sermone contra Auxentium *de tradendis Baſilicis* , hæc habet : „ Abſit „ ut tradam hæreditatem Patrum , hoc eſt hæreditatem „ Dionyſii , qui in exilio cauſâ Fidei defunctus eſt , hæ„ reditatem Euſtorgii Confeſſoris , hæreditatem Miroclis , „ atque omnium retro fidelium Epiſcoporum „. Silentium hoc celeberrimi hujus Mediolanenſis Epiſcopi de Sancto Barnaba , tamquam Achillem fortiſſimum , in aciem educunt , atque uno omnes ore deprædicant , de

Tra-

Traditione noſtra conclamatum jam eſſe. Quid enim (ajunt) opportunius erat ad proterendam Arianorum inſolentiam, quàm Apoſtolicam vocare hæreditatem illam Portianæ aut Novæ Baſilicæ, in alterutram quarum ſe intrudere conabatur Arianorum protervia? Num fortè ſatis non fuiſſet Ambroſio unicum Barnabæ nomen exprimere, ut nefas eſſe comprobaret, relictam ſibi ab Apoſtolo hæreditatem ad Catholicæ Fidei hoſtes transferre? Præterea ſi ortum duxiſſet Mediolanenſis Eccleſia a Sancto Barnaba, quis non videt, quamdam injuriæ ſpeciem præferre potuiſſe formulam illam Ambroſii: *atque omnium retro fidelium Epiſcoporum*, ac ſi Apoſtolum, multò excellentiorem Epiſcopis Dignitate & munere, cum univerſo Prædeceſſorum ſuorum Cœtu involvere ac confundere voluiſſet? Proinde Bacchinius in hæc verba erumpit: „ Prodigio ſimile eſt, quòd & „ Barnabæ hæreditatem non dixerit, quem recentiores „ Eccleſiæ Fundatorem laudant, ſed nec de Barnaba „ tamquam Eccleſiæ ac Metropolis Mediolanenſis primo „ Epiſcopo, verbum habeat Ambroſius, qui diverſis in „ locis eumdem Barnabam laudat (*a*).

Pace tamen tot inſignium Virorum ſincerè profitemur, ab hac exaggerata adeo Ambroſii taciturnitate nihil nos commoveri; facilè namque ab hoc intorto con-

tra

(*a*) **In Lib. de Eccleſ. Hierarch. origin. Part. II. pag. 344.**

tra nos telo in tutum evadimus, ſi dicamus, Sancti Ambroſii ævo memoriam excidiſſe conditæ a Sancto Barnaba Eccleſiæ Mediolanenſis. Neque hoc cenſeri debet effugium gratuitò emendicatum, ut ictûs validiſſimi vim declinemus. Quot enim alia, ipſo Metropolim hanc adminiſtrante, ignorabantur, quæ tamen primis Eccleſiæ ſeculis in Urbe noſtra, ac ſub Civium omnium oculis, ſumma cum laude ac celebritate contigerant? Sanctorum Protaſii & Gervaſii certamen pro Catholica propugnanda Fide, & ſuſcepta intrepide Martyrii corona in Neroniana perſecutione, notiſſima certè eſſe debuerant, ac omnium non tam laudibus quàm admiratione commendata: Et tamen Sancti Ambroſii ætate adeo ignotum id erat, ut ipſemet proferre illa debuerit: „ Evaſimus, fratres, non mediocrem pudoris ſarcinam: „ Patronos habebamus, & neſciebamus. Invenimus unum „ hoc, quo videamur præſtare Majoribus. Sanctorum „ Martyrum cognitionem, quam illi amiſerunt, nos „ adepti ſumus (*a*).

Hujuſmodi exemplo utitur Gaſpar Sanctius apud Bollandianos ad diem XXV. Julii §. III. ut prædicationem Sancti Jacobi in Hiſpania tueatur; poſtquam enim iſta præfatus fuiſſet hæc ſubdit: „ Quàm multa olim „ contigerunt illuſtria, quæ tamen diu latuerunt in te-
„ ne-

(*a*) In Epiſtola ad Marcellinam Sororem Claſs. I. num. XXII. Editionis Pariſienſis anni MDCXC.

„ nebris, neque de illis quidquam eſſet poſteris com-
„ pertum, niſi longa poſt ſecula, revelatione aliqua
„ ſeu cœleſti ſigno, aut ſpeciali aliqua providentia in
„ lucem & cognitionem hominum forent evocata!

Neque ſoli Sancti Martyres iſti fuere, quorum celebria Mediolani edita Chriſtianæ fortitudinis experimenta antiquitas oblivione contexerit. Sancti quoque Nazarius & Celſus, in hac Metropoli carcerem & tormenta perpeſſi, gladiis carnificum glorioſè caput obtulerant: Et tamen Sancti Ambroſii ævo adeo ignoti erant, ut Paulinus Scriptor vitæ ejuſdem, de Sancti Nazarii Corpore primùm e terra eruto, hæc narret: „ Qui quando ſit paſſus, uſque in hodiernum diem ſcire non
„ poſſumus „: De utroque autem loquens ſubdit: „ Co-
„ gnovimus a Cuſtodibus loci ipſius (ubi cœleſti lumine afflatus S. Ambroſius latere comperperat Sanctos hos Martyres) „ quòd a Parentibus ſuis illis traditum ſit,
„ non diſcedere de loco illo per omnem generationem
„ & progeniem ſuorum, eò quòd theſauri magni in
„ eo loco poſiti eſſent „. Quinam autem forent theſauri ibidem reconditi, longiſſima annorum ſeries prorſus in tenebris ſepultum reliquerat.

Hiſce poſitis, quæ certiſſimis teſtimoniis conſtant; neſcimus, quomodo *prodigii loco* habendum ſit Sancti Ambroſii ſilentium de erecta a Sancto Barnaba Eccleſia

Me-

Mediolanenſi; cùm veriſimillimè credi poſſit, inter alia præcedentium ſeculorum præclara monumenta, quorum notitia prorſus obliterata fuerat illius ætate, etiam adventum Sancti hujus Apoſtoli decurſu temporum obſoleviſſe. Quinimo admirabilius cuique cordato viro videbitur, quòd tanta oblivio de rebus geſtis a Sanctis Martyribus, quos memoravimus, Mediolanenſium mentes invaſerit, ut tempore Sancti Ambroſii nihil de iiſdem reſciretur. Protaſius namque & Gervaſius in hac Metropoli ortum duxerant; domicilium, cognatos, affines, parenteſque ſuos Vitalem ac Valeriam martyrii laurea decoratos habuerant; atque ipſi quoque ſimili laude Carnificum ſecuribus percuſſi, generosè in omnium civium conſpectu vitam expleverant. Sancti verò Nazarius & Celſus, alienigenæ quidem, ſed Catholicæ Fidei profeſſione, palam & conſtanter actâ in hiſce noſtris compitis, noti, illuſtre ſuî ſpectaculum fecerant, rapti ad Judicum tribunalia, ferali ſententia damnati, occiſi, atque hìc ſepulti. Et tamen nulla eorumdem recordatio, quam (ùt vidimus) *ſarcinam pudoris* vocabat Ambroſius, vigebat etiam apud Majores. Quid mirum igitur, ſi Eccleſiæ Mediolanenſi conditæ a Sancto Barnaba, qui exter origine, nec diuturno incolatu nobiſcum verſatus, martyrium & ſepulcrum in Inſula Cypri obtinuerat, æquali cum laudatis Martyribus fato,

 me-

memoria omnis concidiſſe credatur?

At inquient nonnulli, facile credi poſſe, antiquos aliquos Martyres, inſignis etiam nominis, glorioſoque acto certamine celebres, in oblivionem decidere potuiſſe, cùm tot illuſtres Fidei Catholicæ Pugiles, ſubſequentibus ſeculis, Tyrannorum gladiis vitam objecerint, deque Crucibus, equuleis, beſtiis, ac rogis nobilem poſtmodum triumphum retulerint; adeoque mirum non eſſe, ſi ſtrepens auribus eorumdem fama, ac prope obverſans oculis fulgor generoſæ illorum victoriæ, veterum Heroum ſplendidæ quamvis pugnæ memoriam obruerit: arduum tamen creditu nimis videri, tam altis tenebris circumfuſum fuiſſe nomen illius, qui primus Mediolanenſem Urbem Evangelica luce illuſtraverat, ut ignotum eſſet Ambroſio; totaque Civitate ſub Chriſti vexillis militante, is a quo tanti momenti beneficium profluxerat, cunctos lateret.

Plura hic reponi poſſent, ſi de Martyribus Mediolanenſibus agitanda quæſtio foret. Dubium enim adhuc eſt, an verba illa, quæ Sanctus Ambroſius protulit in Sermone ad Populum, poſtquam reperta Sanctorum Protaſii & Gervaſij Corpora in Ambroſianam Baſilicam tranſtuliſſet, nempe quòd „ ſterilem Martyribus Eccle-„ ſiam Mediolanenſem jam plurimorum matrem filio-„ rum lætari Paſſionis propriæ fecerint & titulis & exem-

„ plis,

„ plis „ an, inquam, hæc verba referenda ſint ad tempus, quo Sancti illi Martyres paſſi ſunt, an ad illud, quo eorumdem Corpora fuerunt inventa: Siquidem Puricellus qui primam partem tueri conatur, rem tamdem in ancipiti relinquit; Papebrochius verò poſtremam conſtanter propugnat. Sed etiam hoc omiſſo, novum-ne eſt, inſignium Virorum, qui opus aliquod primò aggreſſi ſunt, ac etiam perfecere, memoriam conſenuiſſe, ac tamdem in interitum fuiſſe prolapſam? Quot Urbium, nunc florentiſſimarum, origo & Conditor ignoratur? Ea eſt humanarum rerum viciſſitudo ac conditio, ut nihil edacis temporis injurias effugiat. Ne tamen a propoſito noſtro longiùs aberremus, oblivio de Sancti Barnabæ adventu in Majores noſtros inducta, ejuſdem generis exemplo poteſt validè confirmari.

Ortum duxerat Sanctus Barnabas in Inſula Cypro, eamque Apoſtolicis excultam ſudoribus Chriſto ſacraverat; in Urbe verò Salaminæ glorioſi certaminis contra Judæos pro Catholica Fide palæſtram nactus, & Martyrii coronam adeptus, ſepulcri quoque honorem receperat. Nihilominus tam celebria Sancti hujus Apoſtoli Acta, & relictum ibidem pretioſum Sacri Corporis monumentum, temporum ſuccedentium malignitas adeo denſâ caligine obtexerat, ut Revelatione cœlitus facta opus fuerit, ad accepti primùm Baptiſmatis, & reconditi

diti apud eam Urbem tanti theſauri memoriam Civibus renovandam. Cùm enim Fullo in Antiochenam Sedem nequiſſimè intruſus, Eccleſias Salaminæ & Cypri ad ſuam trahere juriſdictionem conaretur, hunc titulum prætendens, nempe Antiochenam Eccleſiam *Apoſtolicam & Patriarchicam eſſe*, atque inde in Cyprum tranſmiſſum fuiſſe Evangelicum lumen; Anthemium, qui tunc Salaminæ Epiſcopatum gerebat ad Synodum Conſtantinopolim evocavit. Hæſit ad hoc mandatum Anthemius iis præſidiis deſtitutus, quibus Eccleſiam ſuam exemptam a novo eo jugo comprobare poſſet. Verùm ex inopinato Sanctus Barnabas eumdem in ſomnis admonuit, bono animo eſſet; locumque indicavit, ubi proprium Corpus latebat, juſſitque ut ad Concilium proficiſceretur ac reſponderet, Eccleſiam quoque ſuam *Apoſtolicam eſſe*. Hæc omnia, prout prædixerat Sanctus Apoſtolus, proſperè contigere, reperto ejuſdem Corpore, obtentaque favorabili ſententia, omnium qui in Synodo aderant Epiſcoporum ſuffragio. Narrantur iſta fuſiùs ab Alexandro Monacho, Scriptore Seculi V., vel ſaltem eidem proximi, nec non a Cedreno, & Baronio ad annum CDLXXXV. Porro ſi quæ ab hoc Sancto Apoſtolo geſta fuerant tantâ ſolemnitate in ea Inſula, quæ natale illi ſolum extiterat, & in ea Urbe, quæ ejuſdem nobile Martyrium viderat, & ſacrum Corpus,

di-

divino miraculo (ùt proximè innuimus) intactum a flammis rogi ſervatum poſſidebat, in omnimodam oblivionem proruerant, monſtri-ne loco haberi debebit, memoriam de adventu Sancti Barnabæ Mediolanum, ſub IV. Seculi finem penitus intercidiſſe? Miror equidem ego, Papebrochium ſummæ perſpicacitatis in rebus antiquis virum, dum Mediolanenſes argueret, minimè animadvertiſſe ad hoc celebre exemplum, Sancti Ambroſii ſilentium opponens, tamquam decretoriam contra ipſos ſententiam.

Eadem oblivio poſt plurium ſeculorum ſeriem ſeſe adeo Toletanorum Civium mentibus ſuperfuderat, ut prorſus neſcirent, quis primus ex Evangelicis præconibus Catholicæ Fidei doctrinam antiquis incolis enunciaſſet, eoſque ſacro Baptiſmatis lavacro tinxiſſet; cùm ecce fortuitò ingreſſus Pariſienſem Sancti Dionyſii Baſilicam Seculo XII. Raymundus Toletanus Antiſtes, ibidem reperit Sancti Eugenii Martyris Corpus, agnovitque, illum fuiſſe primum Apoſtolum Toletanæ ſuæ Eccleſiæ. Referuntur iſta in Actis Sanctorum Bollandi ad diem XXV. Julii, ex Gaſpare Sanctio in hæc verba:
„ Ignotum fuerat Toleto, prima ſe accepiſſe Evangelii „ ſemina ex Eugenio, quem ſuum nunc Apoſtolum at„ que Præſulem implorat, donec poſt milleſimum ac „ centeſimum annum, Raymundus Toletanus Antiſtes,

„ dum

„ dum Sancti Dionyſii, religionis gratiâ, Templum in-
„ greditur, Eugenii, quem Epiſcopum Toletanum tum
„ primùm agnovit, Corpus invenit.

Probè novimus, Joannem Baptiſtam Solerium Societatis Jeſu, in Commentariis ad Uſuardi Martyrologium, impreſſis Tomo II. Supplementi Bollandianæ Collectionis, ubi de hoc Sancto Eugenio, ad diem XIII. & XV. Novembris agit, in dubium revocare, an hic Eugenius Toletanus Epiſcopus fuerit, & an miſſus ſit *a Petro vel Clemente cum Areopagita trans Alpes*. Attamen certum eſt, ejuſdem memoriam ſolemnem recoli in Toletano Breviario, tantaque in veneratione apud illam Eccleſiam habitum fuiſſe, ut hujus Apoſtoli & Antiſtitis ſui ſacra etiam Lipſana a Gallis tandem impetraverit. Teſtis eſt Baronius in Martyrologii notis ad diem XV. Novembris hæc ſcribens: „ Celebrior translatio fa-
„ cta eſt Corporis ejuſdem Sanctiſſimi Martyris ex Gal-
„ liis in Hiſpaniam, cùm noſtra ætate anno Domini
„ MDLXV. ampliſſimo apparatu ac religioſiſſimo cultu,
„ non rheda aliqua triumphali, ſed (quod omnem ex-
„ cedit pompæ amplitudinem) regiis humeris, in ſuam
„ antiquam nobiliſſimam Toletanam Sedem Sacer Anti-
„ ſtes & Martyr illuſtris delatus eſt. Siquidem Rex Ca-
„ tholicus Philippus II. ſe ſacræ ſubdidit ſarcinæ, ovanſ-
„ que & exultans, humili obſequio auguſtior redditus,
„ in prædictum locum evexit.

Hinc

Hinc verò evinci arbitramur, ignorationem de Sancto Barnaba primo Eccleſiæ Mediolanenſis Inſtitutore ſubſannandam minimè fore, tamquam inane cerebri Inventum, ut Traditioni noſtræ tutum aliquod propugnaculum paratemus, cùm tot alia ſuppetant exempla; nec adeo ſereni affulſerint dies Inſubricæ Ditioni per tria illa ſecula, quæ Ambroſii ævum præceſſere, ut nulla rebus actis ſub initium promulgati Evangelii affundi potuerit caligo, quæ notitiam eorumdem obnubilaret, feræque demum poſteritatis oculis prorſus ſubduceret.

Ad id verò, quod ab aliquibus objici fortaſſe poſſet, prædicationem ſcilicet Sancti Barnabæ in hac Metropoli minimè revelatam poſtmodum fuiſſe vel divino afflante Spiritu, vel cœleſti aliqua admonitione, ſicuti cetera quæ enunciavimus, intrepidè reſpondemus, nihil hoc Traditioni noſtræ prorſus officere; cùm (ùt jam ab initio ſumus profeſſi) illam jactare nolimus, veluti extra omnem dubitationis aleam, telique jactum conſtitutam; ſed tantùm comprobare nitamur, Sancti Ambroſii ſilentium non eſſe illud oraculum, quod nos tamquam cauſâ dejectos, ab eadem propugnanda. inglorium pedem cogat referre; neque neceſſarium minimè ſit cœlitus immiſſum ſignum ad ea, quæ ignota erant, revelanda, quemadmodum proximè vidimus in Toletana

tana Córporis Sanćti Eugenii Martyris Inventione acci-diſſe. Ceterum de fundata a Beato Petro Apoſtolo Cathedra Antiochena, ſiluit Sanćtus Lucas; ſiluit de prædicatione Sanćti Jacobi in Hiſpaniis, & de inſtitutis ibidem a Sanćto Paulo Eccleſiis Rodericus Toletanus, Hiſpanicarum rerum diligentiſſimus Scriptor; nihilque de Sanćto Dionyſio Areopagita primo (ùt dicitur) Galliarum Apoſtolo, uſque ad VIII. ferme Seculum ſcriptis prodidere illius Regni Auctores: Nihilo ſecius Traditiones iſtæ ſimul cum aliis pluribus viguere ac vigent, celebribus Viris eaſdem impigrè tutantibus, quamvis nulla cœleſti revelatione firmatas; cùm longævi hujus ſilentii cauſa rejiciatur vel in Scriptorum inopiam per prima & ſuperiora ſecula, vel in ferale bellum Catholicis libris indićtum a Tyrannis Barbariſque, qui eos igne abſumpſerunt. Quid ni ergo idem a Mediolanenſibus opponi poſſit Sanćti Ambroſii ſilentio? Præterquamquod ſi ingenuis defæcatiſque oculis percurrere velimus Sanćti Ambroſii verba, clarè perſpiciemus, non eam fuiſſe Sanćto Antiſtiti mentem, ut juris ſui propugnandi fundamenta a primis Eccleſiæ hujus exordiis repetere vellet; cùm eidem tantùm ſufficeret, egregios eos Præſules, qui eodem ſeculo contra Arianos ſtrenuè depugnaverant, recenſere, ut ipſe quoque acceptam ab illis hæreditatem tueretur intrepidè ac conſervaret.

Ce-

Digitized by Google

Ceteroquin quærendum eſſet, cur Sancti Anatalonis, aut alterius, qui Eccleſiam hanc inſtituiſſet, mentionem ibidem non egerit Ambroſius; cùm procul dubio Eccleſiaſticæ hæreditatis gloria illi debeatur, qui primus eam inſtituit, atque ad Succeſſores tranſmiſit. Itaque quomodocumque Sancti Ambroſii ſilentium ſpectetur, nihil ſecuri ex ipſo erui poteſt, quod Mediolanenſium Traditioni diem dicere valeat, aut eam in fumum diſſolvere.

An Traditionem Eccleſiæ Mediolanenſis de Sancto Barnaba infringat Epiſtola Decretalis Innocentii I. Summi Pontificis.

CAPUT V.

VAlidius teſtimonium nobis objicitur, quod videri poſſet, extremam falcem ad Traditionis noſtræ radicem immittere: Neque enim agitur de Ambroſio Epiſcopo noſtro Sanctiſſimo tantùm ſilente, ſed de Pontifice Maximo, apertam contra nos alioſque ſententiam pronunciante. Is eſt Innocentius I., qui in Epiſtola Decretali anno CDXVI. data (ùt Pagius, aliique Viri eruditi animadverterunt, quamvis prima ſit, quæ a Labbeo refertur) ſcribens ad Decentium Eugubinum

Epiſcopum, eique de aliquibus Eccleſiaſticis Inſtitutis interroganti reſpondens decernit, id ab omnibus debere ſervari, quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt; atque hæc ſtatim ſubjungit: „ Præſertim cùm ſit manifeſtum, in omnem Italiam, „ Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſ„ que interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos „ quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſo„ res conſtituerint Sacerdotes: Aut legant, ſi in his Pro„ vinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur do„ cuiſſe. Quod ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, „ oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſto„ dit, a qua eos principium accepiſſe non dubium eſt: „ ne, dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput in„ ſtitutionum videantur omittere „. Itaque aut falſi (quod abſit) arguendus eſt Innocentius, aut commentitia dicenda eſt prædicatio & inſtitutio Eccleſiæ Mediolanenſis, peracta a Sancto Barnaba Apoſtolo.

Bollandiſtæ, quos propugnantes Sancti Jacobi in Hiſpaniis prædicationem, eadem Innocentii Summi Pontificis auctoritas ferit, Mediolanenſem Sancti Barnabæ Traditionem opponunt Baronio, Hiſpanicam reſpuenti; atque aſſerunt, aſſerendam eſſe hujus Epiſtolæ explicationem etiam ab ipſo, qui eamdem contorquens contra Hiſpanos admittit, Barnabam *in Liguria prædicaſſe Evan-*

ge-

gelium, nobiliſſimamque Eccleſiam Mediolanenſem erexiſſe. Quomodo enim affirmare potuiſſet *certa atque indubitata fide* id conſtare, ſi vim habere debuiſſent verba illa Innocentii: *aut legant ſi in his Provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe*? Porro ipſi Bollandiſtæ arbitrantur, totum hoc ratiocinium eludi poſſe a Baronio, & Mediolanenſibus, reponendo: *Innocentium hic tantummodo loqui de ſtrictè dictis Apoſtolis, quibus Sanctus Barnabas non eſt adnumerandus*; fatentur tamen effugium hoc gratis quæri, cùm Romanus ille Hierarcha, abſque ullo *majoris* vel *minoris* diſcrimine clarè affirmet, nullum Apoſtolorum in Italia, aliiſque Occidentis Provinciis docuiſſe. Quamobrem, ut ſuam de Sancto Apoſtolo Jacobo ſententiam tueantur, Cardinalis de Turre-Cremata, Archidiaconi, Præpoſiti Mediolanenſis, aliorumque Interpretum expoſitionem hujus Epiſtolæ, inſertæ per compendium Juri Canonico, parte prima Decreti, diſtinctione XI. *Quis neſciat*, amplectuntur; ſcilicet Innocentium ſignificare solùm voluiſſe „ neminem „ Apoſtolorum in nominatis ibidem Regionibus Eccle- „ ſias inſtituiſſe, aut docuiſſe, niſi a Petro accepiſſet „ poteſtatem; hæc enim ſoli Petro tamquam totius Ec- „ cleſiæ Capiti, ejuſque in Sede Apoſtolica Succeſſoribus „ a Chriſto conceſſa eſt; ceteris autem Apoſtolis depen- „ denter a Petro, qui proinde omnium Eccleſiarum

„ Fundator dici poteſt „ . Idque confirmant teſtimonio Stephani VI. Papæ relato a Baronio ad annum DCCC-LV., qui ad Baſilium Imperatorem ſcribens hæc habet: *Inſtitutio, & Sacerdotium omnium, quæ in Orbe ſunt Eccleſiarum, a Principe Petro ortum accepit*; itemque Sancti Leonis Magni Sermone III. in Anniverſario Aſſumptionis ſuæ, ubi ita loquitur: „ Huic Viro (Sancto Pe- „ tro) conſortium potentiæ ſuæ tribuit Divina dignatio, „ & ſi quid cum eo commune ceteris voluit eſſe Prin- „ cipibus, numquam niſi per ipſum dedit quidquid aliis „ non negavit „ . Eo enim ſenſu quem ſupra dixerant, intelligenda eſſe affirmant adducta verba Summorum Pontificum. Proſequuntur ſubinde in hujus explicationis firmamentum placita Theologorum proferre, quæ refert Bellarminus Tomo I. & II. Controverſiarum, communi conſenſu aſſerentium *datam reliquis Apoſtolis ſummam poteſtatem, & univerſalem toto Terrarum Orbi prædicandi facultatem, ſed dependenter a Petro*. Plura alia inſignium Virorum exempla adducunt paragrapho XIII. Alexandri nempe, Macedi, Baronii, & Natalis Alexandri, qui conſiderata mente Innocentii, minimè abſterrentur a tutanda tum Sancti Jacobi, tum Sancti Pauli in Hiſpaniis prædicatione. Nihil igitur injuriæ infertur Pontificiæ Innocentii auctoritati, ſi Mediolanenſis etiam Eccleſia in rem ſuam trahat favorabilem hanc interpreta-

tio-

tionem Epiſtolæ Innocentii, qua tot Scriptores eruditiſſimi a Traditionibus aliis antiquis propugnandis minimè deſtitere.

Porro Gulielmus Cuperus in Actis Bollandianis ad diem XXV. Julii partem hanc Diſſertationis ſuæ claudit his verbis: „ Si Epiſtola Innocentii crude ac ſtricte in-
„ telligatur, ſane non video, quomodo cum divinis Sa-
„ cræ Scripturæ teſtimoniis, & receptiſſimis quorumdam
„ populorum Traditionibus conciliari poſſit. Nam Pau-
„ lus in Inſula Melitenſi, & Urbe Romana Chriſtianam
„ Fidem docuit, ùt ex Actis Apoſtolorum Capite XX-
„ VIII. colligitur. Concors fere Interpretum, & ipſo-
„ rum etiam Adverſariorum ſententia eſt, Sanctum Pau-
„ lum in Hiſpania prædicaſſe: *& tamen fuit alius Apo-*
„ *ſtolus a Petro, nec fuit Succeſſor ejus*, ùt doctiſſimus
„ Cardinalis de Turre-Cremata ad Cap. *Quis neſciat* ſo-
„ lerter obſervavit &c. Admiſſa Melitenſi, Romana,
„ & Hiſpanica Sancti Pauli prædicatione, quomodo ve-
„ rum erit, neminem ex Apoſtolis præter Petrum in
„ Italia, Gallia, Hiſpania, Africa, Sicilia, & interja-
„ centibus Inſulis docuiſſe, niſi verba Innocenti uno
„ vel altero modo accipiantur, pro ut hoc paragrapho
„ explicata ſunt „? Idem de Traditione noſtra nos affirmamus.

An

An omiſſio nominis Sancti Barnabæ in Catalogo antiquo Epiſcoporum Mediolanenſium, noſtram Traditionem evertat.

CAPUT VI.

PRogredimur ad reliquos propulſandos impetus, quibus Adverſarii decus illud Ambroſianæ Eccleſiæ ſubrui poſſe arbitrantur. Primus qui occurrat eſt Joannes Mabillon, Vir doctiſſimus, & famæ immortalis. Is amplioris antiquæ eruditionis colligendæ cauſa Italiam circumiens, Mediolanum ſe contulit, atque Ambroſianam Bibliothecam inviſens, ibidem inter Codices Manuſcriptos Catalogum legit Mediolanenſium Antiſtitum, eumque deſcripſit, edīditque poſtmodum in lucem Pariſiis in altera Muſæi ſui Italici parte. Animadvertit verò, in eo ſcriptum quidem occurrere nomen *Barnabæ* ante *Anatalonem*, ſed *manu recentiſſima*, ùt ipſe adnotavit, adjectum. Quamobrem comparans omiſſionem nominis Sancti Barnabæ in perantiquo hoc Catalogo cum ſilentio Sancti Ambroſii in Concione adversùs Auxentium, innuere videtur, ſerò admodum enatam eſſe opinionem de Sancti Barnabæ Adventu in hanc Inſubrum Metropolim. Mirum eſt, quantum iſta celeberrimi hujus

jus Scriptoris prælo vulgata opinio animi addiderit noſtri Ævi eruditis viris, ut Traditionem Mediolanenſium, tamquam poſteriorum ætatum Inventum ſecuriùs exploderent.

Attamen, ſi veritati conſonat conjectura, quam in Notis ad hanc Epiſcoporum Mediolanenſium nomenclaturam expoſuit idem Mabillon, priorem nempe illius partem concinnatam fuiſſe poſt obitum Frontonis, adeoque Auctorem ejuſdem floruiſſe Seculo VI. quid nobis moleſtiæ infertur, qui ſæpius candidè palam fecimus, nullum, ante Seculum VIII., vetuſtum documentum ſuppetere, quo longius retrahi poſſit noſtræ Traditionis antiquitas? Certè ſi a Scriptore tam vetuſto (ùt creditur) eadem manu, qua ceterorum Antiſtitum exaratum fuiſſet Barnabæ nomen, nemo non videt, inde capi potuiſſe non modicum præſidium ad Apoſtolicam Eccleſiæ noſtræ originem firmius vindicandam. Itaque expendendum eſt, quid in cauſa fuerit, ut in eo Catalogo Barnabas omitteretur. Si Adverſarios audiamus, in promptu reſponſio eſt, quòd adventus Sancti Barnabæ Mediolanum conficta poſtmodum fabula ſit. Non ita nos, ſaniore (ùt putamus) conſilio ſtatuimus; ſiquidem nodum iſtum ab ipſis intextum facili manu diſſolvimus eodem titulo, quo ſilentium Sancti Ambroſii diluimus, videlicet uſque ad Seculum VI. perduraſſe oblivionem inſti-

inſtitutæ a Sancto Barnaba Eccleſiæ Mediolanenſis. Sed ne videamur unico hoc clypeo obliteratæ apud nos memoriæ de Sancti Barnabæ adventu, obtundere velle tela, quibus Traditio Eccleſiæ Mediolanenſis configi ac convelli creditur, ecce quid de hoc Catalogo ſenſerit Ludovicus Antonius Muratorius, pro ſua celebri, qua in Literis præſtat, eruditione clariſſimus, qui eidem opponit alterum vetuſtiorem, ubi & nomen Sancti Barnabæ præfixum legitur, & ejuſdem ad Mediolanenſem Urbem adventus deſcribitur. Quamobrem in calce Præfationis ad Opuſculum *De Situ Civitatis Mediolani*, impreſſum Tom. I. Parte II. *Scriptorum Italiæ*, hæc habet: „ Quum ex Ambroſianæ Bibliothecæ Codice, in quo „ Opuſculum nunc edendum legitur, Mabillonius pri„ mo, tum Papebrochius ſupra memoratum *Catalogum* „ *Archiepiſcoporum Mediolanenſium* hauſerint, ac æneis „ etiam typis jamdiu conſignarint, perductum ab Ana„ talone primo Epiſcopo ad Joannem uſque Vicecomi„ tem; & ex iis alter inde prorſus Barnabam Apoſto„ lum excludat, alter vero ejus nomen *manu recentiſſi*„ *ma* adjectum affirmet: non ingratum Lectoribus fue„ rit, ſi èt ego alterum ſimilem Catalogum nunc pri„ mùm depromam, ſed uberiorem, & fortaſſis hacte„ nus editis præferendum. Illum ego olim deſcribebam „ ex pervetuſto Codice Manuſcripto Bibliothecæ Metro-

„ po-

„ politani Capituli Mediolanenſis, ſcilicet ex eo ipſo,
„ qui Beroldi de Liturgia Mediolanenſis Eccleſiæ bene-
„ meriti Scriptoris (floruit is circiter annum MCXXX.)
„ Libros univerſos complectitur; ſubjunctus quippe eſt
„ eiſdem Libris. Quare Catalogum hunc pluris faciam,
„ breviter indicabo. Qui a Mabillonio, & a Papebro-
„ chio publici juris eſt factus, ſeriem Archiepiſcoporum
„ continuat ad *Philippum* uſque *de Lampugnano*; tum lo-
„ quitur de Joanne Vicecomite, ſaltu videlicet facto ab
„ anno MCCVI. ad MCCCLIV. Ad annum, inquam,
„ MCCCLIV., ut enim hoc obiter notem in utraque
„ editione tum Mabilloniana, tum Papebrochiana idem
„ Joannes obiiſſe dicitur anno MCCCLV. quum tamen
„ certiſſimè conſtet, acidiſſe illius mortem anno ante-
„ cedenti. Hujuſmodi autem ſphalma, nonnullæque aliæ
„ notæ planè indicant, Ambroſiani Codicis Catalogum
„ antiquitate Metropolitano Catalogo, quem editurus
„ ſum, concedere. Igitur hic noſter præterquam quod
„ omnia exhibet, quæ in Ambroſiano leguntur uſque
„ ad ſupra memoratum Philippum, pluribus etiam huc
„ & illuc additis, deinde a quopiam continuatore tan-
„ tummodo deductus eſt ad annum uſque MCCLI. Ibi
„ autem nonnulla habentur, quibus emendare liceat U-
„ ghellum in Catalogo Archiepiſcoporum Mediolanen-
„ ſium. Exempli gratia, hic negat, Ubertum de Piro-

„ vano S. R. E. Cardinalium albo inſcriptum: quod tamen Catalogus noſter apertiſſimè tradit. Præterea Gerardi de Seſſa, & Henrici de Septara, ejuſque Succeſſoris annos parum accuratè recenſet, ut alia omittam. Age vero, inſpiciat Lector Catalogum nunc mihi edendum, & ex antiquiori, ùt arbitror, Codice depromptum. Illic profectò in ipſo exordio deprehendet, minimè deſiderari Sanctum Barnabam, cujus nomen, utpote *recentiori manu* additum Ambroſiano Codici, propterea Mabillonius explodere videbatur, quaſi vel ipſis Mediolanenſibus antiquis nequaquam probaretur. Imo ejus adventus Mediolanum in eodem Catalogo multis verbis ſtatuitur, non Libello tantùm, quem nunc proferimus, laudato, ſed etiam Hieronymo (Clemente) ac Dorothæo (Auctoribus tamen hac in re apocryphis) ad ejuſdem adventus confirmationem allatis. Quare videas, Ambroſiano Catalogo ex una incuria primitus adjectum non fuiſſe Barnabæ nomen.

Si nobis liceat aliquid doctiſſimi hujus Viri ſcriptis ſuperaddere, cenſeremus non incongruum eſſe opinari, recentiorem eum Scriptorem, qui exarando prædicto Catalogo manum appoſuit, illum inchoaſſe ab eo Epiſcopo, qui fixam habuit apud nos ſedem; idem enim paſſim peractum videmus in Catalogis plurium Inſubricæ

cæ Provinciæ Eccleſiarum, quæ licèt (Ughello teſte) primum Inſtitutorem Sanctum Barnabam habuiſſe glorientur, tamen Epiſcoporum ſeriem ab eo tantùm Præſule deducunt, quem Sanctus Apoſtolus ad ſtabilem Dominici Gregis curam eiſdem Paſtorem reliquit, cùm Apoſtolicum miniſterium aliò Sanctum Barnabam avocaret. Verùm quæcumque tamdem cauſa fuerit, cur nomen Sancti Barnabæ minimè deſcriptum ſit in Mabillonii Catalogo, certum eſt in vetuſtiori, quem edidit Muratorius, expreſſum legi eadem antiqua manu; adeòque regulam eamdem ſequi poſſumus, quam ſibi ipſi præſcripſit idem Vir doctiſſimus (*a*) in dubitatione non abſimili, an nempe Mediolanenſis Eccleſia *quatuor Temporum* jejunia antiquitus obſervaret, cùm plura Ambroſiana Miſſalia MSS. de illis ſilerent; ſiquidem duobus inventis Codicibus non modicæ vetuſtatis, in quibus adnotabantur, iſta ſubjungit: *Equidem novi èt ego, pluris faciendos in hanc rem duos Miſſales rem affirmantes, quàm decem omnino ſilentes.*

Antequam manum hinc removeamus, occurrere neceſſarium ducimus cuidam difficultati, quam nobis Adverſarii objiciunt, quærentes, unde nam Mediolanenſi Civitati innotuerit Apoſtolica Eccleſiæ ſuæ inſtitutio; cùm enim deperditæ de Sancti Barnabæ adventu memo-

g 2 riæ

(*a*) De Italia medii Ævi Tom. IV. Diſſert. LVII.

riæ adſcripſerimus veterum ſeculorum ſilentium, neque ulla cœlitus immiſſa lux affulſerit, quæ longævas in hac re tenebras diſſiparet, confictum id fuiſſe a noſtris Civibus jactitant, ut inclytæ Urbis gloriam amplificarent. Huic cavillationi obvium eſſet reſpondere, Mediolanenſibus rem hanc innotuiſſe ex vetuſtis membranis, annoſiſque Codicibus, qui aut neglecti, aut ſepulti jacuerant rudibus iis temporibus, Gothica & Longobardica feritate Italicas Provincias occupante. Porro antiquiſſimis hiſce libris uſum ſe fuiſſe profitetur Anonymus, qui ſæpius memoratum *Opuſculum de ſitu Civitatis Mediolani* conſcripſit; idque in Literariis rebus continuâ experientiâ edocemur, cùm tot effoſſa e ruderibus monumenta, ereptæque a denſi pulveris & tinearum ludibrio chartæ, ignota prorſus Majoribus noſtris nomina & res geſtas in lucem eduxerint. Sed placet ea ſolùm reponere, quæ Gaſpar Sanctius edidit, & ex eo Bollandiſtæ in ſuam de Sancti Jacobi Hiſpaniarum Apoſtoli Diſſertationem tranſtulere, videlicet, non aliud initium exhibere poſſe reliquas omnes Traditiones, quæ humanæ tantùm ſunt, nec divinitus confirmatæ; nimiùmque rigidi cenſoris eſſe, Canonicæ fidei pondus deſiderare, atque aliquid certum exigere, in quo curioſus animus acquieſcat, ubi de Traditionibus agitur, quæ ſcriptis poſt plura ſecula teſtimoniis nituntur; cùm iſtud *de Apoſtolis aliis* (paucis

admo-

admodum exceptis) *Provinciarum nulla poſſit oſtendere*. Donec igitur evidenti aliqua ratione Mediolanenſium Scriptorum auctoritas elidatur, aut eductum ex probatis ſuperiorum temporum documentis quidquam veritati manifeſtè repugnans falſi nos arguat, immerito antiqua hac gloria ſpoliamur; præſertim cùm (ùt Sanctius laudatus proſequitur) vacillare non debeat indigenarum fides, ſed *potiùs æquum ſit exiſtimare, res ſuas melius quàm alios, habuiſſe exploratas*.

Quid evincat contra Mediolanenſem Traditionem Sermo Sancti Petri Damiani Epiſcopi & Cardinalis.

CAPUT VII.

POſtremum argumentum, quo tamquam triario milite in arenam evocato, dirui a fundamentis Apoſtolicæ noſtræ Originis laudem putat recentiſſimus Scriptor ſupra memoratus, eſt Concio habita publicè in frequentiſſima Civium noſtrorum corona a Sanctiſſimo Antiſtite Petro Damiani. Miſſus is fuerat a Nicolao II. Pontifice Maximo ad Mediolanenſes Legatus anno MLIX., ut ab Eccleſiæ noſtræ vultu fæces turpiſſimas ſimoniæ atque incontinentiæ in Sacris Miniſtris detergeret, eamque

que non habentem maculam aut rugam priſtino decori reſtitueret. Quid actum ſit per id tempus in hac Metropoli, narrat ipſemet Petrus in Opuſculo V., quod tertio ejuſdem Operum volumini inſertum legitur: Ait enim, cùm primùm Mediolanenſem attigit Civitatem, exceptum ſe fuiſſe eâ reverentia, quæ Legatum Summi Pontificis decebat. Verùm „ poſt diem alterum, factio-„ ne Clericorum, repentè in populo murmur exortum, „ non debere Ambroſianam Eccleſiam Romanis Legi-„ bus ſubjacere, nullumque judicandi vel diſponendi jus „ Romano Pontifici in illa Sede competere: nimis enim „ indignum putabatur, ut quæ ſub Progenitoribus ſuis „ ſemper extitit libera, ad propriæ confuſionis oppro-„ brium nunc alteri, quod abſit, Eccleſiæ eſſet ſubje-„ cta „. Itaque convocato Clero, ipſoque etiam Archiepiſcopo Vidone a ſiniſtris collocato (dexteram enim occupabat Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, poſtmodum ſub nomine Alexandri II. ad ſupremam Eccleſiæ Romanæ dignitatem evectus, qui alter erat ex Pontificiis Legatis) refert, ſuggeſtum ſe conſcendiſſe, ac ſermonem in hæc verba inchoaſſe: „ Noverit caritas veſtra, dilectiſ-„ ſimi &c. „ Plura hìc congerit Sanctus Cardinalis ad Apoſtolicæ Sedis prærogativam ſupra ceteras commendandam, & ſubinde iſta proſequitur: „ Ut autem omiſ-„ ſis aliis ad id, quod nunc agimus, veniamus, non

„ de-

„ debet ignorare ſancta veſtra devotio, quia Beati Apoſtolorum Principes Petrus & Paulus, ſicut per ſuum „ ſanguinem Romanam Eccleſiam conſecrarunt, ita „ mox inter ipſa naſcentis Fidei rudimenta, hanc Mediolanenſem Eccleſiam per ſuos diſcipulos lucrati ſunt „ Chriſto. Nazarius quippe Martyr inſignis (ſicut Scripturæ teſtantur) Petri auctoritate, Baptiſma a Lino „ ejus Succeſſore ſuſcepit, qui poſtmodum cum Beato „ Celſo in hac Sancta Urbe Martyrio coronatus eſt. „ Sancti vero Martyres Protaſius atque Gervaſius Beatum Paulum Apoſtolum, Magiſtrum ac Præceptorem „ habuiſſe noſcuntur, ſicut Beatus Ambroſius et ipſe „ teſtatur, *iſti ſunt*, inquit, *qui monita mea ſecuti, reſpuentes prædia & divitias*, *ſecuti ſunt Domini noſtri* „ *veſtigia*. Sicut ergo Salvator noſter binos ante faciem „ ſuam diſcipulos miſit, ita quodammodo uterque Sanctus Apoſtolus, ex magiſterio ſuo in hanc Urbem „ prædicatores Sanctæ Fidei geminos deſtinavit. Cùm „ ergo veſtræ ſalutis auctores ex Romanæ Eccleſiæ prodierint diſciplina, conſequens eſt juxta æquitatis ordinem, ut Eccleſia Romana Mater, Ambroſiana ſit „ filia „. Addit etiam Sancti Ambroſii exemplum, qui Nicolaitarum ſorde infectam hanc Urbem dolens, cùm eam ſolus coërcere non poſſet, Sedis Apoſtolicæ quæſivit auxilium, miſſiſque Româ a Siricio Papa (ùt optabat)

bat) tribus Legatis, eorum ope a Grege ſuo exitialem hunc morbum depulit extinxitque. Poſtmodum ſubdit: „ Scrutamini itaque Scripturas veſtras, & per quod vultis, diligenter inquirite; & ſi non poteſtis apud vos „ metipſos invenire quod loquimur, mendacii arguite; „ ſi autem poteſtis, nolite veritati reſiſtere, nolite Matrem veſtram crudeliter impugnare, ſed ex cujus uberibus lac ſuxiſtis Apoſtolicæ Fidei, ejus ſemper gaudete ſolidis doctrinæ cœleſtis cibis recreari.

Sermo iſte a tantæ dignitatis ac doctrinæ Præſule Mediolani habitus, in publico Cleri totius Populique conventu, ipſoque etiam Archiepiſcopo adſtante, quemlibet, primæ frontis aſpectu, rapere poſſet in adverſam Traditioni noſtræ opinionem. Quid enim clarius ad eam falſi arguendam dici poteſt, quàm in ipſis naſcentis Fidei rudimentis ſuſceptam fuiſſe a Beatis Apoſtolorum Principibus Petro & Paulo curam lucrandi Chriſto Cives Mediolanenſes, miſſoſque ideo in hanc Metropolim quatuor eos Martyres, ut fugata Gentilitatis caligine ſerenum eidem Evangelii lumen illucere juberent, Chriſtianæque Religionis prima ibidem jacerent fundamenta? Præterea cùm Sanctus ille Antiſtes, ut fidem dictis ſuis faceret, ad ipſas Mediolanenſium Scripturas provocaſſet, paratum etiam ſe offerens excipiendæ lubenti animo mendacii notæ; cur educta minimè fuere vetera documenta,

menta, quorum teſtimonio, allata a Pontificio Legato Scripturarum auctoritas infingeretur, ſuaque Sanctum Barnabam inſtitutæ primùm hujus Eccleſiæ inconcuſſa laus & gloria maneret? Demum Arnulphus, Hiſtoriarum Mediolanenſium Scriptor, præſens omnibus quæ Mediolani tunc agebantur, dum Cives ſuos objurgat, quòd tam facile ob pauca Pontificii Legati verba paſſi eſſent inveterata hujus Eccleſiæ jura confringi, ſeque Romanarum Legum jugo ſubdidiſſent, prætermiſſo prorſus Sancti Barnabæ nomine, ad conciliandam Mediolanenſi Eccleſiæ venerationem, ſolam Ambroſii auctoritatem armavit, ita enim Caput XIII. Libri III. Tomo IV. Scriptorum Italiæ impreſſi exorditur: „ O inſenſati Mediolanenſes, quis vos faſcinavit? Heri clamaſtis unius „ Sellæ Primatum; hodie confunditis totius Eccleſiæ ſtatum: verè culicem liquantes, & camelum glutientes. „ Nonne ſatiùs veſter hoc procuraret Epiſcopus? Forte „ dicetis: Veneranda eſt Roma in Apoſtolo: Eſt utique, ſed nec ſpernendum Mediolanum in Ambroſio „. Porro ſi tunc Traditio de Sancti illius Apoſtoli adventu in hanc Urbem viguiſſet, nonne glorioſius erat aſſerere, *ſed nec ſpernendum Mediolanum in altero Apoſtolo Barnaba*?

Hæc omnia ſincerè proferre voluimus, ne arguamur, aliquid a nobis eſſe diſſimulatum, quod Traditionem Mediolanenſem vehementiùs impeteret, aut ſub-

dola taciturnitate prætermiſiſſe periodos illas, a quibus patentem contra nos ferri ſententiam comperiebamus. Ceterùm, cùm plura hîc diſcutienda occurrant, inquirendum primò eſt, unde-nam Sanctus Petrus Damiani hiſtoriam eam hauſerit, qua fidenter adeo narrat, baptizatum a Sancto Lino (Beato Petro Apoſtolo jubente) Nazarium; & Sanctos Protaſium & Gervaſium, magiſterio Sancti Pauli de Fide Chriſtianaque diſciplina inſtructos, miſſionem accepiſſe ab Apoſtolorum Principibus, ut Cives Mediolanenſes Chriſti vexillis, prædicatione ſua adoptarent. Sane Joannes Pinius ad diem XXVIII. Julii in Actis Sanctorum Bollandi, dum agit de Baptiſmo Sancti Nazarii (quem a Sancto Petro Apoſtolo baptizatum tradit Menologium Cardinalis Sirleti, a Caniſio editum; Menologium verò Baſilii Imperatoris a Sancto Lino Patriarcha Romano, & Martyrologium Adonis a Sancto Clemente ſacris undis ablutum referunt) parvî facit auctoritatem memorati Oſtienſis Epiſcopi, illum Sancto Lino conſtanter tribuentis, *ob ætatem Auctoris, qui Seculo demum XI. floruit*. De miſſione autem Sancti Nazarii Mediolanum a Principe Apoſtolorum facta, altum eſt in antiquis minùs vitiatis noſtri hujus Sancti Martyris Actis ſilentium. Legitur inter Opera Sancti Ambroſii Sermo in Natali Sanctorum Nazarii & Celſi Martyrum, olim eidem Sancto Epiſcopo adſcriptus, ſed

reje-

rejectus ad ſuppoſititios in editione Pariſienſi anni MDCXC.: Auctorem tamen ejuſdem eſſe *antiquum*, *æſtimationem meritum*, *ac fide dignum*, concordes tradunt Tillemontius, & Pinius jam laudatus. In eo autem Sermone, licèt deſcribantur Sancti Nazarii nativitas, Parentum conditio, peregrinationes ſuſceptæ, Martyrium Mediolani conſummatum, ejuſdemque ſepulcrum in hac Metropoli, ne verbulum tamen occurrit, quo accepta primùm juſſu Sancti Petri, Catholica Fides a Civibus noſtris, eidem Martyri debeat referri. Et tamen hunc Sermonem recitatum fuiſſe in Sancti Nazarii Templo cenſet Clariſs. Muratorius; nec refragatur Pinius loco prædicto.

Sanctus Ennodius Ticinenſis Epiſcopus complexus eſt carmine laudes Sanctorum Martyrum Nazarii & Celſi; eorumque Martyrium, ſepulcrum, & Corporum revelationem Sancto Antiſtiti Ambroſio factam commemorans, prorſus ſilet de Sancti Petri mandato hiſce Martyribus injuncto, ut primis Evangelii radiis hanc Urbem illuſtrarent. Itaque, cùm Sanctus Petrus Damiani in ſermone ſuo hæc proferat ,, Nazarius Martyr in-
,, ſignis (ſicut Scripturæ teſtantur) Petri auctoritate
,, Baptiſma a Lino ejus Succeſſore ſuſcepit ,, , incertum adhuc remanet, quænam ſint hæ Scripturæ, quo tempore exaratæ, & quem habuerint Auctorem. Bollandi-

ſtæ, qui Acta omnia Sancti Nazarii tum MSS., tum edita perluſtrarunt, pro certo habuere, eadem condita fuiſſe poſt Paullnum Vitæ Sancti Ambroſii Scriptorem, qui de Sancto Nazario loquens, ait: *quando ſit paſſus, uſque in hodiernum diem ſcire non poſſumus*; miranturque, unde tot ac tanta ſcire potuerint, qui hujus Sancti Martyris vitam, & peregrinationes quamplurimas retulerunt; ac poſtmodum fatentur, vix ſe invenire ubi firmum pedem figant, cùm *omnia quæ narrantur, incerta nitantur auctoritate*. Idem ſenſit etiam Tillemontius, qui in Notis ad Sanctorum Nazarii & Celſi memoriam teſtatur, Acta ſub nomine Metaphraſtis vulgata, Eruditorum omnium conſenſu falſa & apocrypha judicari: De iis autem, quæ apud Mombritium leguntur, nullam inveniri poſſe Hiſtoriam, ait, illâ deteriorem; eamque ſcœnicam narrationem Pinius vocat. Proinde eruditi hi Viri metrico tantùm elogio Ennodii, & Auctori Sermonis Sancto Ambroſio attributi, fidem ſe præſtare profitentur. Cùm ergo manifeſte pateat, nihil de Apoſtolatu Mediolanenſi Sancti Nazarii in illis reperiri, nullam nos inferre injuriam putamus Sancto Petro Oſtienſi Epiſcopo & Cardinali, ſi quæ ad hiſtoriam pertinent, deſumpta credule ab ipſo fuiſſe ex fæculentis fontibus aſſeramus.

De hoc autem clariùs edocemur, dum quæ proſequitur Sanctus ille Epiſcopus, ad juſtum examen vocamus:

mus: inquit enim. „ Sanctos Martyres Protaſium, atque Gervaſium „ habuiſſe Præceptorem Beatum Paulum Apo- „ ſtolum, ſicut Beatus Ambroſius & ipſe teſtatur his „ verbis: *Iſti ſunt qui monita mea ſecuti, reſpuentes præ-* „ *dia & divitias, ſecuti ſunt Domini noſtri veſtigia* „. Porro Epiſtola *ad Fratres Italiæ*, quæ Sancto Ambroſio adſcripta fuit, & cui inſeritur libellus Philippi de eorumdem Vita & Martyrio, inventus in ſepulcro, cùm primùm reperta fuere Sacra illorum Corpora, a Benedictinis Monachis Sancti Mauri in poſtrema Operum hujus Sancti Doctoris editione, inter ſuppoſititias numeratur, utpote contraria referens iis, quæ Sanctus Ambroſius ad Marcellinam Sororem ſcripſit *de Sanctorum Protaſii & Gervaſii Corporum Inventione*. Tillemontius in notis ad Sanctos hoſce Martyres plura enunciat, quæ illius falſitatem aperte demonſtrant. In hac igitur Epiſtola, verba a Sancto Petro Damiani allata leguntur, tamquam a Sancto Paulo pronunciata, cùm in ſomnis Sancto Ambroſio apparuiſſet: Et tamen genuina ejuſdem Sancti Epiſcopi noſtri Epiſtola ad Marcellinam, nihil de hac viſione, nihil de libello invento ad illorum Martyrum capita refert, quæ certe Ambroſius comperta Sorori feciſſet, ſi vera narraſſet ſuppoſititiæ illius Epiſtolæ Scriptor. Quamobrem manifeſtum hinc redditur, præſtitam fuiſſe a Sancto Petro Damiani fidem apocryphis

Scrip-

Digitized by Google

Scriptis, quæ olim ſinceræ veritatis oracula cenſebantur.

Neque minùs ignotum nobis eſt, ex quo Auctore Sanctus Petrus Damiani deſumpſerit exemplum Sancti Ambroſii, qui „ cùm Nicolaitarum ſordem ad multo- „ rum fœtere perniciem in hac Urbe doleret, eamque „ per ſe ſolus coërcere non poſſet, Sedis Apoſtolicæ mox „ quæſivit auxilium, cui videlicet is, qui tunc præerat „ Papa Siricius, tres perſonas, Presbyterum Diaconum „ & Subdiaconum ad correctionem ulciſcendi hujus ſce- „ leris deſtinavit. Cum his itaque Beatiſſimus Pontifex, „ quos corrigere non potuit, velut ſcatentem vermibus „ ſentinam ex Urbis hujus ſagena projecit „. Cùm in hac Sancti Præſulis narratione plurimùm perturbatus ſit rerùm ac temporum ordo, ut ad indagandam veritatem expurgatâ ſentibus viâ incedamus, duæ diſtinguendæ ſunt epochæ. Jovinianus, qui ſub exitum Seculi IV. enatam in ipſis Eccleſiæ incunabulis Nicolaitarum hæreſim reviviſcere in Italia juſſit, omnem caſtitatis ordinem ſubvertens, ac docens, nullum meriti apud Deum diſcrimen eſſe inter Matrimonium & Virginitatem, non Mediolani, ſed Romæ impudentiæ ſuæ teterrimum venenum evomere cœpit. Contra hoc monſtrum Eccleſiaſtici anathematis fulmen armavit Siricius Pontifex Maximus; coactoque Presbyterorum ac Cleri Urbis Concilio, perfidum illum caſtitatis hoſtem, incentoremque profli-

gandæ

gandæ a Virginibus pudicitiæ damnavit anno CCC-LXXXIX. ùt Monachi Benedictini Sancti Mauri in Chronologica Sancti Ambroſii Vita, ab ipſis adornatâ teſtantur, ſeu anno ſequenti, ùt Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis adnotavit. Cùm verò Româ expulſus Jovinianus Mediolanum ſe recepiſſet, Siricius literas ad Mediolanenſem Eccleſiam eodem anno direxit, per Fratres & Presbyteros ſuos Creſcentem, Leopardum, & Alexandrum, in quorum præſentia Sanctus Ambroſius Synodum plurium Antiſtitum celebravit, Sediſque Apoſtolicæ judicio, ſuffragiis omnium conſentiens, Jovinianum ejuſque Sectatores Epiſcopali feriit ſententiâ. Leguntur Epiſtolæ Siricii & Ambroſii de hiſce habitis Conciliis apud Labbeum & Baronium; qui tamen perperam tradit, Jovinianum ejuſque aſſeclas e Mediolanenſi Cœnobio prodiiſſe; atque eoſdem confundit cum Sarmatione & Barbatiano, quos ad Vercellenſem Urbem poſtmodum profectos, Ambroſius, datâ ad eam Eccleſiam Epiſtolâ, inde etiam expellendos curavit, quemadmodum paulo infra oſtendemus. Itaque clare conſtat, in primo eo Sectæ Nicolaiticæ exordio, neque illius tabe infectam fuiſſe hanc Metropolim, neque ab Ambroſio rogatum Siricium Summum Pontificem, ut auxilium ferret laboranti ſuo Gregi, a quo graſſantem hanc peſtem amovere ipſe ſolus minime potuiſſet.

Digitized by Google

Poſt ſeptennium circiter, nempe anno CCCXCVI., novum contra continentiam bellum exarſit, flammas ſubdentibus Sarmatione & Barbatiano prædictis, qui verè in Mediolanenſi Monaſterio religioſam vitam ducebant; ſed diſciplinæ pertæſi, ac fœda Joviniani pice correpti, contaminare ceteros conabantur. Deſcribit eoſdem tacito nomine Sanctus Ambroſius in Commentariis ad Pſalmum XXXVI., inquiens, eos valedixiſſe jejuniis, continentiæ renunciaſſe, indulſiſſe deliciis, & Cœnobio relicto evaſiſſe luxuriæ magiſtros, diſſeminatores incontinentiæ, incentores petulantiæ, obtrectatores pudoris. Pullulantem hanc hæreſim vigilantiſſimus Paſtor Ambroſius adeo exagitavit, ut ejuſdem præcones coacti ſint Vercellas profugere; ibique etiam eoſdem perſecutus eſt Ambroſius, ſcribens ad Vercellenſem Eccleſiam, Epiſcopo tunc carentem, „ ut attentè caverent a duobus „ illis (verba ſunt ejuſdem Antiſtitis) vaniloquis ho„ minibus, qui nullum eſſe abſtinentiæ meritum effu„ tiebant, nullam frugalitatis, nullam Virginitatis gra„ tiam; pari omnes æſtimari pretio; delirare eos, qui „ jejuniis caſtigant carnem ſuam, ut menti ſubditam „ faciant „. Ad extirpandum tamen pernicioſum hoc germen nec Concilium adhibuit Sanctus Præſul, neq Apoſtolicæ Sedis opem imploravit, ùt ex ejuſdem Vitæ Scriptoribus manifeſtiſſime evincitur. Cùm igitur unde-

qua-

quaque in Sanꝺi Petri Damiani Oratione ad Mediolanenſes habitâ nutet hiſtorica veritas, miramur, eamdem nobis objici, tamquam ineluctabilem ſcopulum, ad quem alliſa Traditio noſtra de Sancto Barnaba prorſus diſcindatur, atque infelici abſorpta naufragio, extollere ampliùs caput non valeat.

At, inquiunt, cùm Legatus ille Pontificius publico apertoque ſermone Clerum & Populum adſtantem incitaſſet, ut *Scripturas* ſcrutarentur, ſique diſſonum aliquid ab ejus dictis invenirent, *mendacii* eumdem *arguerent*; cur annoſas chartas, quæ Apoſtolicam originem teſtabantur, minimè protulere? Antequam huic prævalidæ (ùt creditur) interrogationi ſatisfiat, præmittendum eſt, multis ab inde ſuperiorum ætatum annis inſulſam eam opinionem altè inſediſſe animo Mediolanenſium, quòd Sanctus Ambroſius Mediolanenſi Clero hujus Metropolis facultatem indulſiſſet uxorem ducendi, ea tamen conditione, ut prima conjuge mortua, Sacerdotium amitterent, ſi alteri jungerentur. Refert illam Landulphus Senior, acerrimus incontinentium Sacerdotum patronus, eodem ſeculo ſcribens, ubi enim *de Monogamis Sacerdotibus ſecundùm doctrinam Beati Ambroſii* agit Libro I. Hiſtoriæ Mediolanenſis, Cap. XI. hæc habet: „ Tranſ„ actis annorum multis curriculis, vivente tamen Beato „ Ambroſio, graviſſima diſſenſio inter Monogamos, &

„ alios ſub Virginitate aut Caſtitate degentes, in Syno-
„ do coram Apoſtolico orta eſt .... Quod factum,
„ Apoſtolico imperante, & multis Catholicis Epiſcopis
„ exhortantibus, in judicio Beati Patroni noſtri Ambro-
„ ſii a partibus ambabus datum eſt, affirmantibus, quid-
„ quid ipſe diceret tenerent, & firmum atque ſanctum
„ haberent. At Beatus Ambroſius, cognoſcens ſenſus
„ humanos pronos ad peccandum, maximè propter in-
„ continentiam; ſciens aliquem neque Virginitatem ne-
„ que Caſtitatem, niſi a Deo habere poſſe; quod in
„ Libro de Officiis jam dictaverat, ait: *de Monogamia*
„ *Sacerdotum quid loquar? quando una tantùm permittitur*
„ *copula, & non repetita*; & ſic dicens omnem diſſen-
„ ſionem compeſcuit „. Hanc conſuetudinem perduraſ-
ſe annis ſeptingentis uſque ad tempora Alexandri Papæ, quem Civitas Mediolani genuerat, tradidere Scriptores alii proximorum temporum, qui ſuis Patriæ Hiſtoriis fabellam hanc ineptiſſimam inſeruere; inter quos numeratur Bernardinus Corius, cujus volumen Hiſtoricum Sacra Indicis Congregatio meritò ob id cenſuit proſcribendum.

Porro his præmiſſis, nemo eſt qui non videat, nodum iſtum ſpecie tenus inextricabilem, levi manu diſſolvi. Quid enim commune habebat Apoſtolica origo Eccleſiæ Mediolanenſis cum Nicolaitica vigente tunc hæ-

reſi?

reſi? Controverſiæ cardo, quæ per id tempus fervebat, non in eo verſabatur, ut palam fieret, quis primus Evangelii lucem in hanc Metropolim intuliſſet; ſed quis Clerum noſtrum facultate donaſſet ineundi conjugia. Cùm autem ſtulta perſuaſio animos occupaſſet, id a Sanctiſſimo Epiſcopo Ambroſio fuiſſe ſtatutum, inſana Clericorum factio juſtam hanc (ùt ipſis videbatur) cauſam prætendens, populi tumultum excitavit, ac clamare compulit „ non debere Ambroſianam Eccleſiam Ro„ manis Legibus ſubjacere; cùm nimis indignum eſſet, „ ut quæ ſub Progenitoribus ſemper extiterat libera, ad „ propriæ confuſionis opprobrium, alteri (quod abſit) „ Eccleſiæ foret ſubjecta.

Idem reſponſum intrepidè objicimus teſtimonio Arnulphi Mediolanenſis Hiſtorici, qui omiſſo Sancto Barnaba, Civibus ſuis venerandum Sancti Epiſcopi Ambroſii nomen in memoriam revocat, ut eos pudere faciat de nimia facilitate, qua Romanæ Sedis mandata receperant; cùm enim mendaci ea opinione depravaretur, fluxiſſe videlicet a Sancti illius Antiſtitis & Doctoris declaratione libertatem conjugii Sacerdotum, quibus ipſe favebat, quid opus erat ad primævum hujus Eccleſiæ Conditorem confugere, a quo certò conſtabat, minimè inductam eſſe in Mediolanenſem Clerum hanc facultatem? Proinde ſchiſmaticus iſte Auctor gloriam omnem

noſtræ Metropolis repetebat a Sancto Ambroſio, qui inſignium operum doctrinæque amplitudine non tam Mediolanenſi, ſed univerſæ Eccleſiæ ita præluxerat, ut aboleri non deberent, atque in contemptum trahi, quæ ab ipſo fuerant inſtituta. Hinc autem manifeſtè patet, quantum allucinentur qui ex hoc Mediolanenſium Civium & Arnulphi ſilentio exiſtimant, ignotam fuiſſe per ea tempora Traditionem de Apoſtolica Origine Eccleſiæ Ambroſianæ; ſpecioſius namque & efficacius (ùt ait recentiſſimus Auctor ſupradictus) fuiſſet nomen Barnabæ Legatis Pontificiis memorare, ſi verè monumenta ad id comprobandum tunc extitiſſent, eoque veritatis præſidio munita judicaſſent, quæ abſque ſibilis & ludibrio poſſent proferri. Verùm id prorſus alienum erat a controverſia, quæ agitabatur, quamque ſatis erat (ut cauſam ſuam tutarentur incontinentiæ fautores) firmare auctoritate antiquiſſima Sancti Ambroſii, a quo initium ſumpſiſſe inſulſum hoc privilegium tradebatur. De reliquo, viguiſſe Seculo XI. in noſtra Metropoli hanc Traditionem, apertè docet Landulphus Senior, editus Tomo IV. Rerum Italicarum, & Arnulpho coævus, qui primum Hiſtoriæ ſuæ Librum claudens, Orationi ſeu Rhythmo adjecto finem his verbis imponit:

Rogo

Rogo Deum, qui huc miſit Barnabam Apoſtolum
Poſtea & qui direxit inclytum Ambroſium
Det mihi ſuave loqui noſtrorum diſſidium.

& Libro II. Cap. XV. diſertè inter cetera ſcribit, Metropolim Inſubrum a Sancto Barnaba primordia Fidei recepiſſe.

Ceterùm, quàm parvî factum a Mediolanenſibus fuerit Præludium illud Cardinalis Oſtienſis de invecta primùm in hanc Metropolim a memoratis Sanctis Martyribus Evangelica luce, ipſiuſmet Legationis exitus docet. Siquidem Vido Archiepiſcopus, Clerus, ac Populus ejuravere quidem Simoniæ ac Nicolaitarum hæreſim, quæ jamdiu invaluerat; ſed Traditionem de Sancti Barnabæ Apoſtolatu tum eo ſeculo, tum ſubſequentibus conſtantiſſimè retinuere; quin ullum umquam verbum de novis a tanto Præſule propoſitis veluti Eccleſiæ Mediolanenſis Fundatoribus, SS. Nazario, Protaſio, & Gervaſio, aut lingua aut calamo a Majoribus noſtris expreſſum, in tot annorum ſerie, ac Codicum antiquorum numero nobis invenire licuerit. Poterat igitur hic recens Scriptor labori calami parcere, ac ſilentio comprimere oratoriam eam declamationem, qua Traditioni noſtræ inſultare videtur, dum ait: „ Tam

„ fiden-

„ fidenter itaque S. Petrus Damiani in Urbe Mediola-
„ nenſi, univerſo Clero & Populo circumſtante, e ſug-
„ geſtu auſus eſt contra hujuſmodi Apoſtolatum decla-
„ mare, propoſitis veluti Eccleſiæ Mediolanenſis Fun-
„ datoribus, SS. Nazario, Protaſio, & Gervaſio? Et
„ nemo unus eum mendacii redarguit? Quin omnes
„ unanimiter in ejus ſententiam conceſſerunt, & refra-
„ ctarios annos, eo argumento quod Barnabam Medio-
„ lano pellebat, quodque alioquin tam facile expugna-
„ re poterant, eâ prolatâ ſententiâ: *Et noſtra Eccleſia*
„ *originis apoſtolicæ eſt*; eo inquam argumento convi-
„ cti, ac veluti de Cœlo tacti, adeo benevolè depo-
„ ſuere „? Porro, quid opus erat Chartas producere,
ut mendacem facerent Pontificium Legatum Cives no-
ſtri; cùm præcipuum Legationis momentum foret, non
de primordiis hujus Eccleſiæ diſcutiendis agere, ſed de
extirpanda Hæreſum peſte, quæ hic graſſabatur? Satis
autem efficax ad eam prorſus ab hiſce compitis elimi-
nandam ſtimulus erat Clero ac Populo Mediolanenſi,
auctoritas inſignium eorum Antiſtitum, quos Nicolaus
II. illuc direxerat, ipſaque etiam propoſita criminum
fœditas, ſacrorum Canonum decretis repugnans; quin
curam gerere deberent propugnandæ Apoſtolicæ origi-
nis, cujus gloriæ poſſeſſione a jam ſuperioribus ſeculis
fruebantur, & in qua poſtmodum, nulla habita Sermo-
nis

nis Sancti Petri Damiani ratione, ſed perpetuo S. Barnabæ cultu, ſuccedentes Poſteri ſe ſe confirmavere.

Supereſt expendendum, quanti ſint faciendi clamores, quos edidiſſe populum tradit Cardinalis Oſtienſis, videlicet nullam judicandi aut diſponendi vim Romano Pontifici in hac Sede competere, quæ ſemper extiterat libera, nec alteri Eccleſiæ ſubjecta. Ex hiſce namque prolatis publicè a Plebe Mediolanenſi verbis, novum argumentum capit Scriptor recentiſſimus toties memoratus, ut opinionem ſuam confirmet de longo Schiſmate noſtræ Eccleſiæ a Romana. Sed quis inconditi rudiſque vulgi vocibus fidat? Præcipuè cùm ad hanc libertatem decantandam incitarentur a Clericis, qui Sacerdotalis continentiæ frænum excuſſerant, & ad remota ſecula protrahi cupiebant pravæ illius conſuetudinis inveteratam licentiam. Verùm quàm mendax fuerit hæc populi declamatio, luce meridiana clariùs oſtendunt Sancti Ambroſii Antiſtitis noſtri Acta, & Hiſtoriæ omnes tam ſuperiorum ad illius ætatem, quàm ſubſequentium Mediolanenſium Epiſcoporum, quæ ſummam Apoſtolicæ Sedi reverentiam obedientiamque teſtantur; noſque etiam Capite III. luculentis documentis oſtendimus. Quamobrem ex hactenus allatis compertiſſimum fieri arbitramur, nihil prorſus roboris ineſſe Sermoni Cardinalis Oſtienſis, quem nobis tanto eloquentiæ apparatu

Apo-

Apoſtolicæ noſtræ Originis oppugnator ultimò exhibuit, ac ſi graviſſimi ſanctiſſimique illius Præſulis irrefragabili teſtimonio (ùt ſuperius innuimus) evulſa a fundamentis foret Traditio noſtra, campuſque omnis præcluſus, deſperatam hanc cauſam in poſterum patrocinandi.

An ſerò inductus in Urbem Mediolanenſem S. Barnabæ cultus, commentitium arguat ejuſdem Adventum.

CAPUT VIII.

ARgumentum aliud negantis naturæ ad Traditionem Mediolanenſium quatiendam armatur, ſilentium videlicet Liturgicorum voluminum, in quibus nulla per plura retro Secula Sancti Barnabæ memoria, aut præſtiti cultûs indicium, imo nec nomen ipſum occurrit. Porro (inquiunt) quî fieri poteſt, inclytam hanc Metropolim adeo accepti beneficii immemorem ingratamque extitiſſe, ut tamdiu diſtulerit Eccleſiæ ſuæ Conditori honorem in Templis deferre, totque aliis in Calendaria & Miſſalia relatis Sanctis Viris Fœminiſque, hunc unum, ob promulgatam Fidem & Sacra Inſtituta præ ceteris procul dubio colendum, prætererit atque neglexerit? Aut quæ ſolidi teſtimonii auctoritas antiqua huic

Digitized by Google

huic Eccleſiaſtico decori prætendi valeat, ſi Eccleſia ipſa Mediolanenſis, cujus præcipuum munus eſſe debuiſſet, illud publicè ad Aras teſtari, ſilere vetuſtos Liturgicos Codices, præſcriptaſque in Divinis Officiis preces carere Barnabæ nomine per tam longa temporum intervalla permiſit?

Ne huic conjecturæ (quam validiſſimam putant qui noſtram impetunt Traditionem) refellendæ quidquam ſtudii impendamus, cauſæ noſtræ patronum habemus Danielem Papebrochium, infenſum alioquin adverſarium gloriæ Mediolanenſium in hac de Apoſtolica origine concertatione. Is igitur, cùm Sancti Barnabæ Apoſtoli Acta peculiari commentario illuſtranda, ad diem XI. Junii, quo memoria ejuſdem colitur, ſuſcepiſſet, a cultu ipſi ab Eccleſia præſtito exordium ducens hæc habet: „ Laudatiſſimus in Actis Apoſtolorum Barnabas, „ et ipſe cum Paulo Apoſtolus Gentium, extra Patriam „ Cyprum, nullum, qui quidem doceri poſſit, cultum „ in alia aliqua Eccleſia habuit, aut locum in anti„ quiori Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio; ſed neque „ Orientalis, niſi admodum ſerò, additus Sancto Bar„ tholomæo Apoſtolo; quem hoc die præcipuè colunt „ Græci, a Latinis dilatum ad menſem Auguſti „ & poſt pauca: „ Mirum porro eſt, quàm ſimilis fortuna „ fuerit utriuſque Apoſtoli, in adipiſcendo ſeriùs cultu,

„ tam apud Græcos, quàm apud Latinos; & quòd neque Hieronymianum Martyrologium, neque vetera Sacramentaria, Barnabæ aut Bartholomæi meminerunt „. Quærens autem, quis primò Barnabæ nomen Sacris Faſtis inſcripſerit, Florum deſignat, indeque ait, *paſſim quaquaverſum invaluiſſe, ut Sanctus Barnabas Calendariis infereretur*. De hoc poſtremo non ita ſenſit Joannes Baptiſta Solerius in Notis ad Uſuardi Martyrologium, quæ in primo ſupplemento Junii leguntur; tribuit enim ipſe hanc laudem Bedæ, niſi antiquius Bedâ ſit *Martyrologium Romanum parvum*, a quo diſertè *Barnabas* memoratur; cujuſque ætatem Seculo VIII. affigendam cenſet idem Solerius in Præfatione, ideſt ad annum DCCXL. Quidquid tamen de hoc ſit, compertum habemus, uſque ad eos annos Sanctum Barnabam in omnibus Orientis & Occidentis Eccleſiis, unâ exceptâ Cypro, peculiari cultu caruiſſe, nec ejus nomen in Martyrologiis aut Liturgicis Libris fuiſſe antea conſcriptum. Quocirca quis jure arguere valeat ingratæ erga Conditorem ſuum oblivionis Ambroſianam Eccleſiam, aut Sacrorum Codicum ſilentium eidem objicere, tamquam falsò venditatæ Apoſtolicæ Originis manifeſtum indicium, cùm id commune fuerit ceteris omnibus & Latinis & Græcis extra Cyprum Eccleſiis; nec ullus hactenus illas auſus ſit incuſare de tarditate præ-

ſliti

ſliti honoris tam benemerito Apoſtolo, ob prædicatum unà cum Paulo, tanto peregrinationum labore, Gentibus Evangelium? Imo ex hoc alieno ſilentio non modicum cauſæ noſtræ putamus præſidium accedere; ſi enim Eccleſiæ plures, quæ Divino Sacroſanctæ Scripturæ teſtimonio certiſſimè noverant, prima Catholicæ Fidei ſemina, ſuæque Inſtitutionis fundamenta jacta fuiſſe a Sancto Apoſtolo Barnaba, abſque debitæ venerationis injuria, per tot ſeculorum ſeriem, ejuſdem natalem diem, ſacrarum precum & Sacrificiorum cultu vacuum reliquere; quid dedecoris inuri debet Eccleſiæ Mediolanenſi, aut quid fabuloſæ gloriæ eidem exprobrandæ colligi poteſt, ex eo quòd paſſa ſit tamdiu ſilere in hac Metropoli Templa ac Odea, quin nomen Conditoris ſui in Civium auribus reſonaret, ſolemnique Pſalmorum recitatione celebraretur, cùm de adventu in Inſubrum Regionem Sancti illius Apoſtoli, ſerò admodum a vetuſtis repertis Annalibus, atque humanâ tantùm præditis fide admonita fuerit?

Quamvis ne verum quidem eſt, ſegnem illam extitiſſe in conferendo debitum Sancto Barnabæ honorem, ſtatim ac intellexit primæva Evangelii ſemina, Cruciſque Sanctiſſimæ Vexillum ſe ab ipſo accepiſſe. Servatur apud Nobiliſſimum & Patricium noſtrum Equitem Don Carolum Abbatem Trivultium, Antiquitatum Pa-

triæ Cultorem eximium, Ambroſiano-Monaſticum Miſſale, Seculo ſaltem IX. exaratum, ùt docent tum notæ cantûs, quem vocant firmum, eâ formâ compoſitæ, quæ olim in uſu erat, antequam Guido Aretinus Monachus meliorem canendi methodum excogitaret, tum memoria Pontificum ac Principum, ex antiquiſſimo Inſtituto in Canone Miſſæ ante Conſecrationem peragenda; ſiquidem ibidem preces Sacerdos fundit *pro Imperatore*, *ac Rege Franciæ*, quod certè non niſi ad tempora Carolina referri poteſt. Liturgico hoc Codice utebatur Cœnobium Clivatenſe, quod a Deſiderio Langobardorum Rege conditum dicitur in Diœceſi Mediolanenſi: neque ambigendum eſt, ibidem Ambroſianum Ritum viguiſſe tunc temporis, cùm ex Epiſtolis autographis Sancti Caroli Borromei in Ambroſiana Bibliotheca ſervatis, & Cardinalis etiam Sirleti aſſertione conſtet, nullam antiquitus, etiam Monachorum Eccleſiam, in Archiepiſcopi noſtri ditione, alio Ritu celebrare Sacra potuiſſe, niſi Ambroſiano; ac Seculo tantùm XIII. vel etiam ſeriùs cœpiſſe aliquas ex Religioſis Familiis diſpenſationem a Summo Pontifice obtinere, ut ab eo declinarent, ac Romanum amplecterentur. Præclarum hujus rei teſtimonium exhibet Conſtitutio Franciſci Picolpaſſi Mediolanenſis Archiepiſcopi (ex cujus Nobiliſſima Familia per maternum latus Lambertinis conjuncta

pro-

Digitized by Google

prodiit BENEDICTUS XIV. feliciter regnans) edita anno MCDXL. circa reformationem Officii Ambroſiani (de qua inferiùs ſermo redibit) & typis vulgata a Clariſs. Muratorio inter Antiquitates Medii Ævi Diſſertatione LVII., quæ hoc exordium habet: „ Franciſcus Dei „ & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Mediolanenſis Ec- „ cleſiæ Archiepiſcopus, univerſis & ſingulis Dominis „ Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archipresbyteris, „ ceteriſque Eccleſiarum Civitatis & Diœceſis Mediola- „ nenſis Prælatis, ac Clericis aliis tam Secularibus quam „ Regularibus, nec non Abbatiſſis, Prioriſſis, Monia- „ libus, & Religioſis, ac Deo dicatis Ordinum quo- „ rumcumque, Divinum Officium, ſive Horas Cano- „ nicas juxta Ritum Beatiſſimi Pontificis & Patroni no- „ ſtri Ambroſii obſervare debentibus, & ad talia obli- „ gatis, ſalutem in Domino „. Itaque in eo Miſſali, charactere prorſùs eodem, præſcripta occurrit ſub die XI. Junii Miſſa in honorem Sancti Barnabæ Apoſtoli, deſumenda quidem ex Communi Apoſtolorum, ſed duabus propriis Orationibus ab aliis Miſſis diſtincta. Quinimo, ſi admittenda ſit conjectura Papebrochii, qui in Notis ad Acta Sancti Barnabæ memorat Codicem, in Gallia ſcriptum ſeptingentis ſaltem annis antea, in quo continetur: *Sermo legendus in Natali Sancti Barnabæ Apoſtoli*; ac ſubinde hæc habet: „ Apparet, quòd ibidem

„ dem cœptus ſit ſolemniùs celebrari Natalis (Sancti „ Barnabæ) priuſquam in Romana Eccleſia ; idque „ veriſimiliter , *exemplo Mediolanenſis Eccleſiæ* , quæ ab „ illo ſe Inſtitutam prætendit , & in ejus die propriam „ Miſſam cum ſpeciali Præfatione uſurpat „ : Si hæc , inquam , admittere debeamus , gloriari poſſumus , Eccleſiam noſtram inter Occidentales primam fuiſſe, quæ ſacrum cultum huic Apoſtolo non modò inſtituerit, ſed ad remotas etiam Provincias exemplo tranſmiſerit. Neque hoc abludere a veritate cenſemus ; cùm enim ſeptingenti antiquitatis anni, Codici Gallico a Papebrochio adſcripti repeti debeant a Seculo XI. , Miſſale proximè enunciatum , noſtroque adhuc Ævo ſuperſtes, longè illo antiquius eſſe ex allatis ſuperiùs Notis , ejuſdem vetuſtatem comprobantibus , manifeſtum fieri arbitramur.

Teſtis quoque antiquiſſimi cultûs Sancto Barnabæ exhibiti ab Eccleſia Mediolanenſi in ſolemnibus Sacris , eſt Beroldus Cæremoniarum Eccleſiæ Ambroſianæ accuratus Scriptor circiter annum MCXXX. , cujus lucubrationes edidit Muratorius poſt Diſſertationem LVII. Antiquitatum Italiæ Medii Ævi . Is in paragrapho inſcripto : *Incipit Ordo qualiter denarii omnium Feſtivitatum dividuntur* ; Feſtos dies recenſet , in quibus Archiepiſcopus denarios erogare tenebatur , ordine ſequenti : „ In primis Nativitas Innocentium , Circumciſio Do-

„ mini ,

„ mini , Purificatio Sanctæ Mariæ , Aſcenſio Domini ,
„ Sancti Barnabæ Apoſtoli &c.

In calce ejuſdem Diſſertationis ſæpius laudatus Muratorius Codicem Ambroſianæ Bibliothecæ refert , ſaltem ante annos DC. , nempe Seculo circiter XII. ſcriptum , videlicet : „ *Manualis de ſingulis Dominicis , &* „ *Feſtivitatibus in circuitu anni* . Inter cetera ad diem „ Sancti Barnabæ tres (duæ ibidem ſolùm leguntur) „ tantùm Orationes aſſignantur „ ſed poſtmodum ſubdit : „ nihil aliud peculiare ibi occurrere ; quod indi- „ cio eſſe poteſt , eo tempore nondum invaluiſſe opi- „ nionem de fundatione Eccleſiæ Mediolanenſis , per „ ipſum (Apoſtolum) , ùt a multis Seculis traditur , „ facta „ . Equidem animadverſio iſta , a tam erudito claroque Viro ſcripta & vulgata , *nondum* nempe *invaluiſſe opinionem de fundatione Eccleſiæ Mediolanenſis per Sanctum Barnabam facta* , non parum nos percellit ; ad recentiores namque ætates Traditionem noſtram amandare videtur . Sed quis jure poſſit exigere , ut in Sacris Eccleſiæ precibus aperta tunc fieri deberet mentio de adventu Sancti Barnabæ Mediolanum ; cùm etiam in præſentiarum nullum de hac re verbum ferant quatuor Orationes , quæ in Miſſa atque Horis Canonicis recitantur ? Imo in Præfationibus ipſis , in quibus poſtremis hiſce Seculis Acta Sanctorum , de quibus Feſtum

agi-

agitur, referuntur, nihil antiquitus omnino exprimebatur. Hujus rei teſtem habeo MS. Miſſale Ambroſianum, a ſeptingentis & amplius annis in pergamena exaratum, in quo, cùm omnibus Sanctis per annum decurrentibus ſuæ Præfationes addantur, nihil umquam de eorum glorioſiſſimè geſtis deſcribitur, ſed tantùm de iis, quæ ad genericam vel Martyrii vel Fidei confeſſionis laudem pertinent, mentio habetur. Validiùs confirmatur hic ritus Præfationibus Miſſarum Sancti Ambroſii & Sancti Auguſtini, quæ in memorato Liturgico Codice exaratæ leguntur: In illis enim omnino ſilentur, quæ acta ab ipſis fuere in hac Civitate, & per univerſum terrarum orbem erant adeo celebria. Profero Præfationem Miſſæ de Sancto Ambroſio, prout ibidem jacet: „ Per Chriſtum Dominum noſtrum. In cu„ jus ſalutifera opportunitatis reſurrectione magnis exul„ tationibus atque gaudiorum lætitia totius mundi or„ bis exultat. Quo etiam ſacratiſſimo ſinceritatis die „ almificus Antiſtes Ambroſius ætherium migravit ad „ regnum. Quem infantum caterva ſacri baptiſmatis „ perfuſione dicata tribunali throno decibiliter conſe„ dentem ſuis digito parentibus inſignabat. Et quia „ jam ætate vergentes obtecta piaculis lumina geſtabant „ natorum munda corda ferentium creduli demonſtra„ tione pariter & animo exiſtebant. O quam digna

„ pa-

„ paſtoralis actio declaratur in populis, quæ glorioſius „ in vita fulgidis prædicationum uſibus rutilabat. Et „ ideo cum Angelis.

Hoc poſito antiquiſſimo teſtimonio, quis nobis jure objicere valeat ſilentium de adventu Sancti Barnabæ Liturgicorum Codicum, veluti argumentum, quo ſpes omnis intercidatur propugnandæ intrepido vultu Traditionis Mediolanenſium? Interim admiramur, tam accuratum celebremque Scriptorem minimè advertiſſe ad ea quæ jam profeſſus fuerat in Præfatione ad Opuſculum *de Situ Civitatis Mediolani*, Traditionem nempe noſtram evulgari cœpiſſe ante Seculum IX. vel ſaltem X., quo ſcribebat prædicti libelli Auctor Anonymus. Ut verò ad controverſiam noſtram redeamus, plurimum ad enervandam opinionem recentis Barnabæ cultûs, inſtituti ab Eccleſia Ambroſiana, confert etiam hic Codex a Ludovico Muratorio memoratus, cùm illum a ſexcentis ante annis, non inceptum apud nos (quemadmodum ſuperiùs comprobavimus) ſed perſeverantem oſtendat.

Alterum Liturgicum Mediolanenſis Eccleſiæ librum cuſtodit Ambroſiana Bibliotheca, manu in pergamena exaratum Seculo XI., & quidem antequam hæreſim ſuam Berengarius evulgaret circa annum ML.; id enim colligimus ex Canone Miſſæ, a quo prorſus abeſt formula illa, qua ad Confractorium nunc utimur: *Corpus*

tuum frangitur Chriſte; quæque inducta in Canonem fuit, poſtquam Nicolaus II. Pontifex Maximus ad omnes Italiæ, Galliæ, & Germaniæ Eccleſias tranſmiſit exemplar *Juris jurandi*, *manu propria ſubſcripti* a Berengario in Concilio Romano, quo inter cetera profitebatur, Corpus Chriſti *in veritate manibus Sacerdotum tractari*, *frangi*, *& Fidelium dentibus atteri*, ùt teſtatur Sanctus Lanfrancus eidem Synodo præſens. Aliud etiam indicium, quo antiquitas memorati noſtri Codicis comprobatur, eſt Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, quæ inſtituta eſt ſub initium Seculi XII. in Ambroſiana Eccleſia, atque affixa Feriæ II. poſt Dedicationem Eccleſiæ Majoris, nempe poſt Dominicam III. Octobris, cùm Mediolanenſem Infulam gereret Jordanus Archiepiſcopus, anno MCXX. e vivis ereptus. Quanta ſolemnitate iſta celebraretur, narrat coævus Beroldus, cujus verba refert Puricellus in Diſſertatione Nazariana Cap. XCVI.; cujuſque opus typis evulgavit Muratorius poſt prædictam Diſſertationem LVII. Antiquitatum Medii Ævi: ,, ſiquidem præcedente die om-
,, nia tintinnabula Eccleſiarum pulſabantur, & Matuti-
,, num Defunctorum publicè cantabatur. Simili etiam
,, modo, facto mane, Miſſa ubique Defunctorum tan-
,, tùm, voce excelſa celebrabatur. His verò finitis, &
,, ſonito ſigno, univerſus Clerus Urbis conveniebat in

,, Ec-

„ Eccleſiam Æſtivam cum Præſule ſuo, ut valeret cum „ Proceſſione in Eccleſiam Hyemalem „. De hoc tamen ſolemni Inſtituto Liturgicus iſte Codex omnino ſilet, cùm Calendaria ſubſequentium temporum ad diem prædictum illud enuncient. Itaque in hoc antiquo Ambroſiani Ritûs volumine legitur Miſſa in Sancti Apoſtoli Barnabæ honorem condita, cum quatuor Orationibus & Præfatione; Epiſtola verò, & Evangelium idem ſunt cum iis, quibus utitur etiam in hodiernum diem Mediolanenſis Eccleſia.

Plura alia hìc attexere prætermittimus (ne prolixa enumeratione tædium creetur Lectoribus) teſtimonia veterum Codicum Seculi XII. XIII., aliorumque ſubſequentium uſque ad noſtram ætatem, in quibus non tam Barnabæ nomen deſcriptum in Calendariis, ſed etiam ſtatutus precum ordo ad Horas Canonicas perſolvendas, & Sacra facienda, in Anniverſario ejuſdem Natali die, adnotatus occurrit. Aliquos eorum nobis obtulit Bibliotheca Ambroſiana; nonnullos alios inſpeximus aſſervatos in Sacrariis Eccleſiarum hujus Urbis, ac præſertim in prædivite antiquorum voluminum Bibliotheca Metropolitanæ Baſilicæ. Unum memorare ſat erit, Calendarium nempe Sitonianum, publici juris jam factum in ſecunda Parte Tomi II. Rerum Italicarum a Clariſs. Muratorio, qui eidem antiquitatem ſeptem cen-

ium annorum tribuit, adeoque Seculo ſaltem XII. eſt adſcribendum. In eo Sancti Barnabæ Natalis dies annunciatur ad III. Idus Junii his verbis: *Sancti Barnabæ Apoſtoli in domo Archiepiſcopi*. Eadem verba *in domo Archiepiſcopi* refert alterum Calendarium, præfixum Miſſali pergameno Bibliothecæ Ambroſianæ, circa Seculum XIV. conſcripto. Ut verò compertum fiat, cur formula prædicta appoſita ſit in relatis Calendariis, aliiſque in Bibliotheca Ambroſiana extantibus poſt nomen Sancti Barnabæ, lubet hìc referre, quod Gothofredus de Buſſero Seculi XIII. Scriptor adnotavit in prægrandi volumine MS. de Vitis Sanctorum, in memorata Bibliotheca Metropolitani Capituli cuſtodito, ubi agit de Sancto Barnaba; Ejus autem verba hæc ſunt: „ Sanctus
„ Barnabas habet quinque Eccleſias, & Altaria quatuor,
„ ſcilicet: Eccleſia Sancti Barnabæ inferior & ſuperior
„ *in domo* Domini *Archiepiſcopi* unà cum Sancto Ana-
„ talone: item ad Canonicam in Brolio apud Hoſpita-
„ lem Guifredi: item in Monaſterio de Gratafolio:
„ item in Loco Valentraſca de Canobio: item in Loco
„ Cremellina de Garlate. Item Altare ad Sanctum Jo-
„ annem in Conca: item & Altare ad Sanctum Geor-
„ gium in Palatio: item & Altare ad Sanctum Nabo-
„ rem, ubi eſt Caput ejuſdem Apoſtoli: item & Alta-
„ re in Eccleſia Sancti Sepulcri de Berenio „: Hinc

verò

Digitized by Google

verò diſcimus, celebriorem hujus Sancti Apoſtoli Feſtivitatem, quæ Mediolani tunc vigeret, peractam eſſe in Eccleſiis Archiepiſcopalis Palatii. Diximus *celebriorem*, nam in Calendario pergameno Bibliothecæ Ambroſianæ, ſcripto anno MCCCLXXXI. ad diem XI. Junii iſta adnotantur: *Sancti Barnabæ Apoſtoli*: *Ad Sanctum Naborem eſt Feſtum*. Neque omittendum eſt, Gothofredum de Buſſero duxiſſe ortum ſuum Mediolani anno MCCXX., ùt ipſe teſtatur in Memoria Sanctæ Pelagiæ ad numerum CCCXXXIV. ſui Operis; quam ob rem cùm tot Eccleſias atque Altaria in Mediolanenſi Urbe ac ditione enumeret, quæ certè ante illius ætatem condita fuiſſe dubitare non poſſumus, manifeſti erroris coarguuntur, qui ob recenter inductum in hanc Metropolim Sancti Barnabæ cultum, Traditionem noſtram enervare contendunt.

Neque cultus iſte Sancto Barnabæ præſtitus ab Eccleſia Mediolanenſi ea celebritate, quam nuper retulimus, umquam defecit; quinimo incrementum accepiſſe intelligimus ex pergameno Miſſali, quod minio auroque eleganter depictum olim Lateranenſibus Clericis Regularibus, Sancti Barnabæ Templum ſitum extra muros Mediolani incolentibus inſerviebat, emptumque fuerat ab illius Cœnobii Præpoſito anno MCCCCLXXI. pretio non modico, ùt ipſemet in prima pagina adnotatum

tatum reliquit; & nunc in Ambroſiana Bibliotheca ſervatur: In hujus namque Calendario adnexo dies Natalis Sancti Barnabæ, non ſecus ac ceteri Feſti dies de præcepto, rubro charactere ab aliis diſtinguitur. Eodem colore deſcriptum reperitur in altero Calendario Ambroſiani Miſſalis, prælo impreſſi in pergamena anno MDXXII., quod pariter in memorata Bibliotheca cuſtoditur. Item in Breviario Ambroſiano, edito Venetiis anno MDXXXIX.; nec non in altero Mediolani impreſſo, anno MDLVII.: quæ omnia tenet Ambroſiana Bibliotheca. Quinimo in Manuali juxta Ritum Ambroſianæ Eccleſiæ, inter ceteros Natalis etiam Sancti Barnabæ Apoſtoli dies hoc ſignum ✠ præfert, ſubjuncta hujuſmodi adnotatione *Mediolani tantùm*. Quapropter credere par eſt, hiſce exemplis permotum Sanctum Carolum Borromeum voluiſſe, ut quod in Urbe Mediolanenſi jam invaluerat, in omnes quoque Eccleſias ſuæ Provinciæ propagaretur, ita ut Feſtum Sancti Barnabæ de præcepto recolerent. Proinde in Concilio Provinciali VI. Titulo *De diebus Feſtis* Decretum edidit: „ Dei „ munere beneficioque cum Eccleſia Mediolanenſis præ„ dicatione Sanctiſſimi Apoſtoli Barnabæ primùm Fidei „ myſteriis imbuta, tum aliæ pleræque hujus Provin„ ciæ Civitates, Evangelii lumine illuſtratæ, cauſam „ omnem Feſti illius diei præcipuè colendi habent.
„ Quam-

„ Quamobrem dies ejus Natalis, qui eſt III. Idus Junii, ut de more aliorum dierum Feſtorum, qui a Clero Populoque ex præcepto coluntur, piè ac religiosè ſanctificetur, Epiſcopus curet, ubi in ſua Diœceſi non colatur ſanctificeturve „. Porro etiam Franciſcus Picolpaſſus Mediolanenſis Archiepiſcopus, pietate & doctrina ſpectatiſſimus, in Conſtitutione ſuperiùs indicata *circa Reformationem Officii glorioſiſſimi Pontificis, & Patroni noſtri Ambroſii*, ſupra centum ante annos inter cetera Decreta hoc condidit, ut in vigiliis dierum ſolemnium Veſpertina Officia decantarentur in Baſilica Cathedrali, & in aliis etiam Eccleſiis; recenſens verò Sanctorum præcipua Feſta, in quibus agendæ erant vigiliæ, includit Natalem diem *Sancti Barnabæ primi Archiepiſcopi Mediolani*.

Hinc autem facilè quivis intelliget, quàm parum de rebus noſtris edoctus eſſet (aliàs ob eruditionis amplitudinem commendatiſſimus Scriptor) Jo. Mabillon, qui in altera ſui Muſæi parte pag. CIX. hæc habet: „ In Miſſali anni MDLX., & deinceps extat Miſſa propria de Sancto Barnaba Apoſtolo, de quo in Præfatione legitur: *Hic Eccleſiæ Mediolanenſis primus Pontifex eam miraculis inſignivit &c.*, ſed tamen in Canone Miſſæ nulla ejus mentio „; quibus verbis innuere videtur, ſerò admodum inductum fuiſſe in Liturgicos Ambro-

broſianos libros cultum Sancti Barnabæ; præſertim cùm ſtatim ſubdat: „ In Catalogo (quem integrum refert) „ Mediolanenſium Antiſtitum perantiquo, manu recen- „ tiori Barnabæ nomen primo loco poſitum eſt „. Siquidem non modò in vetuſtiſſimis Codicibus ad res Liturgicas peragendas manu conſcriptis, quos huc uſque produximus, ſed etiam in Miſſali Zarotti, primùm in lucem typis emiſſo anno MCDLXXV. aliiſque ſubſequentium ætatum, propria de Sancto Barnaba Miſſa oculis omnium percurrenda exhibetur, ad diem XI. Junii. Nec Miſſalia tantùm, ſed Breviaria quoque Seculo XV. prælo excuſa, proprias de Sancto Barnaba Canonicas Horas præferunt. Unum ſervat Bibliotheca Ambroſiana in pergamena, impreſſum anno MCDLXXXVII., in quo tres Lectiones, Orationes quatuor, & Hymnus in hujus Sancti Apoſtoli laudem confectus, die Natali ejuſdem, ad divinum Officium perſolvendum, Mediolanenſi Clero præſcribuntur. Quod verò ad Canonem attinet, minimè inficiamur, non niſi in Miſſali anno MDXCIV., edito a Gaſpare Vicecomite Mediolanenſi Archiepiſcopo reperiri Barnabæ nomen: Id tamen in recentiſſimi cultûs argumentum trahi non poteſt, cùm Eccleſiæ Romanæ, & aliarum antiquus fuerit ritus, eos tantùm Apoſtolos in Canone invocare, quos propria voce Dominus Jeſus ad excelſum illud munus

nus

nus gerendum aſſumpſit deſignavitque. Quamobrem nullus datus eſt locus Sancto etiam Matthiæ in precibus ante Conſecrationem, in quibus, poſt Sanctos Petrum & Paulum Eccleſiæ Principes, alii ſingillatim Apoſtoli enumerantur. Romana poſtmodum Eccleſia adjecit Litaniis poſt Conſecrationem recitandis Sanctum Matthiam & Barnabam: Ambroſiana tamen, quæ non niſi labente Seculo XVI. Sanctum Barnabam (ut diximus) Canoni inſeruit, nomen Sancti Apoſtoli Matthiæ ibidem adhuc omittit. Ceterum Litaniæ præſcriptæ ad Triduanas agendas ſupplicationes poſt Aſcenſionem Domini, inter alios Sanctos, quorum patrocinium imploratur Sanctum Barnabam recenſent in vetuſtiſſimis MSS. omnibus Codicibus, non ſecus ac in earumdem Rogationum libris, ſeorſim prælo in lucem eductis, centum & amplius annis ante Archiepiſcopum noſtrum Gaſparem Vicecomitem, qui primus Sanctum hunc Apoſtolum in Ambroſianam Liturgiam invexit.

Jam verò ut vela tamdem contrahamus, cùm omnium Martyrologiorum ſilentium ante Bedam, vel *parvum Romanum* clarè indicet, Seculo tantùm VIII. incœpiſſe cultum Sancti Barnabæ in iis etiam Eccleſiis Aſiæ, quæ certo certius noverant, ſe ab hoc Apoſtolo fuiſſe inſtitutas; cùm Gallicanæ Eccleſiæ viſæ fuerint ſequi exemplum Mediolanenſis in colendo celebriùs San-

cti Barnabæ Natali, idque etiam ante Eccleſiam Romanam, ùt Papebrochius ſuperius relatus veriſimiliter tradit; cùm noſtræ Urbis ac Diœceſis Liturgici Codices, qui ceterorum miſerrimam cladem (ob temporis edacitatem, aut Cuſtodum incuriam) evaſerunt, a remotiſſimis Seculis diem Sancto Barnabæ dicatum, Miſſæ propriæ Sacro, Diviniſque Officiis ſolemniter apud nos celebratum fuiſſe teſtentur: profectò ignoramus, quid validi argumenti ad noſtram convellendam Traditionem capi valeat ex hujuſmodi cultûs tarditate, quæ per octo Secula univerſo Orienti atque Occidenti communis fuit; cujuſque labem (ſi quæ poſſit excogitari) vel prima, vel ſaltem inter primas ab Aris ſuis depulit Mediolanenſis Eccleſia. Quin etiam ad eam roborandam, novum hinc præſidium ſuppetere Mediolano putamus. Pater Honoratus a Sancta Maria in Diſſertatione II. Tom. II. Art. IV. *de Criticæ regulis* hæc ſcribit: „ Fontes Traditionum Eccleſiaſticarum appello Auctores Eccleſiaſticos, qui nobis illas tradiderunt, Martyrologia, Breviaria, alioſque Libros, Eccleſiæ uſui delectos „. Sanè hiſce Fontibus Mediolanenſem Eccleſiam minimè carere jam vidimus, cùm ejuſdem Seculi IX. (cui affigit laudatus Muratorius memoratum ſæpius Anonymi Opuſculum *de Situ Civitatis Mediolani*) Liturgicus quoque Codex a nobis productus fuerit, Miſſam

San-

Digitized by Google

Sancti Barnabæ cum duabus propriis Orationibus referens. Itaque coævi ſunt Libri Hiſtorici & Sacri, Traditionem hanc noſtram, & cultum illius Apoſtoli in Ambroſiana Eccleſia enunciantes. Num verò ſuperiore ad IX. Seculum tempore nomen Sancti Barnabæ in Miſſalibus, aut Breviariis inſertum jam foret, abſumptis ſenio aut ætatum injuria Libris huic Eccleſiæ inſervientibus, nec nos divinare, nec Adverſarii poſſunt manifeſto argumento refellere. Id certò conſtat, teſtimonio Sacrorum Codicum, quos obvios facere cuilibet poſſumus, honorem in Templis a ſumma vetuſtate Conditori ſuo præſtitum, & conſervatum in Eccleſia Mediolanenſi, imo etiam ſolemniori celebritate auctum, in hodiernum uſque diem perſeveraſſe. Quam ob rem Traditio Mediolanenſis ex hac parte in tuto prorſus eſt poſita.

Coronidis loco attexere lubet, quæ Metropolis noſtræ Magiſtratus ſtatuère, ut Sancti Apoſtoli Barnabæ venerationem cultumque a Majoribus acceptum publicè teſtarentur. Ultra enim ſupra memoratas a Gothofredo de Buſſero Seculi XIII. Scriptore Eccleſias & Altaria (ante illius certè ætatem Patrono & Inſtitutori ſuo, a Mediolanenſibus dicata) altera poſtmodum Seculo XIV. ædificari cœpit Eccleſia in Mediolanenſis Urbis confiniis, Sancto Barnabæ ſacra; eaque cuſtodiæ Canonico-

rum Lateranenſium tradita eſt (neque enim Benedictinos Monachos ibidem inhabitâſſe, ut aliqui opinantur, ullum in præclariſſimi illius Ordinis Hiſtoriis veſtigium occurrit). Perſtitere in adnexo Cœnobio Regulares Canonici uſque ad annum MD., quo tempore in Commendam abiit, donec liberali Alexandri Tægii, Præpoſiti Commendatarii, ceſſione oblata eſt anno MDXXXVIII. naſcenti Clericorum Regularium Sancti Pauli Decollati Congregationi, qui ab eadem Eccleſia nomen *Barnabitarum* accepere.

Nec deſiderari venerationis ſuæ erga hunc Sanctum Apoſtolum publicum teſtimonium paſſi ſunt Mediolanenſes Principes, ac Generale Decurionum Civitatis noſtræ Concilium. Siquidem in veteribus Statutis legitur celebratus hujus Sancti dies feſtus more peculiarium Civitatis Feſtivitatum, nempe cum ejuſdem Oblatione. Extat in Ambroſiana Bibliotheca Codex MS., in quo continentur *Statuta Communis Mediolani*, promulgata a Joanne Galeatio Vicecomite, primo Mediolani Duce, anno MCCCXCVI., & nuperrimè illuſtrata in peculiari eruditiſſima lucubratione de *Ortu & Progreſſu Juris Mediolanenſis*, typis edita a J. C. C. ac Reg. Fiſci Patrono (nunc in Ampliſſimum Senatorium Cœtum cooptato) Comite Gabriele Verro, non minus ſanguinis quàm ingenii claritate ſpectatiſſimo, mihique nexu ſingularis ami-

Digitized by Google

amicitiæ conjuncto. In prædicto autem manu exarato Volumine, ubi de diebus feſtivis celebrandis agitur, adnotatum eſt: *Die XI. de menſe Junii, Sancti Barnabæ Apoſtoli*. Cùm verò Oblationes, quæ per Commune Mediolani fieri debebant, Statuta deſignent, inter alias ea recenſetur, quæ in Patroni noſtri honorem præſtabatur, his verbis: *Fratribus Minoribus* (ideſt in Baſilica Sanctorum Naboris & Felicis, nunc Sancti Franciſci) *pro Feſto Sancti Barnabæ die XI. Junii libræ quinquaginta tertiolorum*. Religioſa hæc inſtitutio, cujus originem ignoramus, uſque in hodiernum diem perdurat: niſi quòd Præfectus Urbis & Ædiles non amplius procedunt ad illud Templum; ſed ad Sancti Barnabæ Fontem prope Euſtorgianam Baſilicam, ſubſequentibus Artium Univerſitatibus cum earum Vexillis, ſolemni ritu ſe conferunt: Ex quo enim Cardinalis Federicus Borromeus hanc curam Primoribus Civitatis injecit, ut locum illum ornamentis augerent, ædificata eſt publicis expenſis ibidem Eccleſia, & quotidianum Sacrum inſtitutum.

Sed jam opus eſt anchoram in portu figere, & (navigantium more, qui in litore confidentes emenſum feliciter mare ſcopulis & ſyrtibus frequens ſibi invicem gratulantur) fauſtum quoque nobis diem illum auſpicari, quo damnata ad quiſquiliarum tenebras Apoſtolicæ Originis Traditio, reliquarum quæ jam receptæ ſunt

con-

conſortio reſtituatur. Nec inani ſpe ducimur: Cùm enim palam fecerimus, *antiquiſſimæ* Titulum jure ipſi deberi; nullo umquam tempore obſoleviſſe apud nos Sancti Barnabæ cultum; inextricabiles prima fronte difficultatum nodos facili manu poſſe diſſolvi; nihilque ex Hiſtoriis tum Sacris tum profanis erutum hactenus fuiſſe, quod eam protererere valeat aut enervare: quî fieri poteſt, hanc ſolam Mediolanenſium, tot præſidiis teſtimoniis documentiſque roboratam, infelicis adeo conditionis putari, ut caput attollere in Literatorum choro nequeat abſque verecundia? Præſertim cùm nihil inveriſimilius videatur, Apoſtolum Barnabam, ſui juris relictum a Paulo, cum quo diuturnam Miſſionis Evangelicæ ſocietatem habuerat, tamdiu voluiſſe morari apud Cyprum, parvi ambitus Inſulam, quæ non primò Chriſti vexillo adſcribenda erat, ſed tantùm confirmanda in ſanctis hujus militiæ præceptis; quin eum alliceret ampliſſimus Italiæ, penè ſub oculis jacentis campus, ut eum fœcundo Divinæ Fidei ſemine impleret, divitemque meſſem Magiſtro ſuo conſecrandam pararet. Sanè Genuenſis Civitas, maribus hiſce finitima ſummæ gloriæ loco habet, ſe a Sancto hoc Apoſtolo aquis baptiſmalibus fuiſſe reſperſam.

Verùm, ne a ſuperius promiſſis recedamus, ſincerè iterum profitemur, Traditionem noſtram, tamquam in-

indeficientis veritatis oraculum, minimè a nobis venditari: Quamobrem iiſdem doctiſſimi Epiſcopi Novarienſis Caroli a Baſilica-Petri verbis Diſſertationem iſtam abſolvimus, quibus eamdem inchoavimus, nempe:
„ Sanctum Barnabam Apoſtolum in Urbe Mediolani
„ Jeſu Chriſti Evangelium primùm prædicaſſe, Eccle-
„ ſiæque Mediolanenſis fundamenta jeciſſe, neque ex
„ tam certis argumentis affirmare poſſum, ut certiora
„ non cupiam; neque rurſus (ut mihi quidem videtur)
„ ex tam incertis, ut ea quis, licèt gravis Hiſtoriæ
„ certæque cupidus, ſit aſpernaturus.

F I N I S.

SERIES CAPITUM.

CAPUT I.

Traditio Mediolanenſium proponitur, & propugnatur. pag. VII

CAPUT II.

De antiquitate hujus Traditionis. XII

CAPUT III.

Exploditur opinio, quæ initium Traditionis Mediolanenſium antiquo Schiſmati Angilberti affigit. XVIII

CAPUT IV.

An Traditioni Mediolanenſium quidquam officiat ſilentium Sancti Ambroſii. XXIX

CAPUT V.

An Traditionem Eccleſiæ Mediolanenſis de Sancto Barnaba infringat Epiſtola Decretalis Innocentii I. Summi Pontificis. xli

CAPUT VI.

An omiſſio nominis S. Barnabæ in Catalogo antiquo Epiſcoporum Mediolanenſium, noſtram Traditionem evertat. xlvi

CAPUT VII.

Quid evincat contra Mediolanenſem Traditionem Sermo Sancti Petri Damiani Epiſcopi, & Cardinalis. liii

CAPUT VIII.

An ſerò inductus in Urbem Mediolanenſem Sancti Barnabæ cultus, commentitium arguat ejuſdem Adventum. lxxii

SYL-

SYLLABUS
Rerum Memorabilium.

A

ACTA SS. Nazarii & Celſi quo tempore conſcripta fuerint. pag. lix. & ſeq.

S. AMBROSII ætate, adventûs S. Barnabæ Mediolanum memoria conciderat. xxxi.

Quemadmodum etiam SS. Protaſii & Gervaſii martyrium ignorabatur. ibid.

Sicut èt tempus, quo Sancti Nazarius & Celſus martyrio fuerant coronati. xxxii.

S. AMBROSII ſilentium non officit Traditioni Mediolanenſium de inſtitutione Eccleſiæ, a S. Barnaba peracta. xxix. & ſeqq. xxxix. & ſeq.

S. AMBROSII ſermo de Sanctis Nazario & Celſo, an verè eidem Antiſtiti adſcribatur. lviii. & ſeq.

S. AMBROSII Epiſtola AD FRATRES ITALIÆ, an ſit genuinus ejuſdem Præſulis fœtus. lxi.

S. AMBROSIUS ad Marcellinam Sororem ſcripſit, cùm SS. Protaſii & Gervaſii Corpora invênit. lxi.

Synodum Mediolani habet, in qua Jovinianum damnat. lxiii.

Sarmationem, & Barbatianum Mediolano ejicit, & ſcriptis perſequitur. lxiv.

Falsò dicitur Monogamiam Sacerdotibus ſuis permiſiſſe. lxv. & ſeq.

ANGILBERTUS Mediolani Archiepiſcopus Concilium Ticini celebrat anno DCCCL. xx.

In eo Canones condit ad morum diſciplinam ſpectantes. ibid.

Anno DCCCLV. aliud Concilium Ticini convocat. ibid.

ANSELMUS Lucenſis Epiſcopus Mediolanum mittitur Legatus a Nicolao II. Summo Pontifice. liv.

Ad Cathedram Apoſtolicam evectus, nomen Alexandri II. aſſumit. ibid.

ANSPERTUS Mediolani Antiſtes Synodum Papiæ quo anno, & qua de cauſa celebraverit. xxi.

In ea ſubditum ſe Romanæ Sedi profitetur. ibid. & ſeq.

Obedientiam poſtmodum erga Summum Hierarcham abjicit. xxiii.

Ab Epiſcopali dignitate deponitur. ibid.

Iterum Sedi ſuæ reſtituitur. xxiv.

APPULSUS Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Gallias ſola Traditione propugnatur. xi. & ſeq.

ARBORUM libri a Sancto Carolo conſcripti ubinam aſſerventur. xvii.

ARNULPHI Mediolanenſium re-

rum Scriptoris verba referuntur . lvii.
Ejuſdem exprobratio facta Mediolanenſibus , quomodo intelligi debeat . lxvii. & ſeq.

B

BAcchinius enatam eſſe VIII ſaltem Seculo non negat Traditionem Mediolanenſium de Sancti Barnabæ adventu . xiii.
S. BARNABAS Apoſtolus Mediolanenſem Metropolim ad Fidem Catholicam primus convertit . vii.
Ideo Mediolanenſium Apoſtolus dicitur . viii.
In Inſula Cypro ortus , Salaminæ Martyrium ſubiit, ibidem etiam ſepulcro datus . xxxv.
Anthemio Salaminæ Epiſcopo in ſomnis revelat locum ſui Sepulcri . xxxvi.
Salaminæ Eccleſiam , *Apoſtolicam* dicendam eſſe admonet . ibid.
S. BARNABAS ſerò coli cœpit in Eccleſia tum Orientali , tum Occidentali . lxxii. & ſeqq.
Quis primus ejuſdem nomen Sacris Codicibus inſeruerit . lxxiv.
S. BARNABÆ Caput a Mediolanenſibus per Legatos impetratur ; & quo Seculo . xvii.
S. BARNABÆ Cineres a Mediolanenſibus obtinentur . xvii.
Ejuſdem Corpus integrum , quo anno inventum fuerit Salaminæ in Cypro . ibid.
S. BARNABÆ Caput & Cineres quando fuerint Mediolani ſolemniter per Urbem translati . xvii
S. BARNABÆ Feſtum qua celebritate Mediolani vigeret Seculo XIII. , & ſubſequentibus . lxxxiii. & ſeqq
Ejuſdem nomen quando in Miſſæ Ambroſianæ Canone poſitum fuerit . lxxxviii.
Quare illud olim omitteretur . ibid & ſeq.
In Litaniis ad Triduanas Rogationes præſcriptis , antiquitus relatum inter alia Sanctorum nomina reperitur . lxxxix.
BARONIUS (Cæſar) Mediolanenſem Eccleſiam a Sancto Barnaba fundatam tradit . vii.
a BASILICA - PETRI (Carolus) quid ſentiat de adventu Mediolanum Sancti Barnabæ Apoſtoli . ix.
BERENGARIUS quo Seculo hæreſim ſuam vulgaverit . lxxxi.
BEROLDUS quo anno lucubrationes ſuas ſcripſerit . lxxviii.
Sancti Barnabæ diem , inter Feſtos Mediolani actos dies recenſet . ibid.
de BUSSERO (Gothofredus) Vitas Sanctorum Mediolani deſcripſit ex antiquis Hiſtoriis . xv.
Eccleſias & Altaria enumerat , Sancto Barnabæ dicata . lxxxiv.
Quo anno & loco ortum ſuum duxerit . lxxxv. & xci.

CA-

C

CALENDARIUM Sitonianum, Seculo XII. ſcriptum, qua formula exprimat Feſtum Sancti Barnabæ. lxxxiii. & ſeq.

S. CAROLUS Borromeus Caput & Cineres S. Barnabæ ſolemniter transfert. xvii.

Diem Sancto Barnabæ ſacrum de præcepto coli in Provinciæ Eccleſiis juſſit. lxxxvi. & ſeq.

CATALOGUS Mediolanenſium Epiſcoporum a Mabillonio vulgatus, quo Seculo fuerit conſcriptus. xlvii.

Cur in eo non legatur eâdem antiqua manu exaratum nomen Sancti Barnabæ Apoſtoli. xlvii. xlix & ſeqq.

CATALOGUS vetuſtior Antiſtitum Mediolani, a Muratorio editus, plurimum confert firmandæ Mediolanenſium Traditioni de adventu S. Barnabæ. xlviii. & l.

CLIVATI Cœnobium in Mediolanenſi Diœceſi a quo conditum fuerit. lxxvi.

COMMEMORATIO omnium Fidelium defunctorum quo tempore fieri cœperit in Ambroſiana Eccleſia. lxxxii.

Cui diei primitus affixa fuerit. ibid.

Qua ſolemnitate in noſtra Eccleſia perageretur. ibid.

CONCILIUM Romæ convocatur a Siricio PP. contra Jovinianum; & quo anno. lxii. & ſeq.

CONFRACTORIUM Canoni additum in Miſſa Ambroſiana. Vid. *Formula*.

CORII (Bernardini) Hiſtoria, quare fuerit proſcripta. lxvi.

CUPERUS (Gulielmus) quid ſentiat de Epiſtola Decretali Innocentii PP. I. ad Decentium. xlv.

D

S. DIONYSIUS Areopagita quo Seculo vocari cœperit primus Galliarum Apoſtolus. xl.

DOROTHÆUS Tyrius Epiſcopus & Martyr. Vid. *Synopſis*.

E

ECCLESIA Sancto Barnabæ ſacra, quo Seculo extra Urbem noſtram ædificari cœperit. xci.

An eadem Benedictinis Monachis, vel Canonicis Lateranenſibus fuerit tradita. xcii.

Quo anno in Commendam tranſierit. ibid.

Quando Clericis Regularibus Sancti Pauli, vulgò *Barnabitis* ceſſerit. ibid.

ECCLESIA S. Barnabæ *ad Fontem* Mediolani, ubi ſita ſit. xciii.

Qua ætate fuerit exornata ſumptibus Urbis Mediolanenſis. ibid.

ECCLESIA Salaminæ, *Apoſtolica* declaratur, & quomodo. xxxvi.

ECCLESIA Mediolanenſis an *Quatuor Temporum* jejunia antiquitus obſervaret. li.

Exemplo aliis fuit, ut ſacrum Sancto Barnabæ cultum præſtarent. lxxviii.

n 2 Quo

Quo rempore ejuſdem S. Apoſtoli nomen Canoni Miſſæ inieruerit . lxxxix.
ECCLESIÆ quot eſſent Seculo XIII. a Mediolanenſibus Sancto Barnabæ dicatæ . lxxxiv.
ENGELTRUDES Bolonis uxor, de adulterio accuſata in Synodo Mediolanenſi judicium ſubit. xx. & ſeq.
S. ENNODIUS Ticinenſis Epiſcopus SS. Martyres Nazarium & Celſum metrico carmine laudavit . lix.
Quam fidem apud Eruditos habeat. lx.
EPISTOLA *ad Fratres Italiæ* Sancto Ambroſio tributa, ad ſuppoſititias nunc rejicitur . lxi.
EPISTOLA Decretalis Innocentii PP. I. ad Decentium non officit Traditioni Mediolanenſium de adventu Sancti Barnabæ . xli. & ſeq.
Quomodo a Bollandiſtis explicetur . xlii. & ſeqq.
Senſa circa eamdem Cuperi Gulielmi referuntur . xlv.
S. EUGENII Martyris & primi Toletanæ Urbis Apoſtoli Corpus quo anno repertum ſit. xxxvii.
Eumdem fuiſſe illius Eccleſiæ inſtitutorem ignorabatur uſque ad XII. Seculum . ibid.
An verè Toletanæ Civitatis Epiſcopus fuerit . xxxviii.
Ejus memoria in illa Eccleſia ſolemniter recolitur . ibid.
Quo anno auguſta ſacri ejuſdem Corporis Translatio peracta fuerit , ibid.

F

FEDERICUS Cardinalis Borromeus Eccleſiam Sancti Barnabæ ad Fontem exornari curat . xciii.
FORMULA Confractorii : *Corpus tuum frangitur Chriſte* , quando in Canonem Miſſæ Ambroſianæ fuerit invecta. lxxxi. & ſeq.
FULLO Antiochenus , Salaminæ Eccleſiam Conſtantinopolitanæ ſubditam eſſe contendit. xxxvi.
Sed tamen incaſſum . ibid.

G

GALVANEUS Flamma veterum Mediolani Hiſtoricorum Catalogum attexuit . xiv. & ſeq.
GENUENSES Cives baptiſmum a Sancto Barnaba ſe recepiſſe gloriantur . xciv.

H

HERIBERTUS Mediolani Epiſcopus, an uſum petendi Romà Pallii primus renovaverit . xxv.
HILDUINUS Mediolanenſis Urbis Antiſtes Romà delatum a Ratherio Pallium recipit in noſtra Metropoli . xxvi.

I

INNOCENTIUS PP. I. in Decretali ſua ad Decentium Epiſtola

ſtola quomodo interpretari valeat. xli. & ſeqq.

JOANNES VIII. Summus Hierarcha Anſpertum Mediolanenſem Archiepiſcopum, ejuſque Prædeceſſores commendat. xxii.

Synodum Romæ habet, in qua mox memoratum Anſpertum Epiſcopali Sede deponit. xxiii.

Epiſtolam de hac re ad Clerum Mediolanenſem mittit. ibid.

Eumdem poſtmodum Anſpertum priſtinæ ſuæ Eccleſiæ reſtituit. xxiv.

JORDANUS Mediolani Archiepiſcopus, quo veriùs anno deceſſerit. lxxxii

JOVINIANUS Nicolaitarum hæreſim quo in loco, & quo tempore iterum excitaverit. lxii. & ſeq.

Falsò dicitur e Mediolanenſi Cœnobio prodiiſſe. lxiii.

Hujus hæreſi non fuit infecta Urbs Mediolanenſis, tempore Siricii PP. ibid.

L

LANDULPHUS Senior, incontinentium Clericorum Mediolani patronus. lxv. & ſeq.

Traditionem Mediolanenſium de adventu S. Barnabæ, ſuo tempore vigentem refert. lxviii. & ſeq.

LAUNOYUS primus fuit, qui appulſum S. Mariæ Magdalenæ in Gallias, ad Commenta rejecerit. xi.

Ob hoc a Bollandiſtis meritò reprehenditur. ibid.

M

MABILLONIUS (Joannes) Catalogum Mediolanenſium Antiſtitum e MSto Codice Ambroſianæ Bibliothecæ deſcriptum Pariſiis vulgat. xlvi.

Ejuſdem animadverſio, ad ipſum Catalogum facta. ibid.

Refellitur. lxxxv. & ſeq.

S. MARIÆ MAGDALENÆ appulſus in Gallias, qua ratione a Natali Alexandro propugnetur. x. & ſeq.

Quomodo a Bollandi Sectatoribus ſuſtineatur. xi.

MARTYROLOGIUM Romanum parvum, quo Seculo conſcriptum fuerit. lxxiv.

S. Barnabæ nomen recenſet. ibid.

S. MATTHIÆ Apoſtoli nomen, quare antiquitus non recitaretur in Miſſa. lxxxviii. & ſeq.

Hoc etiam in præſentiarum omittitur in Miſſa Ambroſiana. lxxxix.

MEDIOLANENSIS Eccleſia qua de cauſa cultum date Sancto Barnabæ diſtulerit. lxxiv. & ſeq.

Aliis tamen Eccleſiis exemplo veroſimiliter fuit, ut eumdem Apoſtolum colerent. lxxvii. & ſeq.

MEDIOLANENSES Salaminam in Cypro Legatos ſuos mittunt, ut Sancti Barnabæ Caput obtineant. xvii.

Et qua de cauſa. ibid. & ſeq.

MISSA propria de S. Barnaba ante annum MDLX. in Liturgicis Ambroſianis Codicibus legebatur;

tur ; quidquid vulgaverit Mabillonius . lxxxvii. & ſeq.

MISSALE Ambroſiano-Monaſticum Seculo IX. conſcriptum refertur . lxxvi.

MONOGAMIA a Clericis Mediolanenſibus propugnata , an a S. Ambroſii facultate profluxerit . lxv. & ſeq.

Quid de ea ſcripſerit Landulphus Senior . ibid.

MURATORIUS (Ludovicus Antonius) quid ſentiat de Traditione Mediolanenſium circa S. Barnabæ adventum . xii. & ſeq.

Laudatur . xlviii. & lxxix.

Catalogum Archiepiſcoporum Mediolani, e MSto Codice Bibliothecæ Metropolitani Capituli Mediolanenſis in lucem edit . xlviii.

Ejuſdem animadverſiones ad ipſum vulgatæ referuntur . ibid. & ſeqq.

In quadam ſua opinione refellitur . lxxix. & ſeqq.

N

NATALIS ALEXANDER Sanctam Mariam Magdalenam Maſſiliam appuliſſe contendit . x. & ſeq.

SS. NAZARII & CELSI Martyrium quo tempore peractum eſſet, Sancti Ambroſii ævo Mediolani prorſus ignorabatur . xxxii.

Eorum Acta quando ſcripta fuerint , & quam fidem mereantur . lix. & ſeq.

S. NAZARIUS Martyr an a S. Lino baptizatus fuerit . lviii.

An a S. Petro Apoſtolorum Principe Mediolanum miſſus . ibid. & ſeq.

NICOLAITARUM hæreſis quo tempore in Italia revixerit . lxii.

NICOLAUS I. Summus Pontifex Thadonem Mediolani Archiepiſcopum laudat . xx. & ſeq.

NICOLAUS PP. II. Sanctum Petrum Damiani Legatum ſuum mittit Mediolanum . liii. & ſeq.

Ad quas Eccleſias tranſmiſerit exemplar jurisjurandi , a Berengario præſtiti in Synodo Romana . lxxxi. & ſeq.

O

OBLATIO Civitatis Mediolani , a Statutis præſcripta die Feſto Sancti Barnabæ , in qua Eccleſia primitus fieret . xciii.

Ubi verò in præſentiarum fiat , & qua de cauſa . ibid.

OFFICIUM proprium de S. Barnaba in Breviariis Seculi XV. impreſſum legitur . lxxxviii.

OPUSCULUM *de Situ Civitatis Mediolani*, inter Italiæ Scriptores vulgatum , quo Seculo fuerit conſcriptum . xiii.

P

PAMELIUS (Jacobus) Sanctum Barnabam , Mediolanenſium Apoſtolum vocat . vii. & ſeq.

PAPEBROCHII opinio de Schiſmate Mediolanenſis Eccleſiæ refer-

fertur, & impugnatur. xxiv. & ſeqq.
S. PETRUS DAMIANI, quo anno apud Mediolanenſes, & qua de cauſa, Pontificia Legatione functus fuerit. liii. & ſeq.
Sermonem habet ad Clerum Mediolanenſem. liv. & ſeq.
PICOLPASSUS (Franciſcus) Archiepiſcopus Mediolani Conſtitutionem edit circa Officium Ambroſianum. lxxvi. & ſeq.
Ejuſdem ævo omnes Regularium Eccleſiæ intra ambitum Mediolanenſis Diœceſis ſitæ Ambroſianum Ritum profiteri debebant. lxxvi.
Vigiliam Sancti Barnabæ inter Vigilias præcipuorum Feſtorum enumerat. lxxxvii.
PRÆFATIO, in Miſſa Sancti Ambroſii olim recitata, refertur. lxxx.
PRÆFATIONES Miſſarum nihil de rebus geſtis Sanctorum, quorum memoria colebatur, antiquitus exprimebant. lxxix. & ſeq.
PRECES pro Imperatore, & Rege Franciæ ab antiquo in Canone Miſſæ effundebantur. lxxvi.
PROFECTIO S. Jacobi in Hiſpanias a quibus, & quomodo propugnetur. x.
SS. PROTASII & GERVASII Martyrium, tempore S. Ambroſii apud Mediolanenſes penitus ignorabatur. xxxi.
SS. PROTASIUS & GERVASIUS an Sanctum Paulum Apoſtolum habuerint præceptorem. lxi.
An eorumdem Vita & Martyrium a Philippo deſcriptum, ad apocrypha amandandum ſit. ibid.
Domicilium Mediolani habebant. xxxiii.
Eorum Parentes in hac Urbe Martyrii coronâ decorati fuere. xxxiii.

R

RATHERIUS Veronenſis Epiſcopus Archiepiſcopale Pallium Româ defert ad Hilduinum Mediolani Antiſtitem. xxvi.
RAYMUNDUS Toleti. Epiſcopus quo anno, & loco Corpus Sancti Eugenii Toletanæ Eccleſiæ Apoſtoli repererit. xxxvii.
RITUS AMBROSIANUS in omnibus etiam Regularium Eccleſiis, in Archiepiſcopi Mediolanenſis ditione poſitis, antiquitus ſervabatur. lxxvi.
Quandonam cœperit in eaſdem Ritus Romanus induci. ibid.

S

SALAMINÆ Eccleſia a Conſtantinopolitana exempta eſſe, in plena Epiſcoporum Synodo declaratur. zxxvi.
SARMATION, & Barbatianus quo in loco Joviniani hæreſim diſſeminaverint. lxiv.
A S. Ambroſio deſcribuntur, & Mediolano ejiciuntur. ibid.
SCHISMA ab Angilberto Mediolani Archiepiſcopo excitatum, a quibus referatur. xix.
Quàm falsò Mediolanenſis Eccleſia

ſia ſchiſmate fœdata per duo Secula dicatur . ibid. & ſeqq.
SERMO de SS Nazario & Celſo , olim Sancto Ambroſio tributus, nunc ad ſuppoſititios rejicitur . lviii. & ſeq.
SIRICIUS PP. Concilium Romæ convocat , & qua de cauſa . lxii.
Literas ad Eccleſiam Mediolanenſem mittit per Legatos . lxiii.
STATUTA Communis Mediolani Natalem Sancti Barnabæ diem inter feſtos dies recenſent. xcii.
Eo die Oblationem fieri a Civitate præſcribunt . xcii. & ſeq.
SYNOPSIS de Vita & morte Prophetârum , Dorothæo attributa , quo anno fuerit contexta . xxvii. & ſeq.
Ejuſdem Auctor , Græcus erat origine . xxviii.

T

THADO Angilberto Mediolanenſi Archiepiſcopo ſuccedit . xx.
Ejuſdem obedientia Sedi Apoſtolicæ præſtita , falſi arguit decantatum Schiſma. ibid. & ſeq.
A Nicolao I. Summo Pontifice commendatur . ibid.
TRADITIO de profectione Sancti Jacobi in Hiſpanias eſt immemorabilis . x.
TRADITIO immemorabilis quam habeat auctoritatem . ibid.
TRADITIO Mediolanenſium de adventu Sancti Barnabæ eſt antiquiſſima . ix. & xii.
Inventum recentium Scriptorum perperam ab aliquibus reputatur . xii & ſeq.
An ante VIII. Seculum repeti poſſit ejuſdem origo . xvi. & ſeqq.
An ortum habuerit ab infecta radice Schiſmatis , Angilberto appicti . xviii. & ſeqq.
TRADITIONES antiquæ humanæ, qua ratione probentur . lii. & ſeq.
TRADITIONES antiquas oppugnare impium eſt . xi. & ſeq.
Eaſdem defendere , Catholici officium eſt . xi.
TRADITIONUM fontes , quinam ſint . xc.
TRIVULTIUS D. Carolus laudatur . lxxv. & ſeq.

V

VERRUS (Gabriel) Comes laudatur . xcii.
Lucubrationem de ortu & progreſſu Juris Mediolanenſis typis vulgavit . ibid.
VICECOMES (Gaſpar) Mediol. Antiſtes nomen S. Barnabæ Liturgicis libris primus inſerit . lxxxix.
WIDO Mediolani Archiepiſcopus anno MLIX. liv.
VITÆ primorum Mediolanenſium Antiſtitum, cum eorumdem Catalogo, quem Papebrochius edidit in lucem , quo Seculo fuerint conſcriptæ . xvi.

Digitized by Google

ANTISTITUM OMNIUM

SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ

HISTORIA

CRITICO-CHRONOLOGICA.

Digitized by Google

IN ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM

HISTORIAM

Joseph Antonii Saxii

PRÆFATIO.

EPiſcopalis Eccleſiæ Mediolanenſis Dignitas quàm altæ originis ſit, quantoque inſignium ornamentorum ſplendore ſemper refulſerit, nemini Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ pervolvendæ ſtudio amoreque vel leviter ſuccenſo incompertum eſſe arbitramur. Acre quidem bellum motum eſt ſub exitum Seculi XVI., vexillum attollentibus Viris in Literaria Republica celeberrimi nominis famæque immortalis Mabillonio, Tillemontio, Bacchinio, aliiſque, ut Cives noſtros ab avitæ gloriæ poſſeſſione depellerent, quæ per Majorum manus tradita, Sancto nempe Apoſtolo Barnaba Duce Evangelicam facem in hac Metropoli primò illuxiſſe, jactaque ab ipſo fuiſſe fundamenta Eccleſiæ Mediolanenſis, inviolatâ temporum ſerie ad nos uſque pervenerat. Enerves utique niſus erant, qui-

bus defixam hanc in adjacentium Eccleſiarum atque Exterorum mentibus perſuaſionem quatere ac diruere contendebant; cùm nonniſi fallacibus conjecturis, atque argumentis minimè vim facientibus certamen iſtud inſtitueretur. Verùm quia tam inſignium Scriptorum auctoritas cæco quodam ductu eò quamplures pertraxerat, ut Apoſtolicam Eccleſiæ noſtræ originem etiam in deriſum injurioſè traducerent, neceſſe fuit *Vindicias de Adventu Mediolanum Sancti Barnabæ Apoſtoli* e Bibliothecæ Ambroſianæ prælo in publicam lucem proferre, ut impactam immeritò calumniam excogitati recenter ad ſuperbam oſtentationem ſplendidi hujus honoris, conſtantiſſimâ ſupra decem Secula Traditione prorſus a nobis abraderemus.

Sed omiſſis hiſce controverſiis moleſtiâ invidiâque refertis, certo certius eſt, Metropolitanam Mediolanenſem Eccleſiam maximâ apud omnes nationes in exiſtimatione, quavis ætate extitiſſe. Neque defuere antiqui recenteſque Antiſtites noſtri, cunctis iis egregiè implendis muneribus, quibus primariæ huic Inſubrum Sedi reverentiam ſimul amoremque remotarum etiam gentium conciliarent. Porro, ſi Sanctimoniam ſpectemus, quoto numero, quantiſque illuſtrium virtutum exemplis ſacros Faſtos implevere! cùm uſque ad triginta quinque Sanctorum albo adſcriptos univerſa ferme colat Eccleſia,

præ-

præter eos, qui privatis Martyrologiis, *Beati* laude ac titulo, inſerti leguntur, duoſque alios *Laurentium*, ac *Thomam*, quos inveteratâ conſuetudine, ab Archiepiſcopis in Viſitationibus approbatâ, tamquam Sanctos Laurentiana hujus Urbis Baſilica, quo die natalis eorumdem memoria recurrit, ſolemnium Officiorum Sacrorumque veneratione proſequitur.

§. II.

QUàm verò vigiles fuerint Mediolanenſes Præſules in repellendis ab electa hac Domini vinea Hæreſum monſtris, ne ad ea tempora recurramus, quibus imperterritus ille Gregis hujus Paſtor Ambroſius admirabili conſtantiâ, furentibus ipſis Cæſaribus, truceſque minas ſpirantibus frontem objecit, longèque a finibus illis Arianam luem fugavit exturbavitque, unum ſat eſt memorare Sancti Galdini Archiepiſcopi exemplum; qui, cùm animadvertiſſet, Catharorum colluviem unà cum militum turmis ſecretò in Metropolim iſtam irrepſiſſe, tantâ in eos ſermonum acrimoniâ invectus eſt, ut depaſcente viſcera Apoſtolicæ declamationis fervore, inflammatum caritate ſpiritum emiſerit, atque animâ pro Ovibus ſuis conſervandis poſitâ, in ipſo ſuggeſtu ad perenne Domini ſui gaudium evolaverit.

rit.

rit. Neque præclaram hunc ſolicitudinem Catholicæ tutandæ Religionis paſſi ſunt Archipræſules Mediolanenſes, ut in anguſtis tantùm Diœceſis noſtræ limitibus eluceret. Celebre eſt in Hiſtoriis, exceptum admiratione bonorum omnium, Sancti Dionyſii teſtimonium, qui ab Arianorum Patrono Imperatore in Armeniam exilio pulſus, ibidem propiore Martyribus loco (ùt eum laudavit Ambroſius) vitam depoſuit. Quòd ſi Secula etiam viciniora perſcrutemur, quid illuſtrius, quàm Obertum Archiepiſcopum, ſimul cum primoribus Metropolitanæ Eccleſiæ Mediolanenſis Canonicis in fœdiſſimo Ænobarbi Schiſmate, legitimo Pontifici Alexandro profugo comitem ſe dediſſe, ac quinquennem in Galliis voluntarium receſſum pati, mortemque extra Patriam, Beneventi obire elegiſſe, ne de vultu quidem Cæſaris Idolum agnoſceret, aut eidem obſequi cogeretur? Hìc autem iraſci meritò fas eſt nonnullis noſtris, nec infimi ſubſellii Scriptoribus, qui nimis præſidenter, inexploratâ Causâ ſententiam e trivio certè hauſtam in nitidiſſimas alioquin paginas ſuas intulere, Eccleſiam nempe Mediolanenſem per longiſſimum ducentum annorum ſpatium, contra Romanam Sedem teterrimum Schiſma conflaſſe, eidemque obedientiam perfrictiſſimè denegaſſe. Iniquam injuſtamque hanc famam optimè diſpulit falſique coarguit Puricellus, noſque etiam ſuo

loco,

loco, & *in Vindiciis de Sancto Barnaba*, luce meridianâ clarioribus documentis prorſus contrivimus; ibique etiam exile illud fulcrum infregimus, quo ſuſtentare aliqua ex parte ruentem hanc fabellam niſus eſt doctiſſimus Papebrochius *in Exegeſi*, aſſerens, Schiſma Mediolanenſium non fuiſſe *poſitivum*, ſed *negativum*.

§. III.

CEterùm quàm fideli obſequio Apoſtolicam Sedem coluerint Antiſtites noſtri, abundè docent ſuſceptæ in arduis Eccleſiæ negotiis nomine Summorum Pontificum Legationes ad Reges Cæſareſque, ac feliciſſimè expletæ; propugnata in Conciliis eorumdem auctoritas, necnon præſtita quoque armorum ſubſidia, cùm tyrannicâ rabie a Schiſmaticis Principibus infeſtiſſimè opprimerentur. Horum autem exempla non rarò Lectoribus offeret præſens Hiſtoria. Illud peculiari ac æternâ etiam dignùm eſt memoriâ, ad nutum Urbani II. Pontificis Maximi, Crucem contra Turchas Catholicis omnibus regionibus indicentis, Anſelmum IV. Archiepiſcopum ducem ſe feciſſe quinquaginta mille Italis militibus, ab ipſo collectis improbo labore, inter quos ſeptem mille Mediolanenſium numerabantur; initoque in Oriente cum Infidelibus prælio, pro Catholica Fide glorioſè ibidem occubuiſſe.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

HActenus tamen ea tantùm connotavimus, quibus Mediolanenſes Archiepiſcopi ſeſe ſtrenuos Orthodoxæ Religionis propugnatores, Sanctæque Matris Eccleſiæ obſequentiſſimos Filios comprobavere. Verùm non minore ſupra ceteros præſtantiâ eminuerunt in manutenenda aut reſtituenda quæ decidiſſet Eccleſiaſticâ primorum temporum diſciplinâ. Facilè omittimus præclara illa noſtrorum Præſulum Acta ſeorſim enarrare, qui continuatâ ferme uſque ad octavum Seculum ſerie, ita virtutum omnium & Sanctimoniæ ſplendore effulſerunt, ut ab illorum met obitu Sacris Aris donari, & Cœlitum Catalogo inſcribi meruerint: Ipſi enim, uti procul dubio notum cuilibet eſſe poteſt, tantâ vigilantiâ diligentiâque ad excolendum Dominicum hunc agrum incubuere, infundendis æternæ vitæ ſeminibus, atque ſuccreſcentibus extirpandis zizaniis ſemper intenti, ut (quantum vires ferrent in calamitoſa Barbarorum irruptione) numquam paſſi ſint, ad eum ſalutiferis fructibus refertum ſervandum, ſolicitudinem ſuam deſiderari. Admiranda certè ſubſequentium Mediolani Archiepiſcoporum ſedulitas fuit, qua impensè curavere, ut Clerus præſertim Ambroſianæ Eccleſiæ, candore morum,

cul-

cultuque vitæ ad ſacras omnes Canonum Leges compoſitæ, familiarem ac perennem ſibi redderent laudem, olim a Sancto Baſilio Magno tributam Sacerdotibus hujus Metropolis, in Armeniam miſſis a Sancto Ambroſio, ob transferendum inde Mediolanum Corpus Deceſſoris ſui Sancti Dionyſii; reſcribens namque ad eumdem, illos tamquam Clericalium virtutum magiſtros & exemplaria commendavit.

§. V.

PORro in hac morum integritate perſeveraſſe Clerum hujus Metropolis Seculo XI., teſtis eſt Landulphus Senior, editus inter *Scriptores Italiæ* Tom. IV., qui in noſtra Urbe degens, eodemque tempore Hiſtoriam ſuam ſcribens, Libr. II. Cap. XXXV. poſt plura in ejuſdem commendationem relata, ſic proſequitur: *Quid multa? Omnes ita vivebant in Domibus propriis, quaſi in alienis; circa Divina Officia ſoliciti, circa uſus Eccleſiæ & ſuorum accuratiſſimi. Intantum enim in Clericali habitu longá Seculi vetuſtate ac uſitatione multis tranſactis temporibus, vultu, habitu, inceſſu erant nutriti, ut ſi aliquem Chori Ambroſiani totius in Burgundia, aut in Teutonica, aut in Francia Literarum ſtudiis deditum invenires, etiamſi non ultra vidiſſes, de hujus Eccleſiæ uſi-*

lus aliquantulum notus, ſine mora hujus eſſe Eccleſiæ affirmares. Illuſtrius teſtimonium nobis reliquit Cardinalis Oſtienſis Sanctus Petrus Damiani, qui Legatus Mediolanum miſſus Anno MLIX. a Nicolao II. Pontifice Summo, cùm primò ingreſſus eſt Templum Maximum, admiratus decorem & majeſtatem Myſtarum pſallentium & Sacra peragentium, exclamaſſe traditur a Triſtano Calcho ad eum Annum: *Nuſquam, teſtor Deum, tam honeſtum, tam venerandum Sacerdotum Collegium agnovi.*

§. VI.

GLoriam hanc non modicè denigravit protervia plurium Clericorum, qui falsò prætendentes acceptam a Sancto Ambroſio facultatem, ſeſe illicito connubio Fœminis adſtringebant. Non omnes tamen Altaribus addictos Dei Miniſtros iſta incontinentiæ peſtis infecerat; memoratus namque Landulphus, licèt acerrimus Sacerdotum uxoratorum Patronus, ſincerè fatetur, alterum in hac Urbe eorumdem genus tunc extitiſſe, qui inviolatam caſtimoniam profitebantur & propugnabant. Inter eos autem celeberrima eſt Arialdi memoria, qui ſæpius exprobratâ publicè indignâ eâ Connubiorum licentiâ, tamdem truci ſed gloriosâ morte, per Sicarios illatâ occubuit, atque Anno MLXVI. ab Alexandro II. Pon-

Pontifice Maximo, Mediolani morante, Sanctorum Martyrum Catalogo eſt adſcriptus. Vitam hujus Sancti Martyris, & Herlembaldi Cottæ vulgavit Puricellus, multa referens, quæ in illa etiam morum depravatione Eccleſiam Mediolanenſem, ejuſque fideles Miniſtros plurimùm exornavere.

§. VII.

Evulſis radicitus ab hoc feraciſſimo Domini agro zizaniis, quæ ſuperſeminaverat hoſtis antiquus, nihil omiſere ſubſequentes Antiſtites, ut primæva viriditas Eccleſiaſticæ diſciplinæ, bonorumque operum fœcunditas Mediolanenſi Clero reſtitueretur. Et ſanè, quònam reſpexere tot edita ab ipſis Decreta & Conſtitutiones, tot celebrata Concilia ac Synodi, quarum numerus uſque ad ſeptimam ſuprà trigeſimam jam excrevit, niſi ut pars illa in primis Dominici gregis, Clericalis nempe Ordo, detersâ omni rubigine ac depravatâ Seculi contagione, in ſpeculum purioris ſanctimoniæ efformaretur, atque in imitationis exemplum populis eluceret? Nulla tamen nitidior hac in re lux refulſit eâ, quam Magnus ille veteris diſciplinæ inſtaurator Carolus Borromeus in noſtram Eccleſiam invexit. Is enim Clerum ſuum præclaris adeò Sanctionibus, omnimodam ſancti-

moniam ſpirantibus, inſtruxit, Regulis communivit, vitæque ab ipſo integerrimè ductæ exemplis informavit, atque inſuper pretioſo Doctrinæ quovis in genere patrimonio ditavit, ut jam nomen ipſum hujus Eccleſiæ venerationem ingerat Exteris omnibus; illudque aureum Volumen a Sancto Carolo editum, inſcriptumque *Acta Mediolanenſis Eccleſiæ*, in quo ſimul cum aliis ſaluberrimis Paſtoralibus admonitionibus deſcriptæ ſunt Clericales Inſtitutiones, ac quidquid excogitare valuit mens indefeſſa tanti Præſulis, ad rectam præſcribendam Eccleſiaſticorum munerum adminiſtrationem, a peregrinarum etiam nationum Epiſcopis ſummâ ſolicitudine ac ſumptibus comparetur.

§. VIII.

DEerat hoc unum implendis Sancti Caroli votis, ut nempe vigens in Clero primis Eccleſiæ Seculis Communis vita, in Canonicorum ſaltem Collegiis refloreret. Acuebat illius animum, in egregium hoc Opus ſatis jam ſuperque propenſum, inductæ in Ambroſianam, Nazarianam, Laurentianam, aliaſque Mediolani Baſilicas hujus praxis, exemplum præcedentium Archiepiſcoporum expirante Seculo decimo; multòque magis pio imitationis deſiderio ſuccendebatur, inſpectis Brevibus

bus Literis, ab Eugenio III. expeditis ad Obertum Archiantiſtitem noſtrum Anno MCXLIX., quibus ſummoperè laudans Summus ille Pontifex captum conſilium inſtituendæ in primario Metropolitani Templi Clero vitæ Communis, facultatem impertitur colligendi in unum reddıtus omnes Canonicorum eidem inſervientium, ut ſimul cubare, menſæque ſimul valeant aſſidere. Itaque opportunam occaſionem nactus reſtitutæ ſalubritatis aëri poſt teterrimam Luis cladem, agere cum Canonicis Ordinariis Borromeus Antiſtes cœpit; eoſque in plena Concione ferventiſſimè adhortatus eſt, ut in hanc commendatiſſimam utilemque fraternæ caritatis communionem convenirent. Verùm, cùm gravia objici difficultatum momenta a potiori eorumdem parte intelligeret, a propoſito deſtitit, Divinæque voluntati, ùt refert Gluſſianus Libro V. Cap. II. propriam obſequentiſſimo ſacrificio dicavit. Non ita facilè exaruere jacta a Sanctiſſimo Paſtore ſemina Eccleſiaſticæ perfectionis; quinimmo tranſmiſſâ veluti in Succeſſores omnes hæreditate ſpiritûs Caroli, Clerus Mediolanenſis ſemper vividiùs effloruit, fructuſque uberrimos edidit, ad pinguia Ovibus tum Metropolis, tum Diœceſis, æternæ ſalutis paſcua paranda.

§. IX.

§. IX.

PRæter egregias res geſtas in propugnanda Catholica Fide, inſtaurandoque cultu Eccleſiaſticæ diſciplinæ, plura alia ſplendida honeſtamenta propriæ Dignitati conjuncta illuſtre Archiepiſcoporum Mediolanenſium nomen quovis tempore reddidere. Et ſanè, quàm inſigne Antiſtitum noſtrorum decus fuit, antiquiſſima ea conſuetudo, qua recèns inſtituti hujus Eccleſiæ Epiſcopi, non præſentes a Summo Pontifice; ſed per Legatum tranſmiſſo Mediolanum Pallio decorarentur? Memorat hunc morem Seculo VI. vigentem Sanctus Gregorius Magnus; ſcribens enim ad Conſtantium, nuper electum in Eccleſiæ Ambroſianæ Antiſtitem, hæc ait in Epiſtola, quæ eſt prima libri IV. Editionis Pariſienſis: *Præterea Pallium, ad Sacra ſolemnia utendum, ex more tranſmittimus*. Glorioſius eſt, quod Urbanus II. Pontifex Maximus ſuæ inſeruit Epiſtolæ, ad Arnulphum III. Mediolani Archipræſulem miſſæ, & a Papebrochio *in Exegeſi* relatæ; inquit enim: *Pallium Fraternitati Tuæ, præter conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, quæ nulli hoc Dignitatis genus, niſi præſenti concedit, Literis Tuis exorati, ex Apoſtolicæ Sedis benedictione tranſmittimus*. Equidem de ſingulari hujuſmodi honore conſervando plurimùm ſolliciti

Digitized by Google

citi fuere Mediolanenſes Antiſtites. Inter alia, quæ hoc loco innui poſſent exempla, referre placet illud Robaldi Archiepiſcopi, utpote majori celebritatis ſtrepitu editum. Poſt arreptam a Sancto Bernardo Caræuallenſi Abbate fugam ab ipſi oblata Infula Mediolanenſi, ſuffectus fuerat Cleri ſuffragiis memoratus Robaldus, Albanenſis Epiſcopus; cùmque Piſas profectus ad Generale Concilium intellexiſſet, Innocentium II. ibidem morantem, velle illum propriis manibus Pallio inſignire, noctu inde exceſſit, Mediolanum reverſus. Ægerrimè tulit hunc ſecretum receſſum Pontifex Maximus, minaſque intentabat. Verùm Sanctus Bernardus, eodem pacatiore per Epiſtolam reddito, obtinuit, ut ad Robaldum ab Innocentio Pallium tranſmitteretur, quemadmodum ipſemet Sanctus Abbas in Epiſtola tunc ſcripta ad Mediolanenſes teſtatur, inquiens: *En ad complementum, Pallium præſtò eſt, plenitudo honoris*. Nemo tamen pompa ſolemniore Pallium a Clemente VI. Summo Pontifice, per duos Epiſcopos Cumanum, & Cremonenſem miſſum recepit Anno MCCCXLII., quàm Joannes II. Vicecomes; indictâ namque peculiari utriuſque Cleri Supplicatione a Templo Maximo, ad Baſilicam Sancti Ambroſii, ipſe collo illud appenſum geſtans præceſſit, comitantibus Epiſcopis, atque innumeris Nobilium Civium & exterorum turmis in plauſus effuſis.

Non

Non minori ſplendore exornavit Dignitatem Mediolanenſium Præſulum, vetuſtiſſimum jus ſeſſionis ad dexteram Summi Pontificis, cùm ipſo præſente Concilia celebrarentur. Nota ex Hiſtoriis ſunt ea Concilia, quæ convocavit Pontifex Maximus Symmachus, apud Theodoricum Regem Gothorum de falſo crimine accuſatus. Iiſdem Romæ interfuit Laurentius Epiſcopus noſter circa Annum D., primoque loco ſedit atque ſubſcripſit. Obſtitere quidem poſtmodum Epiſcopi Aquilejenſes & Ravennates, hunc ſibi locum ex privilegio uterque vindicare ſtudens; ſed irrito ſemper conatu, ùt eruditè docet Puricellus *in Vita* ejuſdem *Laurentii*, Cap. XXIV., noſque compertum fecimus, ubi de Heriberto Archiepiſcopo Mediolani egimus.

§. X.

Citra omnem dubitationis aleam verſatur excelſum decus illud, quo per longum ævum inſigniti fuere Mediolanenſes Archiepiſcopi, præſidendi videlicet Comitiis Italicorum Principum & Procerum, cùm de eligendo Italiæ Rege conſilia agitarentur, illumque ſuffragio ſuo deſignandi confirmandique. Nota hæc adeò ſunt, ut de iis teſtimonia congerere idem foret, ac in meridiana luce facem accendere. Difficilius eſt fontem

indi-

Digitized by Google

indicare, unde in Antiſtites noſtros tantæ honorificentiæ jus dimanaverit. Sigonius ad Annum DCX., Mediolanenſium Annalium fidei innixus, hujus ſplendidi Privilegii Sanctum Gregorium Magnum auctorem facit; ſed falsò, ut *in Annotationibus* ibidem commonſtravimus. Fuſiùs opinionem hanc ſolidis argumentis evertit Clariſs. Muratorius Tom. II. *Anecdotorum*, ubi agit *de Corona Ferrea*, Cap. XV. Alii Privilegium hoc profectum eſſe a liberali Caroli Magni beneficentia erga Præſules Mediolanenſes aſſerunt; ſed nullo allato ſinceræ fidei Documento, aut Scriptore. Itaque cùm in obſcuro vagemur, tutius nobis videtur opinari, ex conſenſu ipſo Optimatum Italicorum jus illud tributum fuiſſe Ambroſianæ Eccleſiæ Archiepiſcopis, qui potentia, divitiis & auctoritate ſupra ceteros tunc excellebant. Extat in Collectione *Scriptorum Italiæ* Tom. II. Concilium Ticinenſe, coactum Anno DCCCLXXVI., quod integrum ex MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ, Præfatione & Annotationibus a nobis illuſtratum primò evulgavimus. In eo Anſpertus Mediolanenſis Antiſtes eligit in Regem Italiæ Carolum Calvum, præſtitis invicem juramentis fidelitatis, quæ ibidem leguntur: Cùm autem neminem enunciet, cujus beneficio aut privilegio hæc auctoritas in ipſum defluxerit, conjici poſſe ſatis dilucide arbitramur, ab iiſdem met Proceribus & Epiſcopis Comitia

conſlantibus, fuiſſe jus illud Anſperto, tamquam omnium Primati conceſſum.

§. XI.

AN verò Archiepiſcopus hic noſter Regem illum Ferreo quoque diademate redimiverit, quemadmodum Scriptores plures contendunt, cùm Acta memorati Concilii, & alterius Pontigonenſis, in ejuſdem confirmationem celebrati, nihil de hoc innuant, mutæque etiam ſint coævorum Hiſtoriæ, ab eo aſſerendo abſtinemus. Quomodolibet autem iſta ſe h buerint, certum eſt, Berengarium I., ab Anſelmo Antiſtite Mediolanenſi in Regem Italiæ Anno DCCCLXXXVIII. electum, fuiſſe ab eodem Ferreâ Coronâ præcinctum; ac deinceps omnes Mediolani Archiepiſcopos hoc jure fruitos eſſe, etiam cùm depulſo Arduino, Arnulphus II. Italiæ Regnum in Germaniam tranſtulit, electo in Regem Henrico I., illius Provinciæ Rege, ac poſtmodum Imperatore. Præclarum hujus rei teſtimonium eſt Diploma Nicolai V., relatum a Raynaldo ad Annum MCDLII., num. II. Fridericus III. ad Imperium delectus, Romanum iter aggreſſus fuerat, ut Auguſtalem Coronam reciperet de manu Summi Pontificis. Verùm quia, vetere Inſtituto, præire debuerat Langobardici Regni

Co-

Corona, ab Archiepiſcopo Mediolani Regiæ cervici imponenda, ipſe verò ob juſtas cauſas, præſertim peſtis per Inſubricam regionem ſerpentis, ad noſtram Urbem accedere nollet, ſupplicem Libellum obtulit Nicolao, ut ab eodem, utroque diademate redimiretur. Ne tamen ullæ moverentur querelæ, Pontifex Maximus Breves Literas expedivit Anno præcedente MCDLI, XV. Calendas Aprilis, in quibus poſt enunciatum benignum a ſe præſtitum aſſenſum juſtis Friderici petitionibus, iſta ſubjungit: *Per hanc tamen traditionem & aſſignationem noſtram, non intendimus juri aut conſuetudini dicti Regni Lombardiæ, aut prædicto Archiepiſcopo* (Nicolao Amidano) *quo ad factum dictæ Coronationis, niſi pro hac vice dumtaxat in aliquo eſſe derogatum; immo illud illæſum inviolatumque manere decernimus per præſentes.*

Neque tantùm jus præcingendi Ferreâ Coronâ Reges, in Italicis aut Germanicis Comitiis electos, ſed etiam alterum efferendi Summo Pontifici Principes promotos ad Solium Regale, Archiepiſcopo Mediolanenſi competebat, ut Romæ aureo Imperii diademate ab illo redimirentur. In hujus honoris certiſſimum documentum, non aliud proferimus, quàm teſtimonium Conradi, qui poſt Henricum I. Auguſtali Coronâ donandus, in alma Urbe atque in Epiſcoporum Concilio ibidem collecto reſidebat. Audito enim tumultu, excitato a

Ravennenſi Epiſcopo, ùt ſuperiùs innuimus, illum his verbis ſedavit: *Certum quidem eſt, quia ſicut privilegium eſt Apoſtolicæ Sedis, Conſecratio Imperialis, ita Ambroſianæ Sedis privilegium eſt, electio & conſecratio Regalis. Unde ratum videtur, ut manus quæ benedicit & priùs Coronam. Regni imponit, ſi præſens fuerit, repræſentet Regem ad Imperium promovendum Sancto Petro & ejus Vicario; quatenus Ambroſiano teſtimonio jure poſſit imperare, qui ab Ambroſiana Conſecratione didicit & cœpit regnare*; ùt refert Arnulphus coævus Libr. II. Cap. IV., editus Tom. IV. *Rer. Italicar.*

§. XII.

AD augendum Archiepiſcopalis hujus Dignitatis ſplendorem acceſſit Civile regimen & imperium in hanc ipſam Metropolim, atque amplam illius ditionem. Quando autem primò cœperint Antiſtites noſtri tam illuſtris generis jus exercere, ſi Puricellum in antiqua Eruditione præſtantiſſimum conſulamus, Diploma indicabit, ab ipſo *in Monument. Baſil. Ambr.* recitatum, in quo Carolus Magnus univerſæ hujus Metropolis plenam dominationem Petro Archiepiſcopo ac Succeſſoribus liberali dono elargitur. Verùm, cùm Papebrochius *in Exegeſi*, aliique ætatis noſtræ Viri eruditi hujuſmodi Chartam

tàm ad apocrypha retrudant, tutum in ea pedem figere non valemus. Itaque, ut ſecuriùs Epocham iſtam ſtatuamus, ad ea tempora recurrendum eſt, ideſt ad Seculum XI., circa quod Italicæ Civitates, abſentibus, ſeu parùm de Italia ſolicitis Germanis Regibus, ſeſe in Reipublicæ ſpeciem compoſuere, Municipalia Statuta condentes: Cùmque in Urbe Mediolanenſi nemo inter Cives dignitate aut opibus æquari Archiepiſcopo valeret, illum Reipublicæ Caput conſtituerunt, qui præſideret communibus Conſiliis, aliorumque nomine jura in populum diſtribueret, & frœno quodam publicæ privatæque auctoritatis ſeditiones compeſceret, enatis præſertim paucos poſt annos Civilibus diſcordiis, quæ Patriæ ſinum miſerrimè lacerabant. Diſſidia tamen iſta, annorum decurſu acerbiùs recrudeſcentia, novum Antiſtiti Mediolanenſi decus peperere: Cùm enim acerrima contentio exarſiſſet inter Plebem ac Nobiles, atque utraque Pars ſuos Patronos & Duces haberet, Plebeja Pars victoriam ſupra æmulos adepta, quamplures Nobiles Mediolano expulit, ipſumque relegavit Archiepiſcopum Leonem de Perego, qui pro illis ſtabat; nec umquam reviſere potuit Sponſam ſuam Eccleſiam, defunctus poſt exilium ferme ſeptenne, in Palatio ſui juris, extra Urbem Mediolanenſem. Fervente igitur Civili hoc bello, Otto Vicecomes, delectus a Summo Pontifice in Medio-

diolani Archiepiſcopum, ſed a Turrianis qui Plebi favebant repulſus, armorum vi opus habuit, ut ſibi viam ad Eccleſiæ ſuæ ſolium aperiret. Inita eſt pugna Anno MCCLXXVII. ad Oppidum Decii, fractiſque copiis Turrianæ Familiæ, ipſoque etiam Duce capto, victor Mediolanum ingreſſus, univerſo plaudente populo, ſuam Sedem recepit. Præmium autem diuturni exilii, proſperique poſtremi certaminis fuit, abſolutum in hanc Metropolim Provinciamque imperium, quod per non modicam annorum feriem in Archiepiſcopis ſubſequentibus perſeveravit, ùt ſuis locis liberiore calamo enarrabimus.

Recenſeri quoque hìc fusè poſſet ſplendidiſſimum aliud decus, quo inſignita fuit poſtremo hoc Seculo Eccleſia Mediolanenſis, facultas nempe ab Apoſtolica Sede benigniſſimè collata ſingulis ex Primario Metropolitanæ Baſilicæ Clero, Infulam & reliqua Epiſcopalia indumenta deferendi in Sacris Solemnibus peragendis, publicis Supplicationibus, aliiſque Eccleſiaſticis implendis muneribus tum in hac Metropoli, tum in Diœceſi univerſa. Verùm cùm fulgor iſte honoris planè eximii excelſique, in omnium oculis obverſetur, ſatis eſſe cenſuimus, illum hoc loco indicaſſe: Inde enim arguere cuilibet fas eſt, quot illuſtribus prærogativis enituerit ſemper Eccleſia Ambroſiana, quam Supremus Hierar-

cha

Digitized by Google

cha Clemens XI. dignam exiſtimavit, ut tanto munere donaretur.

§. XIII.

PRæmiſſis turbulentis Rerum publicarum negotiis, ſuperius relatis, quibus intermiſſa fuit Ambroſianæ Eccleſiæ adminiſtratio, arbitrari quiſpiam poſſet, defuiſſe Præſulibus noſtris tempus aut animum, ſeriam conſtantemque diligentiam impendendi, ut Grex iiſdem a Domino commiſſus, ſubſidiis, inſtitutionibus, exempliſque inſtructos, ad æternæ vitæ quietem ſecuro tramite progrederetur. Quàm gravi tamen præjudicatæ mentis errore laboraret, qui hanc ſibi cogitationem obrepere ſineret, univerſa hæc evincit Hiſtoria. De Eccleſiaſtica Diſciplina, quavis ætate ab Archiepiſcopis noſtris in Clerum inductâ confirmatâque, aliqua ſub initium hujus Præfationis innuimus: Ex hac verò Sacerdotum caſtigatæ vitæ ratione quantum pendeant populi mores ac ſalus, nemo eſt qui ignoret. De altera verò Paſtoralis Officii cura, quæ pauperes reſpicit, vix enarrari, vel etiam credi poteſt, quàm profuſâ largitate eorumdem indigentiæ tum animarum, tum corporum ſemper ſubvenerint Mediolanenſes Antiſtites. Unum vel alterum exemplum huc revocare ſat erit; cùm plura alia inſi-

gnia

gnia paternæ erga egenos caritatis noſtrorum Præſulum teſtimonia, ſicuti etiam reliqua omnia, quæ ad implendam optimi Paſtoris provinciam ſpectant, aut deſiderari queant, admirabili ſedulitate ab ipſis præſtita, haſce paginas evolventibus paſſim occurrent.

Obſtinata viginti annorum annonæ penuria ſub initium Seculi XI. miſerâ vaſtitate Italiam omnem perculerat. Promotus ad hanc Sedem Heribertus Archiepiſcopus, ne Oves ſuas teterrima fame conſumi videret, horrea & Arcas aperuit tam effusâ liberalitate, ut ſingulis diebus ſummo mane octo mille panes, octoque leguminum modios diſtribui in pauperes juſſerit; ſingulis verò menſium Calendis propriâ ipſe manu largam nummorum ſtipem, novaſque veſtes iiſdem ſit elargitus. Quodque admirationem ac laudem plurimùm auget, non modico temporis ſpatio, ſed per octennium ſui regiminis, quo pertinax ea calamitas ſubſtitit, in eâdem ſubſidiorum largitione conſtantiſſimè perſeveravit. Narrat hæc coævus Scriptor Landulphus Senior *in Hiſtoria Mediolanenſi*, editâ Tom. IV. *Scriptor. Italiæ*. Non minori ſignificatione animi ad relevandam egeſtatem Civium propenſiſſimi emicuit caritas Joannis II. Vicecomitis, Archiepiſcopi ſimul & Domini Mediolani; in æquali namque propemodum famis per Urbem hanc triſtiſſimè deſævientis infortunio, quadraginta pauperum

rum millia quotidie, publici ærarii impenſis, ali mandavit: Reſtituta autem agris fœcunditate non refriguit in Antiſtite Vicecomite erga inopes amor & cura; continuato enim more, quoadusque in vivis ſuperfuit, ſexaginta pauperibus dietim in Archiepiſcopalibus Ædibus victualia & nummos ſubminiſtravit. Quamvis verò temporum inconſtanti viciſſitudine a Principatu hujus Metropolis deciderint Archiepiſcopi, nobilis tamen hæc conſuetudo, veluti pretioſa Majorum hæreditas, adeò immota Succeſſorum animis inhæſit, ut ferme neminem ex iis, qui diutiùs apud nos moram duxere, reperias, cujus nomen, aliquo inſigni edito liberalitatis in pauperes experimento, ſeu conſtructo in eorumdem gratiam Ædificio illuſtratum in poſterorum memoria non perennaverit.

§ XIV.

JAm verò ut ad ea, quæ nos impulere ad hanc ſpartam adornandam, ſermonem convertamus, illud in primis incitamento nobis fuit, nullum hactenus prodiiſſe Scriptorem, qui fideli calamo, plenâque & compoſitâ ad rectum temporum ordinem narratione, res præclariſſimè quavis ætate ab Archiepiſcopis Mediolanenſibus geſtas, eorumque ſplendidiſſima decora complecte-

retur. Etenim ſi antiquiſſimos conſulamus Catalogos, vix nudum nomen, annique regiminis ac mortis occurrunt. Quæ autem ſubſequentium annorum deſcripta in pergamenis Codicibus hiſtorica monumenta ad nos pervenerunt, cùm parcè de Præſulibus noſtris loquantur, diluendis remotæ antiquitatis tenebris, explendoque deſiderio Lectorum uberiora expetentium, tenuem admodum facem prætulere. Conati poſtremis hiſce Seculis quamplures ſunt, fuſiores Elenchos, ac etiam Vitas Mediolanenſium Antiſtitum latino italicoque idiomate contexere; verùm, cùm multa, proprii ingenii meditatione excogitata, aut ex vulgari falſa opinione, & minime probatæ fidei documentis Hiſtoriiſque deprompta in lucem produxerint, modicam ſane apud eruditos Viros auctoritatem ac laudem ſibi conciliaverunt. Duos prætcrire non poſſumus, verè doctrinâ optime inſtructos, & famâ percelebres, *Petrum Galeſinium*, & *Ferdinandum Ughellum*: Primus enim a Sancto Carolo Borromeo juſſus, *Tabulam Archiepiſcoporum Mediolanenſium* digerere, inferendam *Actis Mediolanenſis Eccleſiæ*, ex Decreto Concilii IV. Provincialis ab ipſo celebrati, eamdem concinnavit: Cùm tamen illa ætas inopiâ MStorum Codicum adhuc in privatis ſcriniis latentium plurimùm laboraret, in chronologicis notis, Factiſque etiam noſtrorum Præſulum, minus appoſitè ac ſtrictim relatis, paſſim

ſim cæſpitavit. Accuratiore liberioreque ſtylo intulit *Ughellus* in magnum ac laudatiſſimum illud Opus *Italiæ Sacræ*, quod ipſe incredibili labore perfecit evulgavitque, Vitas Mediolanenſium Antiſtitum, adjectis etiam ad eas illuſtrandas pluribus documentis nondum editis Summorum Pontificum, Regum, & Præſulum. Attamen cùm in tam ampla rerum per tot Seculorum ſeriem geſtarum meſſe verſaretur, neque is unus, præſertim natione alienus, longeque ab hac Urbe domicilio ſejunctus, univerſam materiem colligere potuerit, atque ad exactas veritatis lances ea quæ ſcribebat expendere, mirum non eſt, ſi digniſſimus iſte conatus, non vulgaribus certè hiſtoricis mercibus dives, permultis quoque nævis, præcipuè in Epochis ſtatuendis inſperſus prodierit, & delicatis noſtri ævi oculis elimatioris ſcriptionis deſiderium reliquerit.

Hac igitur tempeſtate, qua cujuſvis regionis Incolæ, excuſſis publicis privatiſque Archivis, atque eductis in lucem, e ruderibus reconditæ antiquitatis, ſolidioribus monumentis, Eccleſiam & Patriam quiſque ſuam comptiſſimè exornatam in publicum conſpectum proferre glorioſâ quadam æmulatione contendit, nobis pudori vertebamus, ſolam Ambroſianam Eccleſiam, ubique gentium celebratiſſimam, inculto laceroque amictu adhuc neglectam jacere; nemine propitiam manum ad-

movente, ut fulgor eximius, quo illam cumulavere præſtantiſſimi ejuſdem cultores Archiepiſcopi, pompam ſuî faceret; disjectoque velo incuriæ vetantis, ne integer omnino prodiret, reverentiam a populis, & imitationem a poſteris Præſulibus promereretur. Proinde inſpirari nobis alacres ſpiritus ſenſimus, ad hoc præſtandum grati animi obſequium Eccleſiæ ac Metropoli noſtræ, univerſam Archiepiſcoporum Mediolanenſium Hiſtoriam condendo; licèt conſcii optime eſſemus tenuitatis ingenii noſtri, viriumque diuturnis laboribus, provectoque ſenio jam attritarum.

§. XV.

UT autem quid egerimus in præſenti Opere (qualecumque demum illud ſit) parando, Deoque benignè annuente ad umbilicum pene deducto, paucis exponamus: In primis ad ſecuriorem adſtruendam fidem rebus enarrandis, curæ nobis fuit, Archiva præſertim Cœnobiorum diligenter ſcrutari, ut ſi quæ ſuperfuere injuriis bellorum & temporum, ſeu potiùs rudium ætatum negligentiæ atque inſcitiæ, Diplomata & Chartæ, in publicam lucem produceremus; quanti enim in re hiſtorica pretii ſint hujuſmodi merces, eruditi ævi noſtri Viri manifeſtum reddunt, quorum genio nihil gra-

tius

rius accidet, quàm eas e ſecretioribus latebris erutas, juſtiſque Voluminibus comprehenſas, in commune Literariæ Reipublicæ bonum prælo evulgare. Præterea abſtinuimus a Cognominibus Familiarum apponendis ad nomina veterum Antiſtitum. Quamvis enim exemplo ſuo præiverint Galeſinius, Ughellus, aliique Scriptores noſtri, eadem intrepidè referentes, ſequi tamen maluimus antiquum Eccleſiæ morem, quo etiam in Dypticis, Sacris Codicibus, aliiſque hiſtoricis monumentis, nudo tantùm nomine baptiſmali, Eccleſiæque cui præſidebant, Epiſcopi recenſentur. Inſignis certè doctrinâ & Infulâ Novarienſi Carolus a Baſilica-Petri, ubi de Familia ſua *in Fragmentis* agit, Sanctum Geruntium Mediolanenſem Antiſtitem, eidem gratuitò aſſignatum, ſe minime inter Gentiles ſuos agnoſcere candidè profitetur. Immo Libr. II. *Novariæ Sacræ*, loquens *in Sancti Agabii Vita*, de Tabella Epiſcoporum illius Urbis, Prædeceſſoris ſui Franciſci Boſſii juſſu deſcriptâ, temeritatis damnat eos, qui cognomina in illam intulerant, ſubjungens, *quæ neque Inſcriptionibus, neque in Scriptis ullis, neque in Novarienſibus, neque in aliarum Urbium Epiſcopis probari poſſunt*.

Multò minus inſequi voluimus Ughelli veſtigia, qui ut peculiari aliquo teſtimonio diligentiam ſuam compertam faceret, gentilitia Scuta incìdi curavit, ac ſingulis

Epi-

Epiſcopis præpoſuit: In noſtris autem exordium cepit a Sancto Mona, ſub exitum Seculi II. delecto in Mediolanenſem Antiſtitem. Quàm longè tamen a vero diſtet opinio iſta, eruditi noſtri temporis Viri optimè norunt. Siquidem ſeriùs admodum invaluere hujuſmodi Familiarum teſſeræ, inſtitutæ circa Seculum XI., quemadmodum inter ceteros Araldicos Scriptores docuit celeberrimus P. Menetrierius; ſeu potiùs reſtitutæ poſt irruptionem Barbarorum, ùt eruditè contendit Clariſſimus ſanguine & doctrinâ Comes Gabriel Verrus, nunc in Ampliſſimum Senatorium Ordinem meritò cooptatus, in ſuo Tractatu *de Titulis & Inſigniis temperandis*, recentiſſimè in hac Urbe typis vulgato.

Pari adducti ratione, Antiſtites noſtros uſque ad Seculum VIII. *Epiſcopi* ſolummodo nuncupatione produximus; quamvis ab ætate ſaltem Sancti Ambroſii Metropoliticum jus exercuerint, ipſo manus ultro dante Bacchinio, qui in Diſſertatione *de Eccleſiaſticis Originibus* nonniſi eo tempore inſtitutas fuiſſe Metropoles omni eruditæ contentionis niſu evincere ſtudet. Quod ad rem noſtram attinet, antiqui MSti Mediolanenſium Epiſcoporum Catalogi, in Ambroſiana Bibliotheca atque alibi aſſervati, quorum aliquos Papebrochius *in Exegeſi*, & Mabillonius *in ſuo Muſæo Italico* typis evulgavere, in iis recenſendis *Epiſcopi* tantùm nomen adhibuerunt. Quin

etiam

etiam poſtremus hic Auctor animadvertit, a Gallicanis Præſulibus *Archiepiſcopi* titulum ſeriùs quoque fuiſſe paſſim uſurpatum; licèt nonnulli ex Scriptoribus eodem multò antea illos aliquando decoraverint.

§. XVI.

DEmum ſedulitatem omnem impendimus, ut Chronologicæ notæ, quæ Hiſtoriarum veluti oculi ſunt, enunciatis eventibus, præſertim electioni ac morti noſtrorum Antiſtitum rectè adaptarentur: Hactenus enim abſque Duce probatæ fidei vagati ſumus, ignari, cui ex tot temporis recentioris Scriptoribus & Catalogis invicem diverſa tradentibus manum daremus, ut tutò incedere nobis liceret. Itaque coævorum MStos Codices, necnon Diplomata & Chartas, quotquot propitia ſors obtulit, conſuluimus, ut ex genuinis iis fontibus puriorem Chronologiam hauriremus. Nec infeliciter ceſſit hic labor; inde enim nonnulla eruimus, quorum ope diligentiſſimi etiam Papebrochii Catalogum plurium veterum Archiepiſcoporum Mediolanenſium, ab aliquibus mendis in annorum computo expurgare valuimus. Quidquid hac in re pro viribus noſtris actum ſit, unico intuitu Lector intelliget in Tabella, hujus Operis fronti præfixa, ubi annos Electionis, Regiminis, & Mortis

Ar-

Archiantiſtitum Eccleſiæ Ambroſianæ ſeorſim deſignavimus, addito etiam Sepulcri loco.

§. XVII.

ADmonere inſuper Lectorem, neceſſarium ducimus, in hac deſcribenda Hiſtoria minimè nobis placuiſſe eam methodum, quæ familiaris ac propria eſt condentium Elenchos aut Synopſes, ut videlicet preſſo ſuccoſoque calamo referant Acta, poſterorum memoriæ conſignanda. Nos, ut quemlibet, cui gratus eſſe queat labor hic noſter, moleſto incommodo levaremus aliò divertendi, ad uberiorem relatæ rei notitiam captandam, liberiorem narrationem latiùs excurrere ſivimus, ex Eccleſiaſticis profaniſque Annalibus decerpentes quæ opportuna videbantur, ut primo aſpectu de origine ac circumſtantiis tot repentinarum viciſſitudinum per annorum ſeriem occurrentium, ſatis ſuperque Legentes inſtruerentur. Non ideo tamen hujuſmodi libertate utentes, quidquam de Inſtituti noſtri ratione detraximus; ſed potiùs exiſtimavimus, ſuſceptum a nobis tramitem brevibus hiſce eruditis morulis planiorem amœnioremque per eum incedentibus reddendum fore.

§. XVIII.

§. XVIII.

IN eorumdem quoque Lectorum gratiam, alterum nobis innaſci deſiderium perſenſimus, videlicet exornandi hunc noſtrum laborem jam ferme abſolutum novo, nec alieno prorſus a ſemita quam terebamus, apparatu Eccleſiaſticæ eruditionis. De illo conſcios privatim fecimus quamplures ex doctis hujus Metropolis Viris, qui non modò favorabilem calculum ſuum meditamentis noſtris præbuere, ſed etiam ſtimulos addiderunt, ut quod mente conceperamus, calamo quoque perficeremus. Quænam nobis mens eſſet, facilè palam depromimus. Cùm de Archiepiſcopis Mediolanenſibus ageremus, obviam ſe nobis ſemper exhibuit peculiaris ſolicitudo, qua adlaboravere, ut myſticus iſte Ambroſianæ Eccleſiæ campus ſedulò a ſelectis Colonis excoleretur; amplificatis autem Urbis hujus mœniis, & ſuccreſcente Chriſtifidelium numero, memores Evangelicæ a Patrefamilias prolatæ querelæ: *Meſſis quidem multa, Operarii autem pauci*, in Cleri ſubſidium Regularium Ordinum Alumnos aut advocavere, aut ſeſe ultro offerentes extentis brachiis ſunt amplexi, ut ſudores ſuos unà cum illo, ad uberiores Sanctorum operum & pœnitentiæ fructus maturandos, impenderent. Itaque non

niſi rem Civibus noſtris gratam, & in non mediocrem laudem gloriamque Mediolanenſium Antiſtitum redundaturam nos facturos cenſuimus, ſi, cui ex illis accepta hæc ad animæ proventum auxilia debeantur, enunciaremus. Nulli idcirco diligentiæ & labori pepercimus, ut ex penitioribus Archivis Regularium Familiarum, quibus nunc affluit Metropolis iſta, edoceremur, quo Seculo, quove Anno huc penetraviſſent; inde enim compertum illico reddebatur, quis Archiepiſcopus eas certa Sede donaverit, & in auxiliares veluti copias admiſerit, ad repellendam ab Ovili ſuo, publicis Concionibus, privatiſque exemplis, ac precibus diu noctuque ad Deum effuſis, infernalium Luporum infeſtiſſimam rapacitatem. Neque omnino reconditæ Eruditionis fructu caruit ſuſcepta a nobis hæc cura: Nonnullos namque Regulares Cœtus in lucem educere licuit, *Baſilianos Armenos*, *Pauperes Catholicos*, *Fratres de Pœnitentia*, vulgò appellatos *de Sacco*, ſeu *Sacchettos*, quos omnes diuturniſſimo contubernio incolas & Sacrorum Miniſtros in Eccleſiis Cœnobiiſque ſuis habuit Civitas Mediolanenſis; cùm tamen nulla in Patriæ Hiſtoriis mentio illorum occurrat, nomenque ipſum mage eruditis noſtri temporis Civibus peregrinum aliquid inſonare videatur. Hac verò occaſione, ut juſtis Lectorum votis obſequeremur, non refugimus laborem exquirendi indi-

indicandique obſcuriores fontes horum, aliorumque remotæ ætatis Ordinum Religioſorum; recentiorum namque clara cuilibet, modicè quamvis in Libris verſato, innoteſcunt exordia & Inſtitutores, quin iſta ſingillatim recenſentes, inutili pondere Chartas oneraremus.

Conſultò etiam omiſimus ea omnia excellentium virtutum & Sanctimoniæ Acta, quæ privatam Antiſtitum Mediolanenſium vitam Deo acceptiſſimam, atque admirabilem populis præſtitere; in illum enim unicè ſcopum curas noſtras intendimus, ut, quid præclari egerint tamquam fideles Dei Miniſtri in Archiepiſcopali Ambroſianæ Eccleſiæ regimine, in publicam lucem educeremus, ad excitandam gratam Civium recordationem, nobilemque ſtimulum gloriosâ eâdem ſemitâ ſemper incedendi Succeſſoribus adjungendum. Ceterùm niſi Opus iſtud quavis ſuì parte Dignitati argumenti reſponderit, ſaltem animum & conatum inſerviendi, uſque ad ultima ſenectutis confinia, gloriæ Mediolanenſis Eccleſiæ ac Metropolis, in pretio futuros, nobis non inani ſpe pollicemur.

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPORUM
MEDIOLANENSIUM
CHRONOLOGICA TABULA
EMENDATA.

Digitized by Google

S. BARNABAS APOSTOLUS

NOMINA	*ELECTUS*			*SEDIT*		
	An.	menſ.	die	Ann.	menſ.	dieb.
S. ANATALON.	53.	—	—	8.	—	—
S. CAJUS.	61.	—	—	24.	—	—
S. CASTRITIANUS.	97.	—	—	41.	—	—
S. CALIMERIUS Martyr.	138.	—	—	53. incomplet.		
S. MONAS.	193.	—	—	59. incomplet.		
S. MATERNUS.	282. circiter.			22. incomplet.		

OBIIT			*TUMULUM*	*VACAVIT SEDES*		
An.	menſ.	die	recepit	Ann.	menſ.	dieb.
61.	Septem.	24.	Brixiæ in Eccleſia S. Floriani in Monte; poſtmodum in Eccleſia Cathedrali.			
85.	Septem.	24.	In Hortis Philippi; poſtmodum in Baſilica Naboriana.	12. circiter.		
138.	Decem.	1.	In Cæmeterio Romano; poſtmodum in Eccleſia S. Joannis ad Concham.			
191.	Julii	31.	In Cæmeterio Caji; poſtmodum in Eccleſia S. Calimerii.	1.	6.	—
251.	Mart.	25.	In Cæmeterio Caji; poſtmodum in Eccleſia S. Vitalis: demum in Baſilica Metropolitana.	32. circiter.		
303.	Julii	17.	In Baſilica Naboriana, ſeu S. Franciſci.			

S. MI-

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS*			*SEDIT*		
	An.	menſ.	die	Ann.	menſ.	dieb.
S. MIROCLES.	303.	——	——	12.	——	——
S. EUSTORGIUS I.	315.	——	——	16. incomplet.		
S. PROTASIUS.	331.	——	——	22. incomplet.		
S. DIONYSIUS.	352.	——	——	4. incompl. Mediol. 10. in Exilio.		
S. AMBROSIUS.	374.	Decem.	7.	23. incomplet.		
S. SIMPLICIANUS.	397.	——	——	3.	4. circiter.	

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA.

OBIIT			*TUMULUM*	*VACAVIT SEDES*
An.	menſ.	die	recepit	Ann. menſ. dieb.
315.	Novem.	30.	In Baſilica Portiana, ſeu S. Victoris.	[illegible]
331.	Septem.	18.	In Baſilica Regum, ſeu S. Euſtorgii.	[illegible]
352.	Novem.	24.	In Baſilica Portiana, ſeu S. Victoris.	[illegible]
365.	in Exilio.		Ex Armenia translatus eſt in Eccleſiam S. Dionyſii; poſtmodum ad Baſilicam Metropolitanam.	9. occupata ab Auxentio Ariano, uſque ab Anno 355., quo in exilium pulſus eſt S. Dionyſius.
397.	April.	4.	In Baſilica Martyrum, ſeu S. Ambroſii.	[illegible]
400.	Auguſt.	15.	In Baſilica Virginum, ſeu S. Simpliciani.	[illegible]

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS* An. menſ. die	*SEDIT* Ann. menſ. dieb.
S. VENERIUS.	400. Auguſt. ——	8. incomplet.
S. MAROLUS.	408. Maji ——	15. incomplet.
S. MARTINIANUS.	423. —— . ——	13. incomplet.
S. CLICERIUS.	436. Januar. ——	3. incomplet.
S. LAZARUS.	438. —— . ——	11. incomplet.
S. EUSEBIUS.	449. —— . ——	17. incomplet.

Digitized by Google

OBIIT An.	menſ.	die	TUMULUM recepit	VACAVIT SEDES Ann.	menſ.	dieb.
408.	Maji	4.	In Baſilica Apoſtolorum, ſeu S. Nazarii.			
423.	April.	23.	In Baſilica Apoſtolorum, ſeu S. Nazarii.			
435.	Decem.	29.	In Baſilica S. Stephani.			
438.	Septem.	20.	In Baſilica Apoſtolorum, ſeu S. Nazarii.			
449.	Mart.	14.	In Baſilica Apoſtolorum, ſeu S. Nazarii.			
465.	Auguſt.	6.	In Baſilica Laurentiana.			

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS* An. menſ. die	*SEDIT* Ann. menſ. dieb.
S. GERUNTIUS.	465. —— . ——	5. incomplet.
S. BENIGNUS.	470. —— . ——	8. incomplet.
S. SENATOR.	477. —— . ——	3. incomplet.
THEODORUS I.	480. —— . ——	10. incomplet.
LAURENTIUS I.	490. April. ——	22. 3. circiter.
S. EUSTORGIUS II.	512. —— . ——	6. incomplet.

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA.

OBIIT Ad. menſ. die	TUMULUM recepit	VACAVIT SEDES Ann. menſ. dieb.
470. Maji 5.	In Baſilica S. Simpliciani.	
477. Decem. 13.	In Baſilica S. Simpliciani.	
480. Maji 29.	In Eccleſia S. Euphemiæ.	
490. Mart. 27.	In Baſilica Laurentiana, ad S. Hyppoliti Sacellum.	
512. Julio exeunte.	In Baſilica Laurentiana, ad S. Hyppoliti Sacellum.	
518. Junii 6.	In Baſilica Laurentiana, ad S. Xiſti Sacellum.	

S. MA-

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS* An. menſ. die	*SEDIT* Ann. menſ. dieb.
S. MAGNUS.	518. —— . ——	13. incomplet.
S. DATIUS.	530. —— . ——	22. incomplet.
VITALIS.	552. —— . ——	4. incomplet.
S. AUXANUS.	566. —— . ——	2. incomplet.
S. HONORATUS.	568. ineunte.	2. incomplet.
LAURENTIUS II.	573. —— . ——	19. 7. ——

Digitized by Google

OBIIT An. menſ. die	*TUMULUM* recepit	*VACAVIT SEDES* Ann. menſ. dieb.
530. Novem. 1.	In Baſilica Regum, ſeu S. Euſtorgii.	
552. Januar. 14. vel poſt Nonas Februarii, juxta Pagium.	In Baſilica S. Victoris, translatus ab Urbe CPlitana.	
555. —— . ——	In Eccleſia S. Vitalis; nunc dirutâ.	11. circiter, occupata ab Epiſcopo Schiſmatico, Paulini Aquilejenſis ordinatore.
567. Septem. 3.	In Baſilica S. Stephani.	—— . 4. circiter.
570. Februar. 26.	Genuæ; trãslatus poſtmodum ad Eccleſiam S. Georgii ad Noxetam, dein ad Baſilicam Euſtorgianam.	3. circiter.
593. ineunte.	Genuæ, in Eccleſia Sancti Syri.	

CON-

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	ELECTUS			SEDIT		
	An.	menſ.	die	Ann.	menſ.	dieb.
CONSTANTIUS.	593.	—	—	8. incomplet.		
DEUSDEDIT.	601.	Septem.	16.	28.	1.	14.
ASTERIUS.	630.	Januar.	28.	10.	5.	7.
FORTIS.	641.	—	—	3.	—	—
S. JOANNES I.	645.	—	—	10. incomplet.		
S. ANTONINUS.	655.	—	—	2.	—	—

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA.

OBIIT			*TUMULUM*	*VACAVIT SEDES*		
An.	menſ.	die	recepit	Ann.	menſ.	dieb.
600.	Septem.	3.	Genuæ in Eccleſia Sancti Ambroſii.	1.	——	13.
629.	Octobr.	30.	Genuæ in Eccleſia Sancti Syri.	——	2.	29.
640.	Julii	4.	Genuæ in Eccleſia Sancti Syri.	——		6. circiter.
644.	——	——		——		6. circiter.
655.	Januar.	2.	In Eccleſia Sancti Michaëlis; poſtmodum in Baſilica Metropolitana.			
657.	Octobr.	31.	In Baſilica S. Simpliciani.	——	1.	——

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	ELECTUS			SEDIT		
	An.	menſ.	die	Ann.	menſ.	dieb.
S. MAURICILLUS.	657.	—	—	10.	4.	—
S. AMPELLIUS.	668.	—	—	5. incomplet.		
S. MANSUETUS.	672.	—	—	9. incomplet.		
S. BENEDICTUS I.	681.	—	—	44.	—	—
THEODORUS II.	725.	—	—	14.	—	—
S. NATALIS.	740.	Mart.	—	1.	2.	—

Digitized by Google

OBIIT An.	menſ.	die	*TUMULUM* recepit	*VACAVIT SEDES* Ann.	menſ.	dieb.
668.	Mart.	31.	In Eccleſia Sancti Satyri.			
672.	Julii	8.	In Baſilica S. Simpliciani.			
681.	Februar.	19.	In Baſilica S. Ambroſii; poſtmodum in Baſilica S. Stephani.			
725.	Mart.	11.	In Baſilica S. Ambroſii.			
739.	——	——	In Eccleſia Monaſterii Auronæ, nunc Monialium S. Auguſtini in Porta Nova.			
741.	Maji	13.	In Baſilica S. Georgii ad Palatium.	——	3.	——

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS* An. menſ. die	*SEDIT* Ann. menſ. dieb.
ARIFREDUS.	741. Auguſt. —	— . 9. —
STABILIS.	742. Auguſt. 12.	2. 4. —
LÆTUS.	745. Maji —	13. 11. —
THOMAS.	759. Septem. 23.	24. — 8.
PETRUS I.	784. Mart. —	22. incomplet.
OLDEPERTUS.	805. — . —	8. 7. —

Digitized by Google

OBIIT An.	menſ.	die	*TUMULUM* recepit	*VACAVIT SEDES* Ann.	menſ.	dieb.
742.	—	—	In Baſilica Sancti Nazarii .	—	3.	—
744.	Decem.	13.	In Baſilica S. Ambroſii .	—	5.	—
759.	April.	4.	In Baſilica S. Ambroſii .	—	5.	19.
783.	Octobr.	1.	In Baſilica S. Ambroſii ; poſtmodum in Laurentiana .	—	5. circiter.	
805.	Maji	15.	In Baſilica S. Ambroſii .			
814.	—	—	In Baſilica S. Ambroſii .			

AN-

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS* An. menſ. die	*SEDIT* Ann. menſ. dieb.
ANSELMUS I.	814. —— . ——	5. incomplet.
BONUS.	818. —— . ——	4. incomplet.
ANGILBERTUS I.	822. Julii 18.	1. 2. 22.
ANGILBERTUS II.	824. Junii ——	36. —— . ——
THADO.	861. Novem. 9.	8. incomplet.
ANSPERTUS.	869. —— . ——	13. incomplet.

Digitized by Google

OBIIT An. menſ. die	TUMULUM recepit	VACAVIT SEDES Ann. menſ. dieb.
818. depoſitus Aquiſgrani; poſtea Mediolanum redux anno 822., obiit die 11. Maji.	In Baſilica S. Ambroſii.	
822. Januar. 25.	In Baſilica S. Ambroſii.	— 5. 23.
823. Octobr. 9.	In Baſilica S. Ambroſii.	— 8. circiter.
860. Decem. 13.	In Baſilica Sancti Nazarii.	— 10. 27.
869. Maji 26.	In Baſilica S. Ambroſii.	
881. Decem. 7.	In Baſilica S. Ambroſii.	— 3. circiter.

AN-

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS*			*SEDIT*		
	An.	menſ.	die	Ann.	menſ.	dieb.
ANSELMUS II.	882.	Martii	6.	14.	6.	22.
LANDULPHUS I.	896.	Octobri ineunte.		3. incomplet.		
ANDREAS.	899.	Novem.	30.	6.	3.	—
ATTO.	906.	—	—	12.	6. circiter.	
GARIBERTUS.	918.	Decemb.	—	2.	8.	—
LAMPERTUS.	921.	Octobr.	4.	9.	8.	15.

Digitized by Google

OBIIT An.	mens.	die	*TUMULUM* recepit	*VACAVIT SEDES* Ann. menſ. dieb.
896.	Septem.	27.	In Baſilica S. Ambroſii.	
899.	——	——	In Baſilica S. Ambroſii, ad S. Marcellinæ Sacellum.	
906.	Februar.	28.	In Baſilica S. Ambroſii.	
918.	Septem.	—	In Baſilica Metropolitana, fortè Româ translatus.	—— . 3. circiter.
921.	Auguſt.	—	In Eccleſia S. Stephani ad Fontem, prope Baſilicam Metropolitanam.	—— . 2. circiter.
931.	Junii	19.	In Eccleſia Hyemali, ſeu Baſilica Metropolitana.	

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS* An. menſ. die	*SEDIT* Ann.	menſ.	dieb.
HILDUINUS.	931. Junio exeunte.	5.	——	26.
ARDERICUS.	936. Auguſt. 13.	12.	2.	——
ADELMANUS.	948. —— . ——	5.	——	——
VALPERTUS.	953. —— . ——	18.	——	——
ARNULPHUS I.	971. Decembri exeunte.	3.	4.	——
GOTHIFREDUS.	975. Julii 28.	5.	1.	22.

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA.

OBIIT An.	menſ.	die	*TUMULUM* recepit	*VACAVIT SEDES* Ann.	menſ.	dieb.
936.	Julii	24.	In Eccleſia Hyemali, ſeu Baſilica Metropolitana.	—	1	19.
948.	Octobr.	13.	In Baſilica Nazariana, ad S. Lini Sacellum.			
953. Archiepiſcopatum dimiſit; & anno 956. obiit.						
971.	Novem.	6.	In Eccleſia Hyemali, ſeu Baſilica Metropolitana.	—		2. circiter.
975.	April.	16.	In Eccleſia Hyemali, ſeu Baſilica Metropolitana.	—	3.	12.
980.	Septem.	19.	In Eccleſia Hyemali, ſeu Baſilica Metropolitana.			

x 2 LAN-

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS* An. menſ. die	*SEDIT* Ann. menſ. dieb.
LANDULPHUS II.	980. Septem. ——	18. —— ——
ARNULPHUS II.	998. Septem. 18.	19. 9. 6.
HERIBERTUS.	1018. Junio exeunte.	27. incomplet.
WIDO.	1045. Julii 18.	26. incomplet.
GOTHOFREDUS.	per ſimoniam intruſus.	numquam ſeſedit.
ATHO.	1072. Januar. 6. legitimè.	numquam conſecrationem recipere potuit.

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA.

OBIIT An. menſ. die	*TUMULUM* recepit	*VACAVIT SEDES* Ann. menſ. dieb.
998. Septem. 14.	In Eccleſia S. Celſi.	
1018. Junii 23.	In Baſilica Portiana, ſeu Sancti Victoris.	
1045. Januar. 16.	In Baſilica S. Dionyſii.	1. 6. 2.
1071. —— ——	In Bergolii Oppido apud Derthonam.	
1075. anathemate perculſus, obiit extorris & profugus.		

THE-

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS* An. menſ. die	*SEDIT* Ann. menſ. dieb.
THEDALDUS.	1075. intruſus.	10. incomplet.
ANSELMUS III.	1086. Julio ineunte.	7. 5. 4.
ARNULPHUS III.	1093. Decem. 6.	3. 9. 19.
ANSELMUS IV.	1097. Novem. 2.	3. 10. 28.
GROSSULANUS.	1102. ——. ——	9. 4. ——
JORDANUS.	1112. Januar. 1.	8. 9. 3.

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA.

OBIIT An. menſ. die	*TUMULUM* recepit	*VACAVIT SEDES* Ann. menſ. dieb.
1085. Maji 25., depoſitus a Sede anno 1080.	In Aronæ Oppido, ad oras Verbani Lacus.	1. circiter.
1093. Decem. 4.	In Baſilica Nazariana.	
1097. Septem. 24.	In Monaſterio Clivatenſi, Diœceſis Mediolan.	——. 1. 7.
1101. Septem. 30.	Conſtantinopoli, in Monaſterio S. Nicolai.	1. circiter.
1112. Januar. 1. declaratur per ſimoniam electus. Obiit anno 1117. 6. Auguſti.	Romæ, in Monaſterio Sancti Sabæ.	
1120. Octobr. 4.	In Baſilica S. Ambroſii.	——. 1. 13.

OLRI-

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	ELECTUS			SEDIT		
	An.	menſ.	die	Ann.	menſ.	dieb.
OLRICUS.	1120.	Novem.	17.	5.	6.	11.
ANSELMUS V.	1126.	Junii	30.	10.	1.	14.
S. BERNARDUS.	1134., depoſito Anſelmo V.			fugâ elapſus oblatam dignitatem recuſavit.		
ROBALDUS.	1135.	Julii	29.	10.	4.	26.
OBERTUS I.	1146.	Januar.	22.	20.	2.	6.
S. GALDINUS Valvaſſorius de Sala, S. R. E. Cardinalis.	1166.	April.	18.	10.	—	—

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA.

OBIIT An. menſ. die	*TUMULUM* recepit	*VACAVIT SEDES* Ann. menſ. dieb.
1126. Maji 28.	In Eccleſia Hyemali, ſeu Baſilica Metropolitana.	— . 1. 2.
1136. Auguſt. 14. poſtquam dejectus fuiſſet a Sede, anno 1133.	Romæ, ubi captivus detinebatur; In Eccleſia S. Jo: Lateran.	
1145. Decem. 30.	In Eccleſia Hyemali, ſeu Baſilica Metropolitana.	— . — . 23.
1166. Martii 28.	Beneventi, in Eccleſia Sanctæ Sofiæ.	— . — . 20.
1476. April. 18.	In Eccleſia S. Theclæ; poſtmodum in Baſilica Metropolitana.	— . 2. 13.

NOMINA	*ELECTUS*			*SEDIT*		
	An.	menſ.	die	Ann.	menſ.	dieb.
ALGISIUS.	1176.	Julii	2.	8.	4.	26.
UBERTUS I. Cribellus, S.R.E. Cardinalis, poſtmodum Urbanus III. Pont. Max.	1185.	Januar.	9.	2.	9.	10.
MILO de Cardano.	1187.	Decem.	5.	7.	8.	8.
OBERTUS II. de Tertiago.	1195.	Septem.	8.	——	9.	5.
PHILIPPUS I. de Lampugnano.	1196.	Julii	10.	10.	4.	7.
UBERTUS II. Pirovanus, S. R. E. Cardinalis.	1206.	Decem.	11.	4.	3.	2.

Digitized by Google

OBIIT An.	menſ.	die	TUMULUM recepit	VACAVIT SEDES Ann.	menſ.	dieb.
1184.	Novem.	28.	In Eccleſia Hyemali, ſeu Baſilica Metropolitana.	—	1.	11.
1187.	Octobr.	19.	Ferrariæ, in Eccleſia Cathedrali.	—	1.	16.
1195.	Auguſt.	13.	In Eccleſia Hyemali, ſeu Baſilica Metropolitana.	—	—	26.
1196.	Junii	13.		—	—	26.
1206.	Novem.	17.	In Eccleſia Hyemali, ſeu Baſilica Metropolitana.	—	—	24.
1211.	Martii	13.	In Eccleſia Hyemali, ſeu Baſilica Metropolitana.	—	1.	20.

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	ELECTUS			SEDIT		
	An.	menſ.	die	Ann.	menſ.	dieb.
GERARDUS de Seſſa, S. R. E. Cardinalis.	1211.	Maji	4.	——.	7.	11.
HENRICUS I. Septala.	1213.	Novem.	4.	16.	10.	12.
GULIELMUS Ruzzolius.	1230.	Octobr.	14.	10.	5.	15.
LEO Valvaſſorius de Perego.	1241.	Junii	15.	22.	4.	1.
OTTO MAGNUS Vicecomes.	1263. ab Urbano IV. Summo Pontifice.			32. incomplet.		
RUFINUS Frixetus.	1295.	Octobr.	21.	1.	1.	16.

Digitized by Google

OBIIT			TUMULUM	VACAVIT SEDES		
Ann.	menſ.	die	recepit	Ann.	menſ.	dieb.
1211.	Decem.	15.	Cremonæ.	1.	10.	19.
1230.	Septem.	16.	In Oppido Brebbiæ; poſtmodum in Baſilica Naboriana.	——	——	28.
1241.	Martii	28.	In Monaſterio Carævallenſi.	——	2.	18.
1263.	Octobr.	16.	In Oppido Lignani, in Eccleſia S. Ambroſii.			
1295.	Auguſt.	8.	In Baſilica Metropolitana.	——	2.	13.
1296.	Decem.	7.	————			

FRAN-

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	ELECTUS An. menſ. die	SEDIT Ann. menſ. dieb.
FRANCISCUS I. Parmenſis.	1296. —— . ——	12. incomplet.
CASSONUS Turrianus.	1308. —— . ——	9. —— . ——
AYCARDUS Antimianus.	1317. Septem. ——	22. incomplet.
JOANNES II. Vicecomes.	1342. Auguſt. 6.	12. 2. ——
ROBERTUS Vicecomes.	1354. —— . ——	7. incomplet.
GUILIELMUS Puſterla.	1361. —— . ——	9. 4. incompl.

Digitized by Google

OBIIT An.	mens.	die	*TUMULUM* recepit	*VACAVIT SEDES* Ann.	mens.	dieb.
1308.	—	—	In Baſilica Metropolitana.			
1317. Archiepiſcopatum dimiſit; deinde Infulâ Aquilejæ ornatus obiit an. 1319. menſe Auguſti.			Florentiæ, in Eccleſia Fratrum Minorum.			
1339.	Auguſt.	10.	In Baſilica Naboriana, nunc S. Franciſci.	2.	11.	26.
1354.	Octobr.	5.	In Baſilica Metropolitana.			
1361.	Auguſt.	8.	In Baſilica Metropolitana.			
1370.	Decemb.	—	Avenione, in Eccleſia PP. Ordinis Prædicatorum.			

SI-

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	ELECTUS An. menſ. die	SEDIT Ann. menſ. dieb.
SIMON de Borſano, S. R. E. Cardinalis.	1370. Decembri exeunte.	10. incomplet.
ANTONIUS de Salutio.	1380. —— ——	21. —— ——
PETRUS II. FILARGUS S. R. E. Cardinalis; dein Alexander V. Pont. Max.	1402. —— ——	7. incomplet.
FRANCISCUS II. Creppa.	1409. Novem. 23.	5. incomplet.
BARTHOLOMÆUS Capra.	1414. Februar. 7.	19. 7. 23.
FRANCISCUS III. Picolpaſſus.	1435. —— ——	7. 3. 5.

TABULA CHRONOLOGICA.

OBIIT An. menſ. die	*TUMULUM* recepit	*VACAVIT SEDES* Ann. menſ. dieb.
1380. Archiepiſcopatu fortè ſpoliatus; obiit anno 1381. Auguſti 27.	Niciæ in Provincia.	
1401. —. —	In Baſilica Metropolitana.	1. —. —
1409. Junii 26. electus in Summum Pontificem; obiit 4. Maji 1410.	Bononiæ, in Eccleſia Fratrum Minorum.	
1414. ineunte.		— 1. circiter.
1433. Septem. 30.	In Urbe Baſileenſi.	2. circiter.
1443. —. —	In Baſilica Metropolitana.	

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS* An. menſ. die	*SEDIT* Ann.	menſ.	dieb.
HENRICUS II. Rampinus, S. R. E. Cardinalis.	1443. Auguſt. 24.	6.	10.	10.
JOANNES III. Vicecomes.	1450. Auguſt. 3.	2.	7.	—
NICOLAUS Amidanus.	1453. Martii 26.	—.	11.	23.
TIMOTHEUS Maffeus.	1454. Martii 29.	Archiepiſcopatum a Nicolao V. ſibi delatum repudiavit.		
GABRIEL Sfortia.	1454. Junii 21.	3.	2.	22.
CAROLUS I. de Forlivio.	1457. Octobri ineunte.	4. incomplet.		

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA.

OBIIT An. menſ. die	*TUMULUM* recepit	*VACAVIT SEDES* Ann. menſ. dieb.
1450. Julii — 4.	Romæ, in Eccleſia S. Clementis.	—— . 1. circiter.
1453. Martii 3.	In Baſilica Metropolitana.	——. ——. 22.
1454. Martii 21.	In Baſilica Metropolitana.	——. ——. 8.
		——. 2. 23.
1457. Septem. 12.	In Eccleſia B. V. Mariæ Coronatæ.	——. ——. 20. circiter.
1461. ——. ——	In Eccleſia S. Celſi.	

z 2 STE-

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS* An. menſ. die	*SEDIT* Ann. menſ. dieb.
STEPHANUS Nardinus, S. R. E. Cardinalis.	1461. —. —	23. — . —
JOANNES IV. Arcimboldus, S. R. E. Cardinalis.	1484. —. —	4. incomplet.
GUIDO ANTONIUS Arcimboldus.	1488. Aprili exeunte.	9. 6. circiter.
OCTAVIANUS Arcimboldus.	1497. Octobri exeunte.	nondum exacto menſe.
HYPPOLITUS I. Eſtenſis, S. R. E. Cardinalis.	1497. Novem. 18.	23. incomplet.
HYPPOLITUS II. Eſtenſis, S. R. E. Cardinalis.	1520. —. —	30. incomplet.

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA.

OBIIT An. menſ. die	TUMULUM recepit	VACAVIT SEDES Ann. menſ. dieb.
1484. Octobr. 22.	Romæ, in Baſilica Vaticana.	
1488. Archiepiſcopatum dimiſit; & Romæ obiit anno 1491. 2. Octobris.	Romæ; in Eccleſia S. Auguſtini.	
1497. Octobr. 18.	In Baſilica Metropolitana.	
1497. Novem. —	Romæ.	
1520. Archiepiſcopatum dimiſit; & eodem anno obiit die 3. Septembris.	Ferrariæ, in Eccleſia Cathedrali.	
1550. Archiepiſcopatum dimiſit cum jure regreſsûs; & obiit anno 1572. die 2. Decembris.	Ad Urbem Tiburtinam, Româ translatus, in Eccleſia Sancti Franciſci.	

JOAN-

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS* An.	menſ.	die	*SEDIT* Ann.	menſ.	dieb.
JOANNES ANGELUS Arcimboldus.	1550.	Februar.	5.	5.	2.	1.
PHILIPPUS II. Archintus.	1556.	——	.——	2. circiter.		
S. CAROLUS Borromeus, S. R. E. Cardinalis.	1560.	Februar.	11.	24.	8.	23.
GASPAR Vicecomes.	1584.	Novem.	29.	10.	1.	13.
FEDERICUS I. Borromeus, S. R. E. Cardinalis.	1595.	April.	24.	35.	4.	27.
CÆSAR Montius, S. R. E. Cardinalis.	1632.	Novem.	28.	17.	8.	18.

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA.

OBIIT			*TUMULUM*	*VACAVIT*	*SEDE*	
An.	menſ.	die	recepit	Ann.	menſ.	dieb.
1555.	April.	6.	In Baſilica Metropolitana.			
1558.	Junii	21.	Bergomi; poſtmodum in Baſilica Metropolitana, ad S. Catharinæ Sacellum.			
1584.	Novem.	3.	In Baſilica Metropolitana.	——.	——.	25.
1595.	Januar.	12.	In Baſilica Metropolitana, ad S. Agnetis Sacellum.	——.	3.	12.
1631.	Septem.	21.	In Baſilica Metropolitana, ad Aram B. V. Mariæ de Arbore.	1.	2.	7.
1650.	Auguſt.	16.	In Baſilica Metropolitana, ad Aram B. V. Mariæ de Arbore.	1.	10. circiter.	

AL-

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPOR. MEDIOLANENS.

NOMINA	*ELECTUS*			*SEDIT*		
	An.	menſ.	die	Ann.	menſ.	dieb.
ALPHONSUS Litta, S. R. E. Cardinalis.	1652.	Junii	——	27.	2. circiter.	
FEDERICUS II. Vicecomes, S. R. E. Cardinalis.	1681.	Junii	25.	11.	6.	12.
FEDERICUS III. Caccia, S. R. E. Cardinalis.	1693.	April.	11.	5.	9.	3.
JOSEPH I. Archintus, S. R. E. Cardinalis.	1699.	Maji	18.	12.	10.	22.
BENEDICTUS II. Herba Odeſcalcus, S. R. E. Cardinalis.	1712.	Auguſt.	18.	24.	5. incom-plet.	
CAROLUS CAJETANUS Stampa, S. R. E. Cardinalis.	1737.	Martii	31.	5.	8.	23.
JOSEPH II. Puteobonellus, S. R. E. Cardinalis.	1743.	Junii	15. quem Deus diu ſervet incolumem.			

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA:

OBIIT An. menſ. die	TUMULUM recepit	VACAVIT SEDES Ann.	menſ.	dieb.
1679. Auguſt. 28.	Romæ, in Eccleſia S. Caroli ad Curſum; dein in Baſilica Metropolitana.	1.	9.	28.
1693. Januar. 7.	In Baſilica Metropolitana, ad Aram B. V. Mariæ de Arbore.	——.	3.	4.
1699. Januar. 14.	In Baſilica Metropolitana, ad Aram B. V. Mariæ de Arbore.	——.	4.	3.
1712. April. 9.	In Baſilica Metropolitana, ad S. Catharinæ Sacellum.	——.	4.	8.
1737. Januar. ineunte Archiepiſcopatum dimiſit, & an. 1740. 13. Decembr. obiit.	In Eccleſia S. Joannis ad Concham.	——.	3. circiter.	
1742. Decemb. 23.	In Baſilica Metropolitana, ad Aram B. V. Mariæ de Arbore.	——.	5.	23.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆSULUM NOMENCLATURA;

QUOS A NONNULLIS SCRIPTORIBUS

IN MEDIOLANENSIUM ANTISTITUM NUMERUM RELATOS,

NOS IN HAC SERIE HISTORICA

Ab eorumdem Tabula expunximus.

MARINUS, poſt S. Monam intruſus An. 251. ad implendam lacunam annorum 32. Sedis vacantis. Tom. I. pag. 35.

OROSIUS, poſt Sanctum Mirodem An. 315. a Galeſinio & Ughello falsò enumeratus. Tom. I. pag. 50.

JULIUS, poſt Sanctum Euſtorgium I. An. 331. etiam a Baronio admiſſus. — — — Tom. I. pag. 56.

AUXENTIUS Arianus, invaſor ab Anno 355. poſt pulſum Sanctum Dionyſium, uſque ad Annum 374. — — — — — Tom. I. pag. 70.

NATALIS Epiſcopus Toletanus, qui exulante S. Dionyſio dicitur vicario nomine Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtraſſe. Tom. I. pag. 71.

AUXENTIUS junior, ſeu MERCURINUS, ope Juſtinæ Imperatricis, tempore S. Ambroſii, intruſus. — — — — — Tom. I. pag. 80.

S. GUNDULPHUS, a Papebrochio poſt Vitalem admiſſus An. 555. — — — Tom. I. pag. 179.

SABINUS a Petro Paulo Boſca poſt eumdem Vitalem intruſus, ad lacunam implendam. — — — — — — — Tom. I. pag. 180.

S. ARSATIUS, poſt Sanctum Auxanum Anno 567. donec clariora emergant Documenta. — — — — — — — Tom. I. pag. 182.

FRONTUS, qui Anno 570. Sedem ſimoniacè invaſit, uſque ad Annum 581., quo obiit Genuæ captivus. — — — — Tom. I. pag. 190.

OLDOBERTUS Marionius, a Galeſinio additus, poſt Thomam Anno 783. —— Tom. II. pag. 274.

MANASSES Epiſcopus Arelatenſis, poſt Ardericum An. 948. intruſus a Berengario Rege. — — — — — — — Tom. II. pag. 347. & ſeqq.

AR-

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPORUM

MEDIOLANENSIUM

INDEX ALPHABETICUS.

A

ADELMANUS. — — — — — Tom. II. pag. 347.
ALGISIUS. — — — — — Tom. II. pag. 591.
S. AMBROSIUS. — — — — — Tom. I. pag. 76.
AMIDANUS NICOLAUS. — — Tom. III. pag. 898.
S. AMPELLIUS. — — — — — Tom. I. pag. 237.
S. ANATALON. — — — — — Tom. I. pag. 4.
ANDREAS. — — — — — Tom. II. pag. 317.
ANGILBERTUS I. — — — — Tom. II. pag. 281.
ANGILBERTUS II. — — — — Tom. II. pag. 283.
ANSELMUS I. — — — — — Tom. II. pag. 276.
ANSELMUS II. — — — — — Tom. II. pag. 310.
ANSELMUS III. — — — — Tom. II. pag. 443.
ANSELMUS IV. — — — — Tom. II. pag. 456.
ANSELMUS V. — — — — — Tom. II. pag. 495.
ANSPERTUS. — — — — — Tom. II. pag. 300.
ANTIMIANUS AYCARDUS. — Tom. II. pag. 780.
S. ANTONINUS. — — — — — Tom. I. pag. 233.
ARCHINTUS PHILIPPUS II. —— Tom. III. pag. 1009.
ARCHINTUS JOSEPH I. — — Tom. III. pag. 1171.

AR-

Digitized by Google

ARCIMBOLDUS JOANNES IV. — Tom. III. pag. 944.
ARCIMBOLDUS GUIDO ANTON. - Tom. III. pag. 949.
ARCIMBOLDUS OCTAVIANUS. - Tom. III. pag. 956.
ARCIMBOLDUS JO. ANGELUS. - Tom. III. pag. 980.
ARDERICUS. — — — — — Tom. II. pag. 342.
ARIFREDUS. — — — — — Tom. I. pag. 255.
ARNULPHUS I. — — — — Tom. II. pag. 359.
ARNULPHUS II. — — — — Tom. II. pag. 381.
ARNULPHUS III. — — — — Tom. II. pag. 449.
ASTERIUS. — — — — — Tom. I. pag. 226.
ATHO. — — — — — — Tom. II. pag. 434.
ATTO. — — — — — — Tom. II. pag. 321.
S. AUXANUS. — — — — — Tom. I. pag. 181.

B

S. BENEDICTUS I. — — — — Tom. I. pag. 242.
S. BENIGNUS. — — — — — Tom. I. pag. 129.
S. BERNARDUS. — — — — — Tom. II. pag. 509.
BONUS. — — — — — — Tom. II. pag. 279.
BORROMEUS FEDERICUS I. —— Tom. III. pag. 1080.
de BORSANO SIMON. — — — Tom. III. pag. 825.

C

CACCIA FEDERICUS III. — — Tom. III. pag. 1166.
S. CAJUS. — — — — — — Tom. I. pag. 10.
S. CALIMERIUS. — — — — — Tom. I. pag. 21.

CA-

Digitized by Google

CAPRA BARTHOLOMÆUS. —— Tom. III. pag. 849.
de CARDANO MILO. — — — Tom. II. pag. 608.
S. CAROLUS BORROMEUS. — — Tom. III. pag. 1017.
S. CASTRITIANUS. — — — — — Tom. I. pag. 15.
S. CLICERIUS. — — — — — Tom. I. pag. 115.
CONSTANTIUS. — — — — Tom. I. pag. 199.
CREPPA FRANCISCUS II. — — Tom. III. pag. 846.
CRIBELLUS UBERTUS I. — — Tom. II. pag. 599.

D

S. DATIUS. — — — — — Tom. I. pag. 169.
DEUSDEDIT. — — — — — Tom. I. pag. 221.
S. DIONYSIUS. — — — — — Tom. I. pag. 60.

E

ESTENSIS HYPPOLITUS I. — Tom. III. pag. 958.
ESTENSIS HYPPOLITUS II. —— Tom. III. pag. 964.
S. EUSEBIUS. — — — — — Tom. I. pag. 122.
S. EUSTORGIUS I. — — — — Tom. I. pag. 52.
S. EUSTORGIUS II. — — — — Tom. I. pag. 153.

F

FILARGUS PETRUS II. — — Tom. III. pag. 836.
de FORLIVIO CAROLUS I. — — Tom. III. pag. 928.
FORTIS. — — — — — — Tom. I. pag. 228.
FRIXETUS RUFINUS. — — — Tom. II. pag. 759.

S. GAL-

Digitized by Google

G

S. GALDINUS VALVASS. DE SALA. Tom. II. pag. 556.
GARIBERTUS. — — — — Tom. II. pag. 326.
S. GERUNTIUS. — — — — — Tom. I. pag. 126.
GOTHIFREDUS. — — — — Tom. II. pag. 362.
GOTHOFREDUS. — — — — Tom. II. pag. 340.
GROSSULANUS. — — — — Tom. II. pag. 466.

H

HERBA ODESCALC. BENED. II. Tom. III. pag. 1184.
HERIBERTUS. — — — — — Tom. II. pag. 398.
HILDUINUS. — — — — — Tom. II. pag. 335.
S. HONORATUS. — — — — Tom. I. pag. 186

I

S. JOANNES I. — — — — — Tom. I. pag. 229.
JORDANUS. — — — — — Tom. II. pag. 478.

L

LÆTUS. — — — — — Tom. II. pag. 257.
LAMPERTUS. — — — — — Tom. II. pag. 328.
de LAMPUGNANO PHILIPPUS I. — Tom. II. pag. 624.
LANDULPHUS I. — — — — Tom. II. pag. 314.
LANDULPHUS II. — — — — Tom. II. pag. 365.
LAURENTIUS I. — — — — Tom. I. pag. 137.

LAU-

Digitized by Google

LAURENTIUS II. — — — — — Tom. I. pag. 192.
S. LAZARUS. — — — — — Tom. I. pag. 117.
LITTA ALPHONSUS. — — — Tom. III. pag. 1143.

M

MAFFEUS TIMOTHEUS. —— Tom. III. pag. 901.
S. MAGNUS. — — — — — — Tom. I. pag. 164.
S. MANSUETUS. — — — — — Tom. I. pag. 239.
S. MAROLUS. — — — — — Tom. I. pag. 109.
S. MARTINIANUS. — — — — Tom. I. pag. 111.
S. MATERNUS. — — — — — Tom. I. pag. 38.
S. MAURICILLUS. — — — — Tom. I. pag. 235.
S. MIROCLES. — — — — — Tom. I. pag. 48.
S. MONAS. — — — — — — Tom. I. pag. 29.
MONTIUS CÆSAR. — — — Tom. III. pag. 1122.

N

NARDINUS STEPHANUS. —— Tom. III. pag. 934.
S. NATALIS. — — — — — — Tom. I. pag. 250.

O

OBERTUS I. — — — — — Tom. II. pag. 537.
OLDEPERTUS. — — — — Tom. II. pag. 273.
OLRICUS. — — — — — — Tom. II. pag. 487.

P

PARMENSIS FRANCISCUS I. — Tom. II. pag. 761.
de PEREGO LEO VALVASSORIUS. Tom. II. pag. 696.
PETRUS I. — — — — — — Tom. II. pag. 264.
PICOLPASSUS FRANCISCUS III. - Tom. III. pag. 858.
PIROVANUS UBERTUS II. — — Tom. II. pag. 630.
S. PROTASIUS. — — — — — Tom. I. pag. 58.
PUSTERLA GUILIELMUS. — — Tom. II. pag. 819.
PUTEOBONELLUS JOSEPH II. — Tom. III. pag. 1208.

R

RAMPINUS HENRICUS II. — Tom. III. pag. 882.
ROBALDUS. — — — — — Tom. II. pag. 516.
RUZZOLIUS GULIELMUS. —— Tom. II. pag. 682.

S

de SALUTIO ANTONIUS. — — Tom. III. pag. 831.
S. SENATOR. — — — — — Tom. I. pag. 132.
SEPTALA HENRICUS I. — — Tom. II. pag. 640.
de SESSA GERARDUS. — — — Tom. II. pag. 638.
SFORTIA GABRIEL. — — — Tom. III. pag. 921.

S. SIM-

Digitized by Google

S. SIMPLICIANUS. — — — — Tom. I. pag. 94.
STABILIS. — — — — — — Tom. I. pag. 256.
STAMPA CAROLUS CAJETANUS. Tom. III. pag. 1201.

T

de TERTIAGO OBERTUS II. — Tom. II. pag. 620.
THADO. — — — — — — Tom. II. pag. 296.
THEDALDUS. — — — — — Tom. II. pag. 438.
THEODORUS I. — — — — Tom. I. pag. 135.
THEODORUS II. — — — — Tom. I. pag. 246.
THOMAS. — — — — — — Tom. II. pag. 259.
TURRIANUS CASSONUS. — — Tom. II. pag. 769.

V

VALPERTUS. — — — — Tom. II. pag. 352.
S. VENERIUS. — — — — — Tom. I. pag. 105.
VICECOMES OTTO MAGNUS. — Tom. II. pag. 716.
VICECOMES JOANNES II. — — Tom. II. pag. 793.
VICECOMES ROBERTUS. — — Tom. II. pag. 813.
VICECOMES JOANNES III. — — Tom. III. pag. 891.
VICECOMES GASPAR. — — — Tom. III. pag. 1061.

Digitized by Google

VICECOMES FEDERICUS II. —— Tom. III. pag. 1159.
VITALIS. — — — — — — Tom. I. pag. 176.
WIDO. — — — — — — — Tom. II. pag. 419.

Digitized by Google

INDEX CHRONOLOGICUS
ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM,
Qui in hoc primo Volumine continentur.

S. ANATALON. - pag. 4.
S. CAJUS. - - - - pag. 10.
S. CASTRITIANUS. - pag. 15.
S. CALIMERIUS. - - pag. 21.
S. MONAS. - - - - pag. 29.
S. MATERNUS. - - pag. 38.
S. MIROCLES. - - pag. 48.
S. EUSTORGIUS I. - pag. 52.
S. PROTASIUS. - - pag. 58.
S. DIONYSIUS. - - pag. 60.
S. AMBROSIUS. - - pag. 76.
S. SIMPLICIANUS. - pag. 94.
S. VENERIUS. - - pag. 106.
S. MAROLUS. - - pag. 109.
S. MARTINIANUS. - pag. 111.
S. CLICERIUS. - - pag. 115.
S. LAZARUS. - - - pag. 117.
S. EUSEBIUS. - - - pag. 122.
S. GERUNTIUS. - - pag. 126.
S. BENIGNUS. - - pag. 129.
S. SENATOR. - - - pag. 132.
THEODORUS I. - - pag. 135.
LAURENTIUS I. - - pag. 137.
S. EUSTORGIUS II. - pag. 153.
S. MAGNUS. - - - pag. 164.
S. DATIUS. - - - pag. 169.
VITALIS. - - - - pag. 176.
S. AUXANUS. - - - pag. 181.
S. HONORATUS. - pag. 186.
LAURENTIUS II. - - pag. 192.
CONSTANTIUS. - - pag. 199.
DEUSDEDIT. - - - pag. 221.
ASTERIUS. - - - - pag. 226.
FORTIS. - - - - pag. 228.
S. JOANNES I. - - - pag. 229.
S. ANTONINUS. - - pag. 233.
S. MAURICILLUS. - pag. 235.
S. AMPELLIUS. - - pag. 237.

S. MAN-

Digitized by Google

INDEX CHRONOLOGICUS.

S. MANSUETUS. - - pag. 239.

S. BENEDICTUS I. - pag. 242.

THEODORUS II. - - pag. 246.

S. NATALIS. - - - pag. 250.

ARIFREDUS. - - - pag 255.

STABILIS. - - - - pag. 256.

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS
ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM,

Qui in hoc primo Volumine continentur.

A

S. AMBROSIUS. - pag. 76.
S. AMPELLIUS. - - pag. 237.
S. ANATALON. - - pag. 4.
S. ANTONINUS. - - pag. 233.
ARIFREDUS. - - pag. 255.
ASTERIUS. - - - pag. 226.
S. AUXANUS. - - - pag. 181.

B

S. BENEDICTUS I. - pag. 242.
S. BENIGNUS. - - pag. 129.

C

S. CAJUS. - - - pag. 10.
S. CALIMERIUS. - - pag. 21.
S. CASTRITIANUS. - pag. 15.
S. CLICERIUS. - - pag. 115.
CONSTANTIUS. - pag. 199.

D

S. DATIUS. - - - pag. 169.
DEUSDEDIT. - - pag. 221.

E

S. EUSEBIUS. - - pag. 122.
S. EUSTORGIUS I. - pag. 52.
S. EUSTORGIUS II. - pag. 153.

F

FORTIS. - - - pag. 228.

G

S. GERUNTIUS. - pag. 126.

H

S. HONORATUS. - pag. 186.

I

S. JOANNES I. - - - pag. 229.

L

LAURENTIUS I. pag. 137.
LAURENTIUS II. - pag 192.
S. LAZARUS. - - - pag. 117.

S. MA-

INDEX ALPHABETICUS.

M

S. MAGNUS. - - pag. 164.
S. MANSUETUS. - - pag. 239.
S. MAROLUS. - - - pag. 109.
S. MARTINIANUS. - pag. 111.
S. MATERNUS. - - pag. 38.
S. MAURICILLUS. - pag. 235.
S. MIROCLES. - - - pag. 48.
S. MONAS. - - - - pag. 29.

N

S. NATALIS. - - pag. 250.

P

S. PROTASIUS. - - pag. 58.

S

S. SENATOR. - - pag. 132.
S. SIMPLICIANUS. -- pag. 94.
STABILIS. - - - - pag. 256.

T

THEODORUS I. pag. 135.
THEODORUS II. - pag. 246.

V

S. VENERIUS. - - pag. 105.
VITALIS. - - - - pag. 176.

ME-

Digitized by Google

MEDIOLANENSIUM ANTISTITUM
HISTORIA
CRITICO-CHRONOLOGICA.

DE SANCTO BARNABA.

FIrmatâ ſatis ſuperque (ut nobis videtur) in Vindiciis de Adventu Mediolanum S. Barnabæ jamdiu in lucem editis Traditione antiquiſſima inſtitutæ ab eodem Apoſtolo Eccleſiæ Mediolanenſis, ſupereſt ſtatuenda Epocha tantæ gloriæ, qua nos donavit egregius ille Præco Evangelii, ut inde chronologicam ſuccedentium Epiſcoporum Mediolanenſium Hiſtoriam contexere valeamus. Verùm cùm omnia obſita ſint denſa caligine, nec Scriptis de Sancto Barnaba per ea tempora confectis, utpote in apocryphorum claſſem paſſim rejectis, minimè adhibenda ſit fides, nonniſi conjectando veriſimilius aliquid nobis figendum relinquitur. Varias in hac re opiniones protulere Patriæ noſtræ Scriptores: Alii enim Sancti Apoſtoli Barnabæ adventum in hanc Metropolim, ſecundo Claudii Imperatoris anno adſcribunt; alii verò quarto, aut quinto. Carolus a Baſilica-Petri (*a*) pro ea, qua ſemper ſe geſſit,

A pru-

(a) ***In Hiſtor. Prov. Mediol., & Vitis XI. prior. Epiſcopor. Mediol., ubi agit de S. Barnaba.***

prudentia in ſcribenbo, ubi de hoc Sanĉto Apoſtolo agit, ita loquitur: *Quo anno fuerit adventus Barnabæ, equidem dicere non poſſum; ſed tamen ſub Claudio fuiſſe, facile noſtris affirmantibus conceſſerim*: Baronius verò in Annalibus, nonum Claudii annum deſignat.

Nos, qui mortem Chriſti Domini affigimus Anno XXIX. Æræ vulgaris, juxta Chronologiam, quam recentiores Scriptores Henſchennius (1), Papebrochius (2), Emmanuel a Scheleſtrate (3), Cardinalis Noriſius (4), & Pagius (5) amplexi fuere, altiùs rem exordimur. Certum eſt ex Apoſtolicis Actis, directos fuiſſe a Domino Noſtro Jeſu Chriſto Apoſtolos ſuos primò *ad Oves Iſraël, quæ perierant* (6); adeòque janua ad prædicandum Gentibus Evangelium minimè reſerata eſt, niſi Anno XL., quo Sanctus Petrus Romam ſe contulit, duodecim nempe annis poſt Chriſti obitum, quibus præceptum fuiſſe Apoſtolis a Domino, ne diſcederent ab Jeroſolymæ confiniis, tradit Apollonius Martyr, iis temporibus proximus. His poſitis, quamvis a tempore in Almam Urbem delati Principis Apoſtolorum pateret aditus ad haſce noſtras regiones, nihilominus adventum Sancti Barnabæ Mediolanum ſtatuere non poſſumus, niſi Anno LII.: Siquidem ex iiſdem Actis Apoſtolorum colligimus, individuum comitem illum fuiſſe Sancto Paulo in ſuis itineribus; donec ob cauſam ibidem aſſignatam Cap. XV., ſeſe invicem disjunxere Anno Chriſti LI., Paulo in Aſiam proficiſcente, Sancto verò Barnaba Cyprum adnavigante. Ex hac autem

(1) *In Act. SS. ad diem XXV. Martii.*
(2) *In Act. SS. ad diem XXIX. Junii.*
(3) *In Antiquitatib. illuſtrat.*
(4) *In Cænotaphiis Piſanis.*
(5) *In Critica Baronii.*
(6) *Matth. X. v. 6.*

autem Inſula in Italiam facilè trajicere potuit, & Mediolanum proficiſci Anno ſequente.

Etiam de tempore, quo moram duxit in hac Metropoli Sanctus Barnabas, ſecura non ſuppetunt monumenta. Communiùs tradidere Scriptores noſtri, degiſſe hunc Sanctum Apoſtolum apud nos annis VII.; ſed cùm hic numerus annorum deſumptus ſit ex falſo Dorotheo, non facilè admittitur ab Eruditis; Præterquam quod repugnaret Epochæ Anatalonis, & ſubſequentium Epiſcoporum, ùt progrediendo videbimus. Pauciori itaque tempore Mediolani conſtitiſſe Sanctum Barnabam nos opinamur, cùm more Apoſtolico, inſtitutâ iſtâ Eccleſiâ, eique Epiſcopo relicto, credibile ſit, illum aliò excurriſſe ad diſſeminandum Evangelium ceteris Urbibus ac Provinciis, in fœcundo præſertim Italiæ ſolo, & flexili incolarum indole. Verùm, tacente Scripturâ reliquum itinerum, quæ ſuſcepit Apoſtolus Barnabas, poſtquam ſejunctus eſt a Sancto Paulo, ac Cyprum adiit, nec tutum aliquod lumen ſuppeditantibus antiquis Hiſtoriis, nihil tamquam certum fundamenti loco hìc ſtatuere volumus. Imo miramur, Ughellum in Catalogo Mediolanenſium Epiſcoporum intrepidè affixiſſe Sancti Barnabæ adventum in Inſubriam Anno Chriſti XL., ejuſque Sedem extendiſſe uſque ad Annum LIII., quo conſecratum in hujus Eccleſiæ Antiſtitem aſſerit Sanctum Anatalonem, cùm tamen nullo id teſtimonio confirmet.

SANCTUS ANATALON.

PRimum, qui Epiſcopali auctoritate in Mediolanenſi Eccleſia reſederit, fuiſſe Sanctum Anatalonem, unanimi conſenſu Sciptores noſtri, atque Exteri tradidere; quòd enim Sanctus Barnabas ante illum adſcribi debeat noſtris Catalogis Epiſcopi titulo, ſi rem æqua lance expendere volumus, evinci minimè poteſt; ex Apoſtolico namque Inſtituto, qui miſſi fuerant ad prima Fidei fundamenta jacienda, ſe minimè ùt Epiſcopos Eccleſiarum gerebant, ſed conſecrato in Antiſtitem Sacerdote alio, ad inferendum in reliquas regiones Evangelii lumen progrediebantur, ſolusque Apoſtolorum Princeps Petrus Sedem fixit Antiochiæ primò, dein Romæ, utpote Caput Orientalium atque Occidentalium Eccleſiarum, a Chriſto Domino conſtitutum. Non aliâ igitur ratione in Catalogis Mediolanenſium Epiſcoporum legitur primò adnotatus hujus Urbis Antiſtes, Sanctus Apoſtolus Barnabas, niſi ut ad poſteros tranſmitteretur memoria, ab ipſo fuiſſe inſtitutam Eccleſiam iſtam, quæ ſubinde inter omnes Occidentis, poſt Romanam, in tantam gloriam excrevit.

Antequam quidquam de Sancto Anatalone loquamur, præmittendum eſt, recentiſſimum Scriptorem Hiſtoriæ Brixianæ Joannem Mariam Biemmi, accuratum ſanè atque eruditum, in dubium revocaſſe, an Sanctus Anatalon verè fuerit Epiſcopus Brixiæ, ac etiam Mediolani; cenſet enim, unum eum fuiſſe ex iis Epiſcopis, qui vagi, & nulli Eccleſiæ affixi, ab Apoſtolis

ad

Digitized by Google

ad Nationes mittebantur, ut cæcæ Gentilitatis tenebras a populis diſpellerent, lucemque illis Evangelii, prædicationibus impertirentur. De hiſce tamen Apoſtolicis Miſſionibus in Langobardiæ Urbes directis nullum teſtimonium affert; Traditio autem noſtra antiquiſſima refert, unà cum Sancto Barnaba Mediolanum veniſſe Sanctum Anatalonem ejuſdem Diſcipulum; & iſta priùs convellenda erat, antequam opinionem ſuam palam exponeret. Fundamentum, cui innititur, eſt fallax perſuaſio, quòd fama de Sancto Anatalone Epiſcopo & Mediolani & Brixiæ emerſerit ſolummodo tempore Sancti Caroli Borromei; quamvis ſubinde aſſerat, traditam fuiſſe a Jacobo Malvecio (a), Scriptore multò anteriore ad Sanctum Antiſtitem Borromeum, tamquam ſecuram in Brixienſibus Chronicis. In hac controverſia, quam movet eruditus Biemmius, noſtrî non eſt, illius Urbis Patronum agere; præſertim cùm non longè abludat ab ejuſdem ſententia P. Franciſcus Antonius Zacharias Societatis Jeſu, Vir eximii ingenii profundæque eruditionis, in Serie Epiſcoporum Cremonenſium, ab ipſo egregiè illuſtrata. Tantùm dolemus, dejectum à primo Auctore de Sede ſua fuiſſe Sanctum Anatalonem, quem concors omnium Scriptorum calamus, & vetuſtiſſima primorum noſtræ Eccleſiæ ſex Antiſtitum Hiſtoria, ſexto circiter Seculo contexta, antiquiſſimo Catalogo Bibliothecæ Ambroſianæ adnexa, atque edita Tom. I. Part. II. *Scriptorum Italiæ*, inter Mediolanenſes Epiſcopos primum enunciant. De Sancto autem Barnaba, quem ambo iſti Scriptores repellunt a noſtra Eccleſia, tamquam minimè ab ipſo inſtituta, nolumus hìc inani labore verba prodigere, cùm hanc nobis glo-

riam

(a) *Inter Rer. Italic. Script. Tom. XIV. Diſtinct. III. Cap III.*

riam abundè aſſeruerimus, difficultates omnes in adverſum allatas diluentes, in *Vindiciis de Adventu Mediolanum Sancti Barnabæ Apoſtoli, &c.* in lucem typis emiſſis Anno MDCCXLVIII.

Sed, ut primi noſtri Antiſtitis Anatalonis Hiſtoriam retexamus, fuit ille natione Græcus, & Sancti Barnabæ Diſcipulus. Quantâ autem ſanctimoniæ & virtutum laude floruerit, facem aliquam nobis præfert Auctor Hiſtoriæ ſex priorum Mediolanenſium Epiſcoporum ſuperiùs relatus; ait enim, ipſum *caritatis igne fervidum, virtutum nitore ſplendidum, jugis parſimoniæ ac vigiliarum inſtantiâ, Deique verbo indeſinenter intentum, id effeciſſe, ut commiſſum ſibi Gregem & aſſiduis orationibus ad alta ſubveheret, & admonitionibus ſaluberrimis, ex profano ſimulacrorum ritu eruere non ceſſaret*. Cùm autem copioſam eſſe meſſem videret, paucos verò Operarios, præter Cajum condiſcipulum, & Magiſtri Barnabæ cohæredem, quem ſemper ſuo lateri in opus verbi promulgandi comitem adſcivit, & Presbyterum conſecravit, aliquot etiam *ex iis, qui crediderant, Fidei Chriſtianæ decore ornatos, & omni morum honeſtate probatos, inſtituit Diaconos*. Moram ipſe trahebat in ſuburbano Civitatis Loco, ob Paganorum rabiem ac fœditatem evitandam, ibique adminiſtrando Sacri Baptiſmatis Sacramento, & Miſſarum, orationumque ſolemnia cum his, qui Fide juncti erant, ſub dio celebrabat. Dum autem Paſtor iſte Sanctiſſimus ad amplificandum Crucifixi Domini regnum ferventiſſimè inſiſteret, crudeliſſima Neronis perſecutio contra Chriſtianos acerbiùs incruduit, adeo ut qui ſacro lavacro intincti fuerant, latebras & cavernas quærere debuerint, ubi excubias ſuas agerent in Divinis rebus, & furorem ſævientium Præfectorum ſaltem ad tempus

vita-

vitarent. In iſta debacchantium Infidelium ferali barbarie, Scriptores aliqui tradidere, Sanctum Anatalonem fuiſſe pro Chriſti Fide martyrio coronatum. Carolus a Baſilica-Petri in ejuſdem Vita illos innuit, ſed calculum ſuum minimè adjicit; & rectè, cùm Auctor antiquiſſimus prædictæ Hiſtoriæ, qui funus Sancti hujus Paſtoris refert, de relicta ſub Carnificum ferro vita, ne verbum quidem protulerit.

Mediolanenſem Eccleſiam ſimul cum Brixienſi rexit uſque ad obitum, qui contigit VIII. Calendas Octobris; ibique ſepulcro datus traditur in Sancti Floriani Monte. Sacrum ejus Corpus a priori tumulo translatum eſt ad Eccleſiam Majorem Anno MDLXXII., nuncque in eadem colitur, piâ Brixienſium veneratione. Ambroſiana Eccleſia, quæ Sanctum hunc Epiſcopum ſuum Officio tantùm *Pontificis & Confeſſoris* proſequitur, minimè recolit ſolemnem ejus memoriam die, quo obiit, ſed ſubſequenti; translatus enim eſt ejuſdem cultus ob Sanctæ Theclæ ſacrum eum diem, cujus nomini dicata erat Eccleſia Cathedralis Æſtiva. Innuere tantùm opus eſt, lubentiſſimè a nobis omitti Epigramma, quod Sancto huic Epiſcopo contexuiſſe Sanctum Miroclem, inter illius Succeſſores ſeptimum, tradunt Ughellus, Boſca, aliique paſſim Mediolanenſes Scriptores, tamquam jubente ipſo deſcriptum ſub picta Imagine Sancti Anatalonis; illud namque, veluti commentum recentiorum temporum, ad fabularum claſſem rejiciunt Viri omnes noſtræ ætatis Eruditi.

Tempus, quo Eccleſiæ Mediolanenſi præfuit Sanctus Antiſtes Anatalon, ſi conſulamus antiquiſſimum Catalogum Bibliothecæ Ambroſianæ, editum & illuſtratum a Daniele Papebrochio

chio

chio Societatis Jeſu, ante Tomum VII. Maji, in Actis Sanctorum, annos treſdecim abſumpſit. Auctorem hujus Catalogi ſexto Seculo vixiſſe, idem eruditus Scriptor aſſeruit. Multò recentiorem ætate illum fecit Clariſs. Ludovicus Antonius Muratorius Tom. I. Part. II. *Scriptor. Italiæ*, in Præfatione ad Opuſculum *de Situ Civitatis Mediolani*; difficultates tamen, quas objicit celeberrimus iſte Auctor, ut opinionem Papebrochii convellat, ad lancem veritatis libratæ non ita nos commovent, ut recedere a prolato illius judicio debeamus; a poſtremis namque adnotatis in Catalogo Epiſcopis Mediolanenſibus, in quorum Chronologia palmares occurrunt errores, argumentum capit, minimè adſcribendam eſſe Anonymo Catalogi Scriptori antiquitatem illam, quam venditat Papebrochius. Non hac viâ inceſſit inſignis hic ejuſdem Commentator, ſed ad pronunciandam ſententiam ſuam de tam remota a noſtris temporibus illius ætate, ſe adductum ait ex diverſis formulis antiquioribus, quibus is utitur in exprimendo Sepulcri loco, in quo uniuſcujuſque Antiſtitis Corpus tumulatum fuit; inviolatâ enim lege ſemper hanc vocem adhibet *Depoſitus eſt*, uſque ad Seculum ſextum: Hinc verò occaſionem capit judicandi, fuiſſe diverſum Catalogi Auctorem, qui ab eo Seculo proſequens Mediolanenſium Præſulum Seriem, hac ſemper recentiori formulâ utitur *ſepultus eſt*. Nihilominus hunc numerum annorum Sancto Anataloni tributum cœcis oculis amplecti minimè valemus; ſiquidem cùm ſuperiùs comprobaverimus, Epocham adventûs Mediolanum Sancti Barnabæ figi non poſſe, niſi Anno Chriſti LII., Hiſtoria verò primorum ſex Mediolanenſium Antiſtitum, adnexa eidem Catalogo, fortè ab

eo-

eodem Auctore contexta, & eodem caractere in pergamena conſcripta, clariùs indicet initium & finem Sedis Anatalonis, ideſt ab Anno VII. Claudii, nempe Æræ vulgaris XLIX., uſque ad VIII. Neronis, ſcilicet ejuſdem Æræ LXI.; intelligi nequit, quomodo, antequam Sanctus Barnabas Crucis vexillum in hac Metropoli defigeret, Epiſcopus federit in Mediolanenſi Eccleſia Sanctus Anatalon. Hunc ſcopulum animadvertens Papebrochius, in Commentariis ſuis ad memoratum Catalogum hanc clauſulam apponit: *Quis autem ſpondere in re tam antiqua, ſub fide teſtis tantò poſterioris auſerit?* quo loquendi modo videtur erroris arguere Auctorem Catalogi, in primis annis computandis. Itaque decurtandam cenſemus notam Chronologicam annorum XIII., & revocandam ad annos VIII., commutatâ litterâ X, in V. (qui error facilè irrepere potuit in calamum amanuenſis) videlicet ab Anno LIII. ad LXI., quo Sanctus Anatalon traditur obiiſſe. Sed hæc nonniſi ad proferendum quod nobis veriſimilius videtur, ſcripta fuiſſe candidè profitemur; cùm in nocte concubia ambulemus, nullâ hiſtoricâ face rectam viam indicante.

SANCTUS CAJUS.

ROmana in Urbe genitus Sanctus Cajus (quidquid aſſerant Scriptores aliqui, a confictis Flavii Dexteri Chronicis decepti, natione fuiſſe Hiſpanum) Sancti Barnabæ Apoſtoli Diſcipulus fuit; ejuſdemque per Italiam itinerum Socius, Mediolanum unà cum illo adiit, multumque profuit in iis Chriſtianæ Fidei primordiis, ut Evangelii lumen per hanc Metropolim propagaretur. Poſt obitum Sancti Anatalonis, regendi hujus Gregis curam ſuſcepit, Clero, quem inſtituerat Prædeceſſor, & parvo eorum Chriſtifidelium cœtu, qui Evangelio parebant, adnitentibus. Cœpit itaque Deceſſoris ſui veſtigia ſanctiſſimè relegere, numquam deſiſtens a Divini verbi prædicatione, exhortationibus ac precibus ad Deum effuſis, ut Idôlis infervientium corda flecteret ad Fidei obedientiam præſtandam, excutiendumque ignominioſum tyrannidis jugum, quo Dæmon illos premebat, ut glorioſam filiorum Dei libertatem conſequerentur. Solatus eſt Deus ejuſdem vota ac ſolicitas preces; ſiquidem plures ex Civibus, ſanguine ac opibus claros, ſacro baptiſmate ablutos Chriſti vexillo deſcripſit. Inter eos recenſentur Vitalis & Valeria nobiliſſimo ex genere orti, eorumque filii Protaſius & Gervaſius. Illorum exemplum ſecutus eſt etiam Philippus (cui Oldanæ Familiæ cognomen tradidere noſtrates Hiſtorici) unà cum filiis Portio & Fauſta, Vir ob pia officia naſcenti huic Eccleſiæ præſtita celeberrimi apud nos nominis. Ejuſdem Domum, Urbis mœnibus adjacentem

San-

Sanctus Cajus in Eccleſiam commutavit, quæ primò dicata fuit SS. Martyribus Nabori & Felici, nunc ſub Seraphici Patris Sancti Franciſci nomine in magnificum Templum evaſit: Hortum verò eidem Domui adnexum, in Cœmeterium Chriſtifidelium convertit, appellatum poſtmodum *Polyandrium Martyrum*. Advenientibus autem Paſchalibus ſolemniis, ut eos, quos Evangelio acquiſiverat, ſacris undis ablueret, ad vicinum Fontem perrexit, peractoque jejuniorum curſu, ſolemni cæremoniâ ipſum benedixit, cunctoſque Cathecumenos, invocato Trinitatis nomine, Baptiſmatis lavacro intinxit, ac manus impoſitione ſanctificavit. Divinis ſubinde libatis Myſteriis, ac prece iterum fuſâ, ſupremo Paſtori novum hunc Gregem commendavit. Peracta hæc ſunt in Eccleſia ab ipſo benedicta in Domo Philippi, cùm in Neroniana ſæviſſima perſecutione minime locus daretur palam exercendi Apoſtolici officii miniſteria.

Præclara hæc initia felici exitu coronavit Deus; ſiquidem Vitalis, quem Auctor Hiſtoriæ vocat *Civium Mediolanenſium maximum*, Ravennam profectus martyrii palmam recepit, & ejuſdem religioſiſſima uxor Valeria in reditu Mediolanum graviſſimè cæſa, in hac Metropoli martyrium conſummavit. Protaſius autem & Gervaſius comprehenſi juſſu Præfecti Urbis, equuleis & flagellis acerbiſſimè torti ſub ferro carnificum glorioſè cervices reliquere; eos verò, Corporibus deinde inventis, in Defenſores hujus Eccleſiæ noſtræ ſibi adſcivit Sanctus Ambroſius. In hiſce deſævientium Tyrannorum turbinibus conſtitutus Cajus ſuſcepti Pontificatus Sedem firmiter tenuit, & nunc Idololatras divinâ exardens caritate avocare ab inani cultu contendens, nunc inviſens latibula, ubi ſe condiderant infirmæ adhuc Eccleſiæ tenel-

la membra, nunc ſuaviſſimo ſacræ lectionis atque in longum tempus productæ orationis pabulo Oves ſuas paſcens, nihilì faciens vitæ periculum, cujus diſpendium pro Chriſti Fide enixè potiùs optabat, quidquid Paſtoralis ſui muneris eſſet, diligentiſſimè implebat.

Captus amore ac deſiderio inviſendi Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum, qui Romæ tunc degebant, iter ad illam Urbem iniit Cajus, quinto Epiſcopatus ſui anno; ſed cùm non longè abeſſet, Divino lumine interiùs effulgente intellexit, crudeliſſimi Neronis juſſu, martyrii coronâ fuiſſe jam redimitos. (Contigit illuſtris iſte Natalis Apoſtolorum Anno Chriſti LXV.) Romam tamen progreſſus eſt, ut cum Sanctis Lino, Clemente, aliiſque Fidei primis Athletis, & Apoſtolorum Diſcipulis pia colloquia miſceret, atque ab ipſis conſtantiam in Evangelio propugnando, ac in laboribus ſui muneris patientiam ediſceret; quemadmodùm Hiſtoria noſtra enarrat.

Mediolanum reverſus Divino plenus ſpiritu ſolicitam Gregis ſui curam exercere proſecutus eſt, alios Idôlis ſervientes ad veri Dei cultum capeſſendum Invitans, alios (ut jam egerat) ſub Crucis vexillo militantes ad pugnam pro Fide Catholica impigrè ſubeundam confirmans. Sanè impius Nero per omnes Urbes ſæviſſimæ perſecutionis Edicta promulgaverat, Mediolani verò Anolino Præfecto Cæſaris mandata crudeliſſimè exequente, in ea opinione fuit Ughellus, etiam Sanctum Epiſcopum Cajum exquiſitis tormentis tentatum, inter Martyres Chriſti glorioſâ cæde fuiſſe connumeratum. Ambroſiana nihilominus Eccleſia illius memoriam *Pontificis & Confeſſoris* tantùm titulo quotannis veneratur. Auctor ſanè noſter refert, Sanctum Cajum ab Æditiuis Idolorum

lorum fuiſſe fuſtibus maceratum, eumque Paganos perſæpe nefariis manibus ab Urbis mœnibus violenter abſtraxiſſe; ſed de martyrio prorſus ſilet.

Conſummato itaque Epiſcopalis ſui Officii curſu, poſt actam ſolicitam curam non tam Gregis Mediolanenſis, ſed etiam Urbium adjacentium, quievit in oſculo Domini, ſepultuſque eſt in Horto Philippi.

Diem mortis Sanctiſſimi hujus Præſulis multò diſcordes retulere Hiſtorici noſtri; neque mendo caret etiam Ughellus, qui Anno LXXXIX. eum martyrii palmâ inſignem in pace obdormiviſſe teſtatur die XXVII. Septembris. Nos, qui Bibliothecæ Ambroſianæ Catalogum præ oculis habemus ac ſequimur, conſtanter affirmamus, Papebrochio etiam approbante, expletum fuiſſe a Sancto Cajo vitæ curriculum die XXIV. Septembris Anni LXXXV. Neque de hoc ambigi poteſt, cùm vetuſta Hiſtoria ſæpius memorata primorum Antiſtitum Mediolanenſium claré aſſerat, Sanctum Cajum deceſſiſſe *quinto Domitiani anno*, qui minimè incœptus eſt, niſi menſe Septembri Anni LXXXV.

Tempus etiam regiminis hujus Epiſcopi in dubium vocatur; quidam enim duos ſupra viginti annos eidem attribuunt; alii verò XXVII., inter quos Carolus a Baſilica-Petri, qui per errorem ab Euſebio hauſtum cenſuit, quintum Domitiani annum nonniſi Anno Chriſti LXXXVIII. decurriſſe. Catalogus noſter XXIV. annos Sedis huic Epiſcopo aſſignat; ab Anno nempe LXI. ad annum LXXXV., cui nos ſubſcribimus contra Galeſinium, treſdecim tantùm annos eidem aſſignantem.

Jacuere ſacra hujus Præſulis oſſa ubi primùm depoſita fuerant, uſque ad Annum MDLXXI., quo Sanctus Carolus Borro-

romeus ſolemni ſupplicatione eadem tranſtulit die XIV. Septembris, & in ea ipſa Baſilica, quæ jam decorabatur nomine Sancti Franciſci, depoſuit. Feſtum tamen diem Sancti Caji Ambroſiana Eccleſia celebrat V. Calendas Octobris, cùm dies ejuſdem Natalis, & ſequens impediantur a Sanctæ Theclæ, & Sancti Anatalonis annuâ memoriâ ac cultu.

SAN-

SANCTUS CASTRITIANUS.

SErò admodum in Sede Mediolanenſi datus eſt Succeſſor Sanctus Caſtritianus. Hujus tam diuturnæ vacationis annorum XII. in cauſa fuit ſæviſſima rabies, qua poſt ſublatum e vivis Neronem Domitianus exarſit, omneſque conatus intendit, ut Chriſtianum nomen e terris eraderetur. In hoc tam ferali diſcrimine, Grex Mediolanenſis vigilantiſſimo ſuo Paſtore orbatus diſpergi cœpit, ac ſeſe in latebris, ubicumque tum intus, tum foris occultavit, ac longiùs etiam ſe proripuit, ne Sacra Divina Myſteria ab impiis conculcarentur, ipſique Chriſtifideles præda infelix fierent inhiantium eorum ſanguini Tyrannorum. Perduravit hæc immanis Perſecutio uſque ad tempora Nervæ ad Imperium evecti, qui cùm mitioris indolis eſſet, barbara Domitiani Edicta abolevit, libertate etiam datâ iis, qui in exilium acti fuerant, Urbes proprias adeundi. Exiluit Clerus ac populus Mediolanenſis, Deoque gratias agentes e latibulis prodiere, qui profugi hinc inde diſperſi erant, atque in hanc Metropolim confluxerunt. Primum igitur quod aggreſſi ſunt, id fuit, ſibi Rectorem deligere, a quo ſalutis paſcua ſuſciperent. Inter Eccleſiaſticos autem Viros majori virtutum ſplendore fulgebat Caſtritianus, quem Sanctus Cajus juvenem ſagacis animi, ac doctrinæ ſacræ intentum perſpiciens, in Clericorum cœtum adſciverat, eumque in omni morum honeſtate ac inconvulſæ Fidei conſtantia præclarum, gradatim ad Sacerdotalis officii culmen evexerat. Hunc ergo, veluti in cer-

taminibus pro tutando Evangelio exercitatum, in optimum Chriſtiani prælii Ducem uno pariter conſenſu Clerus omniſque Chriſticolarum cœtus ſibi enixis votis poſcebat. Reſtitit ille quamplurimùm, profundâ animi demiſſione illius graviſſimi oneris fugam ſuadente. Eludere nihilominus haudquaquam valuit fervida deſideria collecti Gregis, qui oculis in ipſum ſemper intentis eò devênit, ut, cùm precibus Caſtritianum flectere minimè poſſet, vim adhibuerit. Itaque volens nolenſque capitur, trahitur, Deo diſponente Mediolanenſis Eccleſiæ Præſul effectus Anno XCVII.

Statim ac clavo regendo manum admovit, in pleno Fidelium conventu habitam fuiſſe a Caſtritiano Orationem omni Divinæ caritatis in ipſo ferventis gratiâ redundantem, refert vetuſtus Auctor ejuſdem Vitæ. Cùm verò interfecto nequiſſimo Cæſare Domitiano ſuavius imperium gereret Nerva, Divini cultûs amplificandi curam ſuſcepit Caſtritianus; proinde Domum Philippi jam ſuperiùs laudati, quam Sanctus Cajus orationis Sedem fecerat, ad immolandam Deo hoſtiam, & conficienda pro Fidelibus Sacramenta conſecravit. Neque ſatis habens, aperuiſſe Ovibus ſuis ſacrum chriſtianæ Religionis aſylum, duas alias Ædes Portii & Fanſtæ, Philippi filiorum, in Eccleſias convertit. Poſtmodum, quæ Portii erat, in inſignem Baſilicam tranſiit, quam Sanctus Ambroſius incoluit, cùm Arianæ perfidiæ protervia illam invadere conaretur, nunc *Sancti Victoris* appellata; Fauſtæ autem Eccleſia uſque ad ætatem Sancti Caroli ſtetit, prope Templum Sancti Franciſci.

Breve nimis tempus datum eſt clementiori in Catholicos Cæſari Nervæ, ut regnaret; quocirca iterum timor invaſerat pectora Sectarorum Chriſtianæ Legis, ne Trajanus Succeſſor, in

filium

filium a Nerva ſene adoptatus, equuleos, cruces, atque ignes denuo contra eoſdem expediret. Contigit tamen, ut fremente jam ipſo ac minitante carceres, & mortem iis, qui cultum Idôlis præſtare reſpuebant, a crudeli hoc propoſito removeretur ab Epiſtola Plinii Aſiæ Proconſulis, qui de placida Chriſtifidelium converſatione, vitâque omnium ſcelerum experte eumdem certiorem faciebat. Quamobrem illâ acceptâ mitigatus Imperator juſſit, ne iis vis inferretur, ac tantummodo, ſi accuſarentur, in illorum delicta Judices ſententiam proferrent. Opportuna fuit Caſtritiano Lex iſta, ſecuriùs namque fervidi animi ſui deſideria explere potuit in abſtrahendis a cæca ſuperſtitione Idololatris, in augenda caritate erga Deum ſuis in Ovibus, iiſque frequentium concionum robore armandis ad omnes Gentilium inſultationes impigrè tolerandas. Et ſanè non deerat occaſio, garrientibus undique, & minitantibus Infidelibus faces etiam ſubdere novis Chriſtianorum Eccleſiis; iis præſertim, quibus profanarum Ædium cura incumbebat, ne cultus Deorum imminueretur. Adjuvit Paſtoralem Caſtritiani ſolicitudinem Deus, eidem ſanitatum gratiam impertiens; advecti namque ad Sanctum hunc Præſulem non tantùm ex Urbis mœnibus, verùm etiam ex Suburbanis, & Subrienſibus viculis Infirmi quique, reſtitutæ ſoſpitatis donum protinus recipiebant. Addita ſunt quoque miracula, quibus orante Caſtritiano, cœcis viſus, ſurdis auditus, mutis loquela reddebatur; ſpiritibus quoque immundis de obſeſſis corporibus exire coactis, atque ad infernales ſuas domos propulſis; ſtupente Gentilium turbâ, quæ ignara myſteriorum Dei, Apollinem deſcendiſſe in terras impiè blaſphemabat. Narrat hæc omnia antiquus Auctor Vitæ Caſtritiani, quem jam ſuperiùs in-

nuimus; quique proſequitur referre, Beatiſſimum hunc Sacerdotem mirificis effulſiſſe virtutibus, quarum exemplo commoti plurimi, verum lumen adepti ſunt, & abdicatis ſuperſtitionibus patriis, ſeſe Chriſti vexillo adjunxere, ſuaviſſimo odore ſummæ ſanctimoniæ, caritatis frugalitatiſque a Caſtritiano diffuſo unumquemque ad optimam Chriſtianæ vitæ frugem adtrahente.

Præſentiens Præſul iſte proximum obitûs ſui diem, Presbyteros & Diaconos, quos de omni credentium multitudine ſelectos conſecraverat in miniſterium Eccleſiarum quas erexerat, convocavit, atque enixè cohortatus eſt, ut ſtabiles firmique in Fide perſtarent, præſagiens etiam ſæviores ultra quàm credi poterat, adversùs Dei Eccleſiam Perſecutiones, non modico poſt tempore excitandas; & futurum etiam, ut furibundi Tyrannorum Miniſtri non ſolùm vivos, ſed quoque mortuos inſectarentur, tumulos ſubruentes, & arida buſta flammis conſumenda tradentes, ne ulla Chriſtifidelium veſtigia in terris relinquerentur. Obiit itaque Sanctus Caſtritianus Anno CXXXVIII., Calendis Decembris, quo die Eccleſia Ambroſiana ejuſdem memoriam ſemper celebravit; poſtquam rexiſſet Mediolanenſem Eccleſiam, ut tradit Auctor memoratus, *Annis XLI.*; *ſepultus a Diſcipulis in Cœmeterio, quod dicitur* Romano, *eâ ſcilicet viâ, qua Romam tenditur, haud longe ab Arcu triumphali*. De Arcu iſto ſermonem habet Acerbus Morena, jam editus inter *Scriptores Italiæ*, in narratione excidii ab Ænobarbo Imperatore huic noſtræ Metropoli illati.

Hunc Sepulcri locum cenſuere Scriptores noſtri, fuiſſe *Cœmeterium Peregrinorum*, eâ in areâ patens, ubi nunc ſurgit Eccleſia appellata *Sancti Joannis ad Concham*. Verùm, cùm a vetuſto

tuſto noſtro Auctore *non longè ab Arcu triumphali* ſteriſſe dicatur hoc Cœmeterium, diverſum procul dubio fuiſſe videtur ab altero Cœmeterio, dicto *Peregrinorum*; Arcus enim triumphalis inchoabat ab eo campo, quem nunc occupat Cœnobium Monialium Sancti Lazari, atque in longum protendebatur, uſque ad Noſocomium Leproſorum; Cœmeterium verò Romanum in eo jacebat terræ ſpatio, quod excurrit a Baſilica Nazariana, ad Sancti Calimerii Templum. Iſta prorſus non congruunt Cœmeterio Peregrinorum, quod recentiori poſtmodum tempore Advenis tumulandis apertum fuiſſe dici debet, cùm nota ſit Eruditis omnibus Lex Romanorum *de non ſepeliendis Corporibus intra Urbem*, renovata etiam ab Adriano. Iſtud autem Cœmeterium intra Urbis tunc anguſtioris mœnia extabat, non longè a Romana Porta, ubi nunc colitur Sanctus Victor in parva ſua Eccleſia. Itaque teſtimonio tam antiquo freti aſſerere poſſumus, non primò ſepultum fuiſſe Sancti Caſtritiani Corpus in hoc Peregrinorum Cœmeterio, ſed translatum ab altero jam dicto, ad Sancti Joannis ad Concham Eccleſiam, ſubinde ædificatam, quando primum *locum hominibus diu incognitum Deus tamdem notum fecit*, ſexto videlicet Seculo, quo Auctor ille vivebat.

Ex hucuſque allatis corrigendi ſunt Galeſinius in Tabula Epiſcoporum, Actis Eccleſiæ Mediolanenſis inſerta, & Ughellus; primus enim annos tantùm XII. Sedis Caſtritiano adſcribit; imò pejori errore Eccleſiam ipſam Sancti Joannis ad Concham ab eodem conſtructam tradit; Templa enim palam erigi non cœpêre, niſi tertio Seculo ſub Philippis Imperatoribus, qui aut Chriſtiani erant, aut Chriſtianis faventes: Superiori autem ætate nonniſi in privatis Domibus conſecrabantur Oratoria, quæ

Domus , *Eccleſiæ* , ideſt Congregationes Fidelium appellabantur ; hoc verò nomen *Domus* uſque ad noſtra tempora ſervatum fuit in Cathedralibus Urbium Baſilicis , quæ antonomaſticè *Domus* , vulgò *Duomo* nuncupantur : Id autem ex Scriptoribus Eccleſiaſticis Juſtino , Euſebio , aliiſque conſtat . Ughellus verò Anno CXXXI. defunctum hunc Epiſcopum Caſtritianum ſcribit . Quod tamen nobis admirationem ingerit , eſt , ſub initium Vitæ Sancti Caſtritiani doctum certè Scriptorem iſtum , ſequentem periodum exaraſſe : *Hic primus fuit , qui poſt Domitiani Imperatoris excidium , quod Chriſtianis Templis intulerat , eadem Templa , novaque iterum excitanda curavit* . Etenim Domitiano imperante Chriſtiana Religio vix e cunabulis emergere incipiebat , atque ideo nulla extabant publica Templa . Lapſus eſt in nomine optimus Vir , Domitianum ſcribens pro Diocletiano , a quo verè everſa ſunt Templa Chriſtiana ; ſed ob longam temporis intercapedinem ab uno ad alterum Cæſarem excuſari non poteſt , ut cuilibet vix de cortice Hiſtorias libanti patet .

SANCTUS CALIMERIUS.

DEſtituta Sanctiſſimo Paſtore ac Patre Caſtritiano infans adhuc Eccleſia Mediolanenſis, anxiis precibus a Domino expetebat, ut, moto jam ab Adriano Cæſare in Chriſtianos bello, eum Antiſtitem elargiretur, qui tenello timidoque Gregi cœleſtem ingereret ſpiritum ad fortiter perferendos ignes, equuleos, cruces, ac beſtias pro Fidei Catholicæ integritate propugnanda, cùm jam Perſecutionis turbo & procella Ciſalpinas has terras concutere minaretur. Poſt diutinas igitur effuſas in conſpectu Domini orationes, nemine ex modico eo Cœtu quemquam proponente, Divino procul dubio afflatu permoti omnes, Calimerium ſibi in Epiſcopum conſtituendum acclamavere.

Progenitus fuerat Calimerius ex Græca gente; cùmque fureret Gentilium inſana tyrannis in patriis Locis, Romam adoleſcens profugerat, ibique Teleſphorum Summum Pontificem virtutum omnium ſplendore ornatum nactus, ab eo veluti filius habitus, atque Divinis informatus fuit Myſteriis. Plurimam ibidem addiſcendis ſacris præſertim ſcientiis operam dedir hoſpes Calimerius, tantumque profecit, ut exemplo foret præclaræ virtutis omnibus, qui ſub Teleſphori diſciplina caſtigatiſſimam vitam ducebant. Per decennium in ea Metropoli commoratus eſt, donec increbreſcente ſæviſſimâ Adriani Cæſaris Perſecutione, in qua, poſt patratam plurium illuſtrium Chriſtifidelium ſtragem, Teleſphorus ipſe, utpote eorum Antiſtes præcipuus, a Deorum ina-

inanium Sacrificulis petebatur ad necem, quam etiam paulo inde generosè obivit martyrio coronatus, ſeſe illinc proripere ſtatuit Calimerius. Profugus igitur ac neſcius quò pergeret, Deo iter dirigente, Mediolanum advênit, ubi illum benignè Caſtritianus excepit, ac non multò poſt, probatâ ejuſdem conſtantiâ in omni patientia & Fidei documentis, adoptavit in Clerum Eccleſiæ, quæ a memorata ſuperiùs Philippi conditoris filia, Fauſtæ nomen acceperat. Quanta ibi ſolicitudine in Divinis obſequiis, quantoque mutuæ caritatis affectu in fraternis præſtandis officiis ſe exercuerit, verbis exprimi minimè poſſe Auctor noſter profitetur. Itaque, cùm (ut in exordio narrationis hujus retulimus) Calimerium univerſus Clerus & populus in Epiſcopum depoſceret, ad ipſum acceſſere ſupplices, ut in ſolatium lacrymarum quas hactenus effuderant, onus hoc gratanter ſuſciperet; repugnante autem illo pertinaciter, more inſignium Virorum, qui honores veluti peſtem refugiunt, atque in data repulſa perſeverante, opus fuit, ut catenis revinctus ab Ovibus ſuis in Eccleſiam traheretur, Epiſcopali benedictione ſacrandus, eâque ſuſceptâ vinculis eſt abſolutus Anno CXXXVIII.

Neque fruſtratus eſt Calimerius opinionem ab univerſo illo Chriſtianorum cœtu conceptam de optimè ſudoribus ſuis excolenda Vinea, quam plantaverat Dominus. Siquidem (ut proſequitur Auctor prædictus) ubique præſens erat eripiendis a Diaboli laqueis Idolorum cultoribus, accendendis ad ſanctarum rerum amorem Chriſtifidelibus, inflammandiſque ad alacriter ſuſcipiendam pugnam contra Idololatras, crudeliſſimis cruciatibus ac cædibus conantes, eos abducere a Crucifixi Domini militia & cultu, atque inſolenter adigere ad thura incendenda fictitiis Deorum

rum ſimulacris, iiſque impia ſacrificia immolanda. Demum narrationem ſuam claudit aſſerendo, linguam nullam retexere poſſe, quot per ipſum Baptiſmi lavacro abluti fuerint, quotque ſimul animæ & corporis integram ſalutem receperint. Cùm autem iſta minimè effugere poſſent oculos Paganorum, adeòque in odium eorum, vindictæ deſiderio flagrantium, incidiſſet Calimerius, ait memoratus Scriptor, non jam, ut aliàs Antiſtitem noſtrum in latebris delituiſſe, ſed intrepidè & palam exprobraſſe profanos ritus, atque aliquando ad arguendam Gentilium inſaniam Tribunalia ipſa penetraſſe, paratum dura quævis & aſpera perferre pro Chriſto. Quamobrem ſæpe accidit (quemadmodum ſubinde proſequitur vetuſtus Auctor), ut, cùm in carcerum anguſtias ſeſe inſinuaret, ad Chriſti militum ibidem degentium animos acuendos ad omnium pœnarum tolerantiam, ipſe quoque vinctus cum illis detineretur: Flagellis etiam non rarò acerbiſſimè cæſus eſt, aliiſque cruciatuum generibus duriſſimè tortus. Sed Deo extremum impediente ſupplicium, ne perterrefactas Oves, abſque Duce immatura adhuc mors Calimerii relinqueret, effectum eſt, ut fremens impietas, cùm minarum terrore inflictiſque etiam verberibus ejuſdem Antiſtitis conſtantiam in incœptis frangere nequiviſſet, carpento ſuperimpoſitum ſimul cum aliis Chriſtifidelibus longè relegatis in exilium abigeret.

Contempto nihilominus odio & furore Gentilium, poſt aliquam in exilio moram ductam, ad ſuum Mediolanenſe Ovile reverſus eſt Calimerius; quapropter exacerbatis vehementiùs animis eorum qui Idóla colebant, per Urbis Præfectum Literas ad Commodum Cæſarem tranſmiſerunt, ut conſcium eum facerent, adeſſe Mediolani quemdam nomine Calimerium, maleficorum

om-

omnium principem, Deos per plateas temerariè blaſphemantem, ac totam pene Liguriam ab eorum debito cultu avertentem: *dedecus eſſe Reipublicæ, ſi ab uno diris omnibus devovendo Sene, Deorum magna potentiâ derideatur, atque ab uno jugiter deriſa, turpiter ab omnibus derideatur*. Allatum eſt Imperatoris reſcriptum, quo præcipiebatur, ut *ubicumque inventus fuiſſet, ſine mora puniretur*. Evulgatâ per Urbem hujuſmodi ſententiâ, ſeſe Calimerius recepit in Cœmeterium Romanum; ſed quamvis in reconditis latibulis poſitus Sicariorum rabiem eluſiſſet, cohibere tamen minimè potuit æſtuantem Divina caritate animum linguamque, quin ad proximum Apollinis Fanum excurreret, ut Sacerdotes, qui Idôlo illi ſacrilega adolebant thura, acerrimè objurgaret, omnique conatu ſtuderet, a ſuperſtitioſo eo cultu illos abſtrahere, & ad veri Dei cognitionem amoremque traducere. Attamen illi eumdem apprehenſum multis undique plagis perfodêre; imo memores, plurimos ex Collegis ſuis ad Fidem Chriſti attractos, aquâ ſalutaris fontis, propria Calimerii manu ablutos fuiſſe, ut vindictam agerent de tam turpi probro, (quemadmodum ii blaterabant) Sanctum Præſulem adhuc ſeminecem, ante illorum pedes jacentem, in proximi putei profundum inverſis immerſum pedibus barbarè interemerunt. Refert hæc omnia ſæpius laudatus Auctor ejuſdem Vitæ.

Extractum e puteo a Diſcipulis, ſepultum fuiſſe in Cœmeterio Caji tradunt Papebrochius & Ughellus, ex Ferrario in Catalogo Sanctorum. Cur autem tam longè a loco mortis tranſtulerint Sancti Calimerii Martyris Corpus, qui ejuſdem funus tunc curavere, cùm ſub oculis eſſet Cœmeterium Romanum, in quo illud condi facilè poterat, non alia ratione id peractum fuiſſe

cen-

cenſemus, niſi ob præſagium a Caſtritiano moriente antea prolatum, ſcilicet Deorum cultores etiam ſepulcra Martyrum everſuros, ut cum ſacris oſſibus eorum pariter memoria omnino aboleretur; timeri autem prudentiſſimè id poterat ab efferatis contra Calimerium Sacerdotibus vicinæ Ædis Apollini ſacræ, nunc Sancto Apollinari dicatæ.

Ut verò ad Calimerium revertamur, acceptum Epiſcopale munus ſumma cum laude adminiſtravit *per curriculum annorum circiter quinquaginta trium*, ideſt ab Anno CXXXVIII., uſque ad pridie Calendas Auguſti, Anni CXCI., quo in computo multùm aberravit Ughellus, qui ejuſdem obitum ſtatuit pridie Nonas Auguſti, & annum deſignat CLXXXVI. Ædificata poſtmodum fuit Eccleſia, quæ glorioſum hujus Sancti Epiſcopi & Martyris nomen & Corpus etiam in præſentia retinet; ſed quo tempore, deſignare non poſſumus. Certum eſt, multò antequam regimen Eccleſiæ Mediolanenſis teneret Laurentius I. Epiſcopus, illam fuiſſe extructam, cùm Sanctus Ennodius Ticinenſis Antiſtes in altero ex Epigrammatis ad ejuſdem laudem conſcriptis narret, ipſum Laurentium reſtaurandæ illi Eccleſiæ jam vetuſtæ & fatiſcenti manum admoviſſe; vivebat autem Ennodius ſub initium Seculi ſexti, quo etiam Laurentius. Itaque veriſimiliter credi poteſt, circa finem Seculi quarti, vel initium quinti erectum fuiſſe Templum, Sancto Calimerio dicatum, quod deinde Seculo ſexto incipiente refectum fuerit a Laurentio, qui ſedit ab Anno CDXC., ad Annum DXII., ut ſuo loco dicemus.

Carolus a Baſilica Petri in Vita Sancti Calimerii, teſtem afferens Donatum Boſſium in Chronicis Mediolanenſibus ad Annum CLXXXIV. ſcribit, Corpus Beati hujus Martyris ſub Franciſco

D Sfor-

Sfortia Mediolani Duce inventum fuiſſe *in puteo quodam in Confeſſione*, ſive Sacello ſubterraneo Eccleſiæ ipſi Martyri dicatæ extra Portam Romanam. Hoc teſtimonium Boſſii libenter amplectimur, ſi de inventione hujus ſacri Corporis *in Confeſſione* loquamur; non ita, ſi de loco loci, ideſt *in puteo*, ſermo ſit; hoc enim quàm falsò prolatum fuerit ab hoc Auctore, confundente Martyrii locum cum Sepulcro, Calimerii corpori alibi a ſuis Diſcipulis dato, ex allatis conſtat. Fidem autem omnem excedit, Oſſa Sancti Calimerii, eruta a Cœmeterio Caji, cùm transferrentur ad Eccleſiam illius nomini dicatam, iterum in puteo recondita fuiſſe. Id procul dubio memoriâ dignum eſt, tantam fuiſſe erga ſanctiſſimum hunc Martyrem ſuum Ambroſianæ Eccleſiæ venerationem, ut Thomas Archiepiſcopus in perenne ſui erga ipſum cultûs teſtimonium, VIII. Seculo Aram majorem Ædis Calimerio ſacræ, aureo, ut vocant, pallio donaverit. Cardinalis verò Federicus Borromeus in Concilio Provinciali VII., ſolemnem Corporis Translationem celebravit Anno MDCIX., ac ſub eodem Altari recondidit. Extat hujus rei memoria lapidi inſculpta his verbis;

COR-

CORPUS S. CALIMERI EPISCOPI MEDIOL. ET MARTYRIS
SUB HOC ALTARI QUONDAM RECONDITUM
EX VARIIS LAPIDEIS ÆNEISQUE INSCRIPTIONIBUS
ACCURATE RECOGNITUM
FEDERICUS CARDINALIS MEDIOLANI ARCHIEPISCOPUS
INDE AMOTUM
SOLEMNIQUE PROCESSIONE CIRCUMLATUM
PRÆSENTIBUS EPISCOPIS PROVINCIALIBUS
IN CONCILIO PROVINCIALI SEPTIMO
SUB HOC EODEM ALTARI HONORIFICE COLLOCAVIT
ANNO MDCIX. DIE XXXI. MAJI.

Antequam ſuſceptam de rebus præclariſſimè geſtis ab hoc noſtro Epiſcopo narrationem abſolvamus, recenſendum hìc eſt, quod laudatus proximè Carolus a Baſilica-Petri, in ejuſdem Vita ſcriptum reliquit, nempe *Sanctum Calimerium Chriſti Fidem ad Tranſpadanos propagaſſe, iiſque eo tempore Fidem recipientibus, ad eos confirmandos, eorumque progreſſum adjuvandum, Martianum, comitem Diſcipulumque ſuum, Derthonam legaviſſe*. Porro, ſi vetera monumenta ſcrutemur, multò ante Sancti Calimerii ætatem Derthonenſibus Evangelii lumen affulſerat; Sanctus enim Martianus, qui illis, nondum elapſo Seculo Chriſti primo, datus Epiſcopus fuit, & Baronio ac Bollandiſtis teſtibus obiit Anno CXX., in longo, quo ſedit, temporis ſpatio, eos Divinis omnibus My-

ſteriis imbuerat. Attamen, ne fidem doctiſſimo huic Scriptori omnino denegemus, iſta innuimus, videlicet fieri potuiſſe, ut ferventibus ubique Cæſarum in Chriſtifideles Perſecutionibus, & debacchante in hiſce regionibus Infidelium protervià, primævus Grex ille Chriſtianus hinc inde diſperſus, locum Idololatris dederit, Tranſpadanas oras profanâ eorum ſuperſtitione iterum inficiendi; adeoque opus fuerit noſtro Antiſtiti illuc mittere alterum Martianum diſcipulum ſuum, ad eas ab hac peſtifera fæce expurgandas. Ceterùm, cùm nulla nobis in hac re fax hiſtorica illuceat, de hujuſmodi conjectura judicium Lectori relinquimus. Certè hanc Calimerii legationem prorſus ſiluit Auctor noſter antiquus.

SAN-

SANCTUS MONAS.

CUm nondum ſubſidiſſet ira Gentilium, qua contra Calimerium efferbuerant, ejuſque memoriam paſſim execrarentur, ob relatam ab ipſo, in tot contra Idololatras certaminibus glorioſè actis, palmam invictæ conſtantiæ, abſtinuit quoque Chriſtifidelium Cœtus per annum unum cum dimidio, a novo Antiſtite ſibi deligendo. Pacatis poſtmodum aliquantulum rebus, extinctoque etiam nequiſſimo Cæſare Commodo, in Sacram Portii Ædem convenêre Clerus & Populus, ut Deum deprecarentur, eoque auſpice dignum Calimerii Succeſſorem huic Eccleſiæ præficerent. Aderat inter Eccleſiaſticos Viros, Presbyteros, & Diaconos, Monas. Hunc a teneris uſque unguiculis, nobili ac Conſulari genere ortum, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudiis informaverat Calimerius, præſertim cùm Parentes ipſi eumdem adhuc infantem Altaribus obtuliſſent, ac conſecraſſent. Præclariſſimam indolem ſortitus Monas ſcientiis addiſcendis totum ſe addixit, adeo ut Philoſophica facultate inſtructus, inter æquales ſuos excelleret. Multò autem magis ad Divina penetranda Myſteria animum convertit, præſentem ſe aſſiduè faciens in primævis Eccleſiis, cùm Sacræ pſalmodiæ a Chriſtifidelibus decantarentur, aut peragerentur a Sacerdotibus Immaculati Agni ſacrificia. Incontaminatam interim vitam ducebat, ceteris factus exemplum patientiæ in laboribus, pudicitiæ in moribus, ac religionis in omnibus, quæ ad Divinum cultum ſpectabant. Ornatum itaque hunc Virum tot virtutibus, vitæque

inte-

integritate conſpicuum, cenſuit Præſul Calimerius, promovendum eſſe ad Eccleſiaſticos gradus, eumque Diaconi officio conſecratum, Eccleſiæ Portianæ miniſteriis addixit. Nulla proinde dubitatione angebantur collecti Chriſtifideles, quin in unum Monam electionis ſuffragia conſerrent. Dum verò proſequerentur incœptas preces pſalmoſque, ac Sacra Hoſtia immolaretur, Deus ipſe manifeſto ſigno comprobavit, quàm placitus eidem foret Monæ in Mediolanenſem Epiſcopum delectus; ſiquidem *aureo quodam nitore circumfuſum*, & veluti nubis umbraculo tectum undique *ſplendore vallari* univerſus ille Chriſtifidelium Cœtus Monam aſpexit. Tum verò ſtupore correpti quotquot aderant, invicem de hoc miraculo ſermocinabantur. Quid multa? Una vox inclamantium auditur: *Dignus honore Monas*. Pavidus ad hunc clamorem Monas, atque ignorans, quid circa ipſum ageretur, pauliſper conſtitit; ſed cùm voces allatæ ingeminarentur, intellexit, ſe depoſci ab univerſo Grege in Paſtorem. Igitur ex imo pectore alta trahens ſuſpiria *immeritum ſeſe atque inofficioſum* profiteri cœpit; inſtantium tamen Fratrum precibus victus, ac de cœleſti ſigno edoctus, Dei arbitrio ſe commiſit, & in Epiſcopum paſſus eſt conſecrari.

Quæ fuerint primordia hujus Sancti Antiſtitis, quàmque ſplendida inſignium operum ſerie regimen ſuum illuſtraverit, deſcribere ſuperſedemus, cùm ſatis ſit dicere, eumdem, Deo aſflante, ſuamque voluntatem manifeſtè prodente, fuiſſe delectum. Peculiare illud eſt, quod ad nos tranſmiſit ejuſdem Vitæ Auctor antiquus, videlicet, mortuis clariſſimis Monæ Parentibus, cùm hæreditario jure devoluta ad ipſum fuiſſent prædia, & opimi inclytæ ſuæ Domûs Cenſus, ſtatim eorum partem divenditam ab

hoc

hoc Sancto Præſule fuiſſe, ut illam in eleemoſynam pauperibus erogaret; *reliquâ verò Matrem ſuam Eccleſiam, cujus erat excubitor, donaſſe, ut redditus inde ſumendi, Confratrum uſibus, & eorum neceſſitatibus communes exiſterent*; atque ideo cunctos in tribus Eccleſiarum, quæ tunc extabant, Ordinibus diſtributos Dei Miniſtros ad ſui præſentiam congregavit, ſubrogavitque iis, quos aut mors aut ferrum abſumpſerat, novos ſacros Operarios, qui Altaribus inſervirent, & opus Dei uno corde atque animo adminiſtrarent. His in Urbe noſtra peractis, ſeſe ad extramuranas Oves ſuas in rectam ſemitam dirigendas convertit; cùmque eas verbi Dei pabulo, Menſæque Euchariſticæ pretioſis dapibus deficientes inſpiceret ob inopiam Sacerdotum; implorantibus ab ipſo Chriſtifidelibus, ut Ducem aliquem illis aſſignaret, qui eos Divina Myſteria doceret, & neceſſariis ad animæ ſalutem ſpiritualibus cibis reficeret, libentiſſimè Monas aſſenſit, & Parœcias erexit, Magiſtros Miniſtroſque Sacros diſtribuens, qui eorumdem curam gererent, atque ad Aras operarentur, *ſubminiſtratis* etiam *ſumptibus*, ad hoc grande Opus perficiendum *neceſſariis*; cùm ſubinde, retento primitivæ Eccleſiæ more, qui tunc a Dæmoniaca ſervitute redempti, jugo Chriſti ſuaviſſimo leviſſimoque colla ſubmitterent, quæcumque poſſidebant divendentes, receptum pretium & cenſus ſuos *communi uſui libentiſſimè exponerent*. Adnotari hoc loco debet, noſtrates Hiſtoricos inſtitutionem Parœciarum a Sancto Mona peractam, tranſtuliſſe ad noſtram ipſam Metropolim; Galeſinius verò & Ughellus enormi exaggeratione eas excreſcere faciunt uſque ad numerum CXV., cùm tamen notum ſit, Mediolanenſem Urbem eâ ætate admodum anguſtam fuiſſe; omneſque intelligant, obſtrepentibus undique Perſecutionum

num

num Edictis, minimè credibile eſſe, tot Eccleſias erectas, tantumque Dei Miniſtrorum populum hìc adſtitiſſe, qui illis regendis aſſignarentur. Auctor noſter vetuſtus de tribus tantummodo Eccleſiis in Urbe extantibus mentionem agit, cùm ait, congregatum fuiſſe a Sancto Mona in unum corpus Clerum illarum; & de Forenſibus tantùm Parœciis, ad Chriſtifidelium in Vicis Pagiſque diſperſorum commodum diviſim inſtitutis memoriam reliquit.

Apoſtolico ſubinde fervens ſpiritu, „ circumquaque poſitos „ Pagos, Oppida, Caſtellaque peragrans (verba ſunt memorati Auctoris, digna quæ hìc inſerantur) „ maximas Idololatrarum „ prædas Sponſæ Chriſti, ac Reginæ reportabat Eccleſiæ. Et „ jam non tam Mediolanenſibus Civibus, ſed univerſis etiam Pa„ ſtor is operam dabat Liguribus, prædicando ſedulè & Evan„ gelicam ſementem indifferenter largus fœnerator omnibus com„ modando; baptizando paſſim quoſcumque ſuaſerat, & Chriſti „ populum Cenſor illuſtriſſimus recenſendo; profana demum toto „ conamine deſtruendo, & Chriſti Sacraria dedicando, (ita ut) „ Oppidanorum ſeu Agricolarum non parva multitudo Chriſti „ per eum ſignaculo inſigniretur.

Præter Idololatriæ funditus extirpandæ laborem, altera perniciosior lues emerſit, ad quam avertendam ab hac Mediolanenſi Metropoli plurimum ſudorum curæque impendere debuit Sanctus Monas: „ Valentinus & Cerdon, Hebion, Cerinthus, aliique „ complures veritatis inimici, in ipſa etiam Romana Arce virus „ ſuum evomuerant, & diverſis in locis zizaniorum dolo pura „ verbi Dei ſemina macularant, & areas Dominicas adulterini „ lollii admixtione fœdaverant. Itaque Sanctus Monas cum coævis

„ vis atque Confratribus ſuæ Metropolis, more vigilantis Agri-
„ colæ, excutere ac proturbare de ſuorum Collegio manipulo-
„ rum mala ſemina procurabat. Imo ut Paſtor eximius, inſidia-
„ tores Gregis Chriſti clamoribus ſimul atque inſectationibus
„ præveniens, longiùs effugabat, commonens & inſtruens ſuos
„ ſequaces, cum hujuſmodi nullam habere communionem. Quin
„ etiam, ſicubi aliquos fortè ipſorum obvios habuiſſet, digna
„ objurgatione refellere, & cominus perurgendo proſternere ſa-
„ tagebat „. Hucuſque Auctor memoratus.

Antequam e vita migraret Sanctus Monas, ſolari voluit Deus egregium hunc Præſulem, ac gloriæ ſuæ fidelem Miniſtrum inexpectato melioris ſortis dono, Philippis Patre & Filio Auguſtis ad Cæſareum thronum evectis, qui, niſi firmam pacem Eccleſiæ attulere, ſaltem paucis iis ſeptem incompletis annis Imperii, aliquantulum reſpirare Chriſtifideles ab anteactis Tyrannorum vexationibus permiſerunt. An autem publicè profeſſi fuerint Catholicam Legem hi Cæſares, noſtra non eſt hìc diſcutere. Fervet apud Eruditos controverſia, eorumque communior ſententia eſt, illos ſecretò quidem, non tamen apertè Religionem noſtram amplexatos fuiſſe. *Octuagenarius* erat Monas, *referentibus iis, qui paterna illud noſſe traditione potuerunt*, quemadmodum tradit Auctor Hiſtoriæ prædictæ. Non multò tamen longiùs vitam produxit: Quamobrem præſagiens vicinum obitum ſuum, Diſcipulos coram vocavit, de proxima nova Perſecutione (Decii nempe peſſimi Cæſaris) commonuit, armavitque fervido ſermone ad tutandam etiam inter Cruces & gladios Chriſtianam Fidem, qua, Deo largiente, decorati hactenus fuerant; ac poſt aliquod tempus, iis vix per-

ſentientibus, ſenio reſolutus obdormivit in Domino, VIII. Calendas Aprilis, Anni CCLI.

Mediolanenſem Eccleſiam rexit annis LIX. incompletis. Papebrochius in Commentariis ad antiquum Catalogum Bibliothecæ Ambroſianæ, Sancti Monæ obitum figit Anno CCXLVIII.; ſed quo documento decurtet illius Sedis tempus, in Catalogo aſſignatum, quem ipſe illuſtrat, ubi adnotantur Anni LIX., prorſus nobis ignotum eſt; nihil enim ibidem ad hanc firmandam ſententiam ſuam exaratum legitur. Itaque, cùm nihil obſtet, integrum eidem Antiſtiti hunc annorum numerum tribuimus, ab Anno nempe CXCIII., uſque ad Annum CCLI. Galeſinius Monam ſediſſe ait ſub Eleutherio Pont. Max., qui jam obierat, multò antequam ipſe in Epiſcopum deligeretur.

Auctor Hiſtoriæ ſæpiùs adductæ aſſerit, Sancti Monæ Corpus fuiſſe *Prædeceſſorum ſuorum tumulis adjunctum*, ideſt in Cœmeterio Caji, ſeu in Hortis Philippi; ſubjungitque, ſepulcri illius locum, tempore, quo ſcribebat, Chriſtifidelibus adhuc fuiſſe ignotum. Heribertus de Antimiano Archiepiſcopus noſter Sanctum Monæ Corpus poſtea invênit, depoſuitque in Eccleſia Sancti Vitalis Anno MXXX., IV. Idus Octobris; ex qua Translatione arbitramur cum Carolo a Baſilica Petri, Eccleſiam Ambroſianam deſumpſiſſe occaſionem ſtatuendi eum diem, ad memoriam ſolemnem Sancti Monæ celebrandam. Aliam celebriorem Translationem hujuſmodi Sacrorum Oſſium peregit Sanctus Carolus Borromeus, cùm, dirutâ Æde Sancto Vitali ſacrâ, illa in Metropolitanam Baſilicam invexit; eique ſacræ pompæ ſe interfuiſſe teſtatur prædictus Epiſcopus Novarienſis. Acta eſt ſolemnis iſta Supplicatio a memorata Eccleſia

ad

ad Templum Maximum, Sacram Arcam, in qua Sancti Monæ Oſſa pridie condiderat propriis manibus Sanctus Carolus, geſtante ipſo, unà cum Famauguſtano Epiſcopo, Viſitatore Apoſtolico, die VI. Februarii, Anno MDLXXVI. Statim ac verò depoſita hæc fuit in Ara Majore, idem ſanctus Antiſtes Concionem e ſuggeſtu habuit, in laudem ſancti hujus ſui Prædeceſſoris; veſpere autem, antequam in Confeſſione reconderetur, altero eloquenti Sermone Famauguſtanus Præſul populum accendit ad exhibendam Sancto huic Mediolanenſi Epiſcopo & Civi peculiarem venerationem. Narrat hæc fuſiori calamo Giuſſianus in Sancti Caroli Vita, ad annum præ. o atum.

Omittere non debemus, poſt obitum Sancti Monæ intruſum fuiſſe ab aliquibus in feriem Mediolanenſium Antiſtitum quemdam MARINUM; occaſionem captantes ampliſſimi hiatûs Sedis vacantis, qui inter Monam, & Maternum ab antiquis etiam Catalogis adnotatur. Hermannus Chrombachius, vindex acerrimus undecim mille Virginum, cum Sancta Urſula Coloniæ Agrippinæ interfectarum, ſpecioſam fabellam cerebro ſuo dictante adornavit; ait enim, Anno CCXXXV. hanc Virginum cohortem cum ipſarum Duce Urſula Romanum iter ſuſcepiſſe, ubi exceptæ a Cyriaco Summo Pontifice, Pontiani Succeſſore, martyrium earum ſuumque divinitus præſentiente, Coloniam poſtmodum adierunt; ſubjungitque, in itinere Italico comites ſe illis dediſſe nonnullos Epiſcopos hujus Provinciæ, inter quos MARINUM Mediolanenſem enumerat. Equidem a pluribus antea Seculis invaluerat opinio de tanto Virginum numero; nec diſplicuerat Mediolanenſibus Scriptoribus mentio MARINI Epiſcopi, utpote quæ apta videbatur implen-

dæ lacunæ, quam ſuperiùs enunciavimus, teſte Papebrochio in Exegeſi: Itaque Hermannus Chrombachius, Vir alioquin eruditiſſimus, eam totis lacertis propugnare contendit, duobus in lucem emiſſis Voluminibus; ſed infelici conatu: MARINUS enim ab ipſo in ſcenam protractus, ignotus omnino fuit omnibus antiquis ac etiam recentibus Catalogis Mediolanenſium Antiſtitum; ſicuti etiam Pontifex Maximus Cyriacus, cùm certo certius ſit (ut ait Pagius ad Annum CCCLXXXIII.) Pontiano Summo Hierarchæ defunćto, ſtatim ſucceſſiſſe Sanćtum Antherum. Præterea commentitium eſſe Epiſcopum Mediolanenſem MARINUM, prorſus evincit Series Chronologica noſtrorum Antiſtitum, ex qua conſtat, Sanćtum Monam Anno CCXXXV., & multò etiam poſt, Eccleſiæ noſtræ præfuiſſe. Demum lapſus eſt Chrombachius, enormi anachroniſmo præveniens annum, quo verè Sanćta Urſula cum ſociis Virginibus martyrii palmam recepit; Eruditi enim Viri omnes, inter quos Pagius, glorioſam earum mortem conſignant Anno CCCLXXXIII., vel biennio poſt: Tunc verò notum toti terrarum Orbi eſt, in Mediolanenſis Eccleſiæ Solio celebratiſſimum Sanćtum Doćtorem & Epiſcopum Ambroſium conſediſſe. Quapropter explodi omnino debet a numero noſtrorum Antiſtitum fićtitius iſte MARINUS. Refert Petrus Paulus Boſca in Martyrologio Eccleſiæ Ambroſianæ ad diem XXIII. Julii, Eminentiſſimum Alphonſum Littam Mediolani Archiepiſcopum incenſum fuiſſe deſiderio obtinendi Corporis Sanćti Marini, quem audierat inter Epiſcopos noſtros connumerari. Scripſit itaque Anno MDCLXXIV. ad Colonienſem Nuncium Apoſtolicum, qui ut obſequens eſſet Cardinalis Littæ petitio-

nibus,

nibus , curam illius inquirendi memorato Patri Hermanno Chrombachio ſe dediſſe reſpondit. Verùm ſpes iſta optimi noſtri Paſtoris prorſus evanuit, ùt ex Literis, quas recitat idem Boſca, a Chrombachio datis ad Apoſtolicum Nuncium conſtat, cùm, omni adhibita diligentia, ſe nihil de hiſce Reliquiis in Colonienſibus Eccleſiis reperiſſe teſtetur.

SAN-

SANCTUS MATERNUS.

POſt Sanctum Monam , uſque ad Sanctum Ambroſium perturbatam admodum Hiſtoriam Epiſcoporum Mediolanenſium in recentioribus Catalogis atque Scriptoribus , non ſine juſta aliqua indignatione & inſpicimus , & dolemus . Perculit non parum hiſtorica hæc labes etiam oculos Caroli a Baſilica Petri , ſæpiùs laudati ; quamobrem in Vita Sancti Materni ita ſcribit : *alii Epiſcopos ſilentio prætereunt , alii adjiciunt falſos , neque in eorum ordine conſtituendo conveniunt* . Attamen ipſe quoque in texenda Chronologica Serie ſuccedentium Antiſtitum non modicè lapſus eſt , ùt manifeſtum progrediendo faciemus . Quod in rem præſentem e tenebris erui debet , id eſt , quamplures Sancto Monæ ſucceſſorem adſcribere Sanctum Miroclem , inter quos eſſe videtur quoque Tillemontius in Notis ad SS. Naborem & Felicem , ac etiam antiquus Catalogus , a Papebrochio illuſtratus ante Tomum VII. Maji , quamvis id contigiſſe opinetur idem Papebrochius non Auctoris noſtri culpâ , ſed erroneâ alicujus Scioli interpolatoris ſententiâ . Itaque rectiùs ſenſit prædictus Carolus a Baſilica Petri , qui Sanctum Maternum , primum poſt Monam Epiſcopum Mediolanenſem enumerat . In hanc opinionem conveniunt Clariſs. Papebrochius , & Gulielmus Cuperus Societatis Jeſu , in Vita Sancti Materni ad diem XVIII. Julii , in Actis Bollandianis ; noſque etiam his adhæremus . Siquidem , cùm certum ſit , interfuiſſe Sanctum Miroclem Concilio Romano , cele-

Digitized by Google

celebrato Anno CCCXIII., & etiam Arelatenſi ſubſcripſiſſe Anno ſequente, ùt conſtat ex Harduini Conciliis, nimis longum iter conficiendum eſſet, ut ad Sancti Monæ obitum, quem Anno CCLI. affiximus, perveniremus. Neque ſuffragari poteſt iis, qui contrariam ſententiam de Sancto Mirocle Succeſſore Sancti Monæ tuentur, diuturna viduitas Eccleſiæ Mediolanenſis, antequam Mirocles in Epiſcopum eligeretur, nefariis Imperatorum Edictis Catholicam Fidem tunc temporis divexantibus. Primò enim in hac ſerie Tyrannorum, ſerena aliquando pax Chriſtianis affulſit, ſub remotis etiam Principibus poſt Decii mortem, Tacito nempe, Floriano, & reliquis ante Diocletianum & Maximianum; eo autem tempore dari poterat Eccleſiæ Mediolanenſi Sponſus: Secundò, de hac vacatione tam prolixa nullum in veteribus Catalogis, Hiſtoriiſque verbum offendimus; ea verò complexa fuiſſet ultra quinquaginta annos, ſi Monæ Succeſſor ſtatuatur Mirocles; cùm enim eidem aſſignari nequeant niſi duodecim anni Sedis, viveretque Anno CCCXIV., ùt proximè diximus, deligi debuit circa Annum CCCII., imo etiam ſeriùs, juxta noſtram Chronologiam. Sed de his alibi agemus.

Quæ foret Materni Patria, minimè prodidere Acta ejusdem, ſive a Mombritio, ſive a Gulielmo Cupero in lucem producta. Auctor noſter antiquus, Catalogo vetuſto Bibliothecæ Ambroſianæ a Papebrochio commentariis illuſtrato, & vacationem Sedis Mediolanenſis ad Annos XXXVI. protendenti, conſenſiſſe videtur; ait enim, Mediolanenſem *Plebem diuturnâ abſentiâ Paſtoris* (nempe Monæ defuncti) *viduatam*, *cùm de eligendo Epiſcopo ageretur*, *graviter ſuſpiraſſe*, neſciam, quem va-

vacuæ jamdiu Sedi noſtræ præficeret: Siquidem *Sacerdotum nemo erat hujuſce honoris dignus, vel potiùs oneris capax, quantò minus Clericorum quorumvis inferioris gradus*. Hanc autem inopiam in Clero fecerat adeò in longum protracta Eccleſiæ Mediolanenſis viduitas, & Gentilium protervia, quæ in Cæſarum nefandis Perſecutionibus, invexerat in hanc Metropolim antiqua ſuperſtitionis ſuæ monſtra; tradit enim idem Auctor, *Clerum & populum, quotquot Carnificum manus evaſerant*, cùm primùm *in Philippi Baſilicam convenere, ut Cæli Dominum ſuppliciter exorarent, quatenus hæreditati huic ſuæ miſereretur* ac indulgentiam præſtaret, *expurgandæ a ſordibus Idolorum*, quibus Eccleſiam illam iterum contaminaverant eorumdem Cultores, ſolicitam operam impendiſſe. Proſequitur ſubinde enarrare, quòd, hærentibus illis in ea ambiguitate, quis deligi deberet, *quidam ex Sacerdotibus, quem longæva ſenectus, & meritorum gratia inſigniebat*, Divino lumine illuſtratus, ceteris omnibus ſimul collectis Succeſſorem Monæ deſignaverit, nempe Maternum, tunc Primicerium Lectorum, qui *pietate multimoda & benigniſſima caritate* præſtabat, atque ideo *ab univerſis diligebatur*. Nullâ itaque morâ interjectâ, hunc veluti Divinâ revelatione datum Paſtorem amplexi, eumdem ſupplices deprecati ſunt, ut Epiſcopale officium aſſumere non renueret. Ille verò, utpote tenerrimo corde præditus, licèt illacrymans, Cleri ſimul & populi inſiſtentis precibus annuit, ſeque ad hoc onus recipiendum inflexit. Hoc autem, ſi calculum ineamus, contigit circa Annum CCLXXXIII., cùm in re obſcura & implexa nihil certi figere nobis liceat.

Antequam ſermonem ulteriùs producamus, fateri debemus,

mus, miratos nos etiam fuiſſe cum Gulielmo Cupero in Vita Sancti Materni, Placidum Puciuellum, *in Zodiaco Eccleſiæ Mediolanenſis*, piâ cerebri ſui meditatione pueritiam & virtutes Sancti Materni ante Epiſcopatum retuliſſe, atque exornaſſe rhetoricis phaleris, ne videlicet hanc Vitam acephalam daret. Quis enim in tanta antiquitatis caligine minutiores haſce notitias valeat expiſcari, nullâ Auctoris illorum temporum face præeunte? Ut autem ad Maternum redeamus; incidit Pontificatus hujus Sancti Præſulis in ea tempora, quibus gemina illa humani generis peſtis, Diocletianus, & Maximianus Herculeus ad Imperium evecti, teterrimam contra Chriſtianos inſectationem, cruentiſſimis ubique ſtragibus editis, excitavere. Quoniam verò ferinum hoc odium primò in Milites, Chriſti religionem profitentes exarſit, refert Auctor noſter vetuſtus, inter alias Paſtoralis muneris curas, hanc quoque fuiſſe a Materno ſuſceptam, „ ut poſitos in ergaſtulis Chriſti Milites patientiæ armis indueret, certandi audaciâ imbueret, ac triumphandi fiduciâ recrearet; Eorum ſi qui fortè (mortem) oppetiiſſent aut gladiali ſententia detruncati, aut acrioribus tormentis exanimati, condignè corpora ſepulturæ mandaret, jugibus excubiis pernoctanter inviſere ſatagens, ne minimæ quoque ex ipſis particulæ, veluti pretioſæ cœleſtis theſauri margaritæ diſperirent, inventaſque condignis illico thecis reponeret „. Piæ hujus ſolicitudinis luculentum teſtimonium præbent Acta celeberrimi in univerſa Eccleſia Sancti Victoris Militis & Martyris, a Bollandiſtis illuſtrata ad diem VIII. menſis Maji; cùm enim diutinâ in carceribus inediâ tentatus, virgis acerbiſſimè cæſus, liquatoque plumbo perfuſus, ac tamdem ſecuri percuſſus

ſanctus hic Martyr, glorioſè de inſana Cæſaris crudelitate triumphaſſet, ſævitum eſt etiam in exangue Corpus, eodem noctu in denſum nemus abjecto ad pabulum ſilveſtrium beſtiarum. Adfuit tamen Maternus, qui illo invento duabus capiti ac pedibus Feris excubantibus, poſt earumdem receſſum, religioſiſſima veneratione ſublatum idem Corpus tumulo dedit: Et adhuc apud nos perſeverat pretioſum hoc pignus in Portiana Baſilica, nunc Sancti Victoris; translatum ſolemni pompa a Sancto Carolo Borromeo Anno MDLXXVI., atque in eadem magnifica Ædе reconditum. Plures alios Sanctos Milites Martyres, erga quos idem pietatis officium exercuit Sanctus noſter Antiſtes, enumerat Carolus a Baſilica Petri, in Vita Sancti Materni.

Verùm ne longiùs abeamus, Auctor antiquus, quo utimur, poſt relatam veſanam hujuſmodi tyrannorum barbariem, ad ſuperiora tempora ſermonem convertit, ſeriemque texit Cæſarum, qui a Decio uſque ad Diocletianum Imperii diademate caput præcinxere; narrat autem, Valerianum ſub exordia ſui Principatus, *humanum multùm Dei famulis, ac benigniſſimum extitiſſe, intantum ut venerationi apud ipſum habiti eſſent, & ſua Domûs familiam, Chriſti efficeret Eccleſiam; ſed poſtmodum a quodam Mago dementatum, Chriſtianos perſecutum eſſe, & exterminari præcepiſſe*. Tranſit ſubinde ad Gallienum, inquiens, illum *datis confeſtim Decretis, inhibuiſſe ſupplicia, perſecutioneſque extinxiſſe*. Alios Cæſares poſtmodum enumerat, ſub quibus uſque ad decimum Diocletiani annum, per ſex circiter luſtra, *luce ſub obſcura ac tepenti pace, Eccleſiarum Chriſti Perſecutio ceſſavit*; atque iſta ſubjungit: „ Per idem tempus glorioſiſſimus „ Antiſtes Dei Maternus omni ſtudio invigilans, ſuas Oves

„ pa-

„ paſcuis neceſſariis adhibitis elegantiſſimè ſaginabat, peragransque cunctas Metropolitanæ Sedi ſubditas, juxta & procul „ extentas Italorum Parœcias, Eccleſiaſticis officiis imbuebat, „ propriis jamdudum Paſtoribus deſtitutas, prælectis tum demum ex Clero earumdem Eccleſiarum Magiſtris, morum „ dignitate ac Fidei vigore refertis, recreabat ùt pia Mater, & „ ſuâ quodammodo diligentiâ animabat „. Carebat eo tempore Epiſcopo ſuo Derthonæ Civitas; quamobrem illuc profectus Maternus, ex Diacono Meliodorum, ſummæ Sanctitatis Levitam, Epiſcopali miniſterio decoravit, plebique poſcenti Paſtorem tribuit. Denique fusè deſcribit Auctor memoratus vorax incendium Perſecutionis, ſuccenſum a peſſimis Cæſaribus Diocletiano & Maximiano, quo per Orientem atque Occidentem, in cinerem redigere quidquid Chriſtianam Religionem redolebat, tentavere, Eccleſias Dei funditùs exſtirpantes, *Præſules ipſos & Chriſti Miniſtros, reorum more, catenarum nexibus alligando, atque in horrendis carceribus includendo, Viroſque illuſtres ac Matronas nobiles inverecundè & inhoneſtè in publicum trahendo, & palam denudatos, Latronum lege, virgis plumbatis ac fuſtibus cædi jubendo*; quodque dolendum eſt, *Divinæ Scripturæ Libri in medio platearum igne cremati ſunt, & in Urbibus, Dei Laudibus ſilentium* impoſitum, cùm *in carceribus nullus vacuus Cleri Ordinibus locus* adeſſet. In hoc funeſto Eccleſiæ infortunio viſebantur juges lacrymæ depluere ab oculis Materni, & ora pectuſque rigare, etiam cùm munera ſua exerceret, & ad Gregem ſibi commiſſum concionaretur. Interrogatus verò a Diſcipulis, quam ob cauſam ita ploraret, reſpondit, ſe non rerum damna fragilium, ſed animarum miſerias lugere, cùm

qui a Conditore omnium in ſummam libertatis gloriam creati eſſent, Dæmonum obſequiis ſe mancipatos plauderent; proinde ab aſſidua Oratione numquam deſiſtebat, Deum exorans, ut conſtantiam Chriſtifidelibus in equuleis, flagris, metallis, exiliis, aduſtionibus impertiretur. Imo pro ipſis Tyrannis ac Carnificibus ſolicitas preces Cœleſti Patri affundebat, ut a profanæ ſuperſtitionis tenebris, in filiorum lucis ſortem illos evocaret. Non expers tamen fuit furoris Gentilium ipſe etiam Maternus; claudens enim compendium illius Vitæ Auctor hucuſque laudatus, ait, Sanctum hunc Antiſtitem ſæpe *inter alios vinctum fuiſſe catenis, Principi nequiſſimo præſentatum cum reliquis; interdum quoque carceris ergaſtulo includi juſſum, & flagris atrocibus quàm toties affectum; inter quos tamen cruciatus, Chriſti ſemper clypeo protectus & galeâ, hoſtiles ictus egregius hic Miles* propulſabat, obtundebatque.

Obiter hic deſcribere lubet quæ de noſtra Metropoli Scriptor idem antiquus Materni Vitæ inſeruit, cùm in maximam illius gloriam vergant; delectum videlicet fuiſſe a Maximiano Mediolanum, in Imperii ſui Sedem, atque ibi *Auguſtale Palatium collocaſſe, Urbemque iſtam præ omnibus, qui ante ipſum Romani Regni Principes extiterant, foviſſe, auxiſſe, ac dilexiſſe, adeo ut ad majorem hujus Urbis amplitudinem, non parvum muri ambitum addiderit, diverſis quoque eam ſchematibus ornaverit, & antiquæ Romæ cognatam effecerit.*

De Anno obitùs Sancti Materni minimè concors eſt Scriptorum opinio. Nos in hac Hiſtoricorum diſſenſione ſtatuimus, illum deceſſiſſe circa Annum CCCIII., cùm enim Traditio & Acta Sancti Victoris Martyris referant, ejuſdem Sancti

ĉti Corpus ſepulturæ datum fuiſſe a Sancto Materno, cùmque Martyr ille non occubuerit, niſi in graviſſima Perſecutione Maximiani, excitata prædicto Anno CCCIII., compertum ſit, nonniſi poſt Sancti Victoris cædem, fuiſſe a Sancto noſtro Antiſtite vitam depoſitam. Gulielmus Cuperus ſupra relatus opinatur, Sanctum Maternum defunctum fuiſſe Anno CCCV., cùm ſub Maximiano Imperatore, qui eodem Anno ab Imperio ſe abdicavit, dicatur obiiſſe in antiqua Hiſtoria. Verùm hæc non a Scriptore hucuſque a nobis allato, ſed a Mombritio addita eſt ex aliis Exemplaribus, teſte Clariſs. Muratorio. Hoc autem etiam omiſſo, ratio doctiſſimi Cuperi minimè nobis arridet; potuit enim Sanctus Maternus obire ſub Maximiano, Anno CCCIII., quo ille Perſecutioni initium dedit, poſtquam pium officium exercuit erga Sanctum Victorem, hujus Martyris Corpus ſepulturæ tradendo; atque id facilè autumare nobis licet, fuiſſe nempe illum, tot cruciatibus ſupra relatis malè affecto corpore, quantociùs e vivis ereptum.

Difficilior nodus exſolvendus emergit, in aſſignando temporis ſpatio, quo Sanctus Maternus Mediolanenſem Eccleſiam adminiſtravit; alii enim illius regimen ad brevius tempus contrahunt, ùt Galeſinius, alii longiùs, quàm par eſt, protrahunt. Catalogus a Clariſs. Muratorio editus Tom. I. Part. II. *Scriptor. Ital.*, duodecim tantùm annos Sedis Materno aſſignat; Carolus verò a Baſilica Petri in Vita hujus Sancti Præſulis ſtatuit, illum ſediſſe ab initio Deciani Imperii, ad Maximianum, intervallo nempe XXXV. annorum circiter. Papebrochius in Catalogo noſtro, quem illuſtravit, duos ſupra viginti

ginti annos Sedis Sancto Materno tribuit, ab Anno ſcilicet CCLXXXII., ad Annum CCCIII.; ejuſque opinioni nos ſubſcribimus, tum quia incidit electio in Annum, quo Eccleſia Catholica ſub mitiori Cæſarum imperio paululum reſpirabat, tum quia ejuſdem obitus optimè componi poteſt cum Martyrio & Depoſitione Sancti Victoris, quam Maternus peregit. Sententiæ huic minimè acquieſcit laudatus Gulielmus Cuperus, qui paulò poſt mortem Sancti Monæ electum tradit in Epiſcopum, Sanctum Maternum, eidem tribuens LII. annos regiminis. Negari tamen nequit, ab Auctore Catalogi Bibliothecæ Ambroſianæ, inter Monam & Maternum XXXVI. annos Sedis vacantis adnotari. Clariùs etiam loquitur Anonymus Scriptor Hiſtoriæ antiquæ, hactenus a nobis memoratæ, quam ipſe Clariſs. Cuperus in Vita Sancti Materni Actis Sanctorum Bollandianis inſeruit; ait enim ſub initium, Clerum ſimul & populum, qui evaſerant Carnificum manus, ad Philippi Baſilicam conveniſſe, & eam expurgaſſe Idolorum fæcibus, quæ injectæ fuerant, *plebemque viduatam diutinâ abſentiâ Paſtoris, jamdudum cum Chriſto ſociati, graviter ſuſpiraſſe*. Hæc verba procul dubio indicant, vacaſſe Mediolanenſem Sedem non parvo temporis ſpatio, & Idololatris apertum fuiſſe campum inferendi in Chriſtifidelium Eccleſiam profanos cultus, illamque miſerè contaminandi. Quo poſito corruit omnino fundamentum a Cupero allatum ſtatuendi annos LII. regiminis Sancto Materno; præſertim cùm ille nullum vetuſtum Codicem proferat, quo ejuſdem opinio firmetur, & tantùm conjectando culpam rejiciat vel in amanuenſem, vel in ipſum etiam Catalogi Auctorem, qui loco ſcribendi annos LII., vigintiduos adnotaverit. Se-

Sepultus eſt Sanctus Maternus in Eccleſia tunc Philippi, poſtmodum SS. Martyribus Nabori & Felici dicatâ. S. Carolus Borromeus XVIII. Calendas Octobris, Anno MDLXXI. Corpus Sancti hujus Antiſtitis in eadem Eccleſia quieſcens recognovit, ac ſolemni pompâ tranſtulit, ſimul cum Sacris Lypſanis SS. Naboris & Felicis, quæ ibidem recondebantur.

Eccleſia Ambroſiana Natalem hujus Sancti Epiſcopi celebrat XV. Calendas Auguſti, quo die in antiquis Catalogis legitur, vitam depoſuiſſe.

Adnotare poſtremo hoc loco neceſſarium ducimus, erraſſe doctiſſimum Cardinalem Baronium, qui Maternum Epiſcopum noſtrum, unum eumdemque fuiſſe cenſuit cum Julio Firmico Materno, cujus extare ait in Vaticana Bibliotheca *Commentarium de Erroribus profanarum Religionum*; nemo enim ex Scriptoribus hunc Julium Firmicum Epiſcopis connumeravit. Neque congruit ætas; Julius enim Firmicus longo poſt Maternum noſtrum tempore floruit, mortuus Anno CCCXXX., ſub Conſtantio & Conſtante Auguſtis Fratribus. Ripamontius & Bollandiſtæ ad diem XVIII. Julii, in Vita Sancti Materni, hoc mendum in Annalibus Baronii detexere, ac etiam emendavere.

SAN-

SANCTUS MIROCLES.

SUcceſſor Sancti Materni datus eſt Sanctus Mirocles ; idque ſtatuimus contra Auctorem Catalogi inſcripti : ***Succeſſores Sancti Barnabæ*** , editique ex Bibliotheca Vaticana ab Eugenio Cattaneo , & Galeſinium ***in Tabula Antiſtitum Mediolanenſium*** , Actis noſtræ Eccleſiæ incertà , qui , ùt adnotavimus ſuperiùs , Miroclem Protaſio & Materno præponunt . Carolus a Baſilica Petri , qui optimè illos emendaverat , ſubſtituens Monæ Maternum , in deſignando hujus Succeſſore ſeriem Præſulum Mediolanenſium iterum perturbavit , poſt Maternum enumerans Euſtorgium , dein Miroclem . Quibus fundamentis innitatur doctus hic Auctor , Capite ſequenti enarrabimus .

Cum ipſo quidem dolemus , nihil de Miroclis Vita proferri poſſe , eò quòd rerum præclariſſimè geſtarum ab ipſo in noſtra Eccleſia notitiam nobis prorſus invidit antiquitatis ſilentium . Unicum tamen ſat eſt Elogium Sancti Ambroſii , qui in Oratione *de Tradendis Baſilicis* Epiſcopos Prædeceſſores ſuos recenſens , a quibus opulentam ſanctitate & gloria hæreditatem receperat , Miroclem enunciat . Optatus quoque Milevitanus , celebris IV. Seculi Scriptor , Hiſtoriam texens Schiſmatis Donatiſtarum , nomina eorum refert , qui pro Catholica Eccleſia contra Schiſmaticos pugnavere , primumque Miroclem enumerat ; quod magnum eſt argumentum virtutis atque exiſtimationis hujus Epiſcopi , ùt idem a Baſilica Petri adnotavit . Sanè duobus Conciliis ,

advet-

Digitized by Google

adverſus illos coactis, Romæ primùm ſub Melchiade Summo Pontifice, Anno CCCXIII., dein Arelate ſub Silveſtro I. Melchiadis Succeſſore, Anno CCCXIV. Mirocles interfuit. Hujus autem Concilii Synodicam Epiſtolam ad Summum Pontificem refert Labbeus Tom. I. Conciliorum, in ejuſque fronte legitur nomen Miroclis Epiſcopi Mediolanenſis, ac in calce inter alios Antiſtites ſubſcriptus invenitur idem Mirocles, quemadmodum etiam in Romano Concilio.

Egregium quoque tanti Præſulis decus eſt, Pax Catholicæ Religioni data, Conſtantini Magni & Licinii Decreto, in hac Metropoli expedito Anno CCCXII., dum ipſe Mediolanenſem Eccleſiam adminiſtraret: Ea enim uberrimum gaudium peperit univerſæ Civitati noſtræ, quod hinc in ceteras omnes Eccleſias propagatum, calamitatum præteritarum lacrymas & mœrorem abſterſit.

Ughellus in ejuſdem Vita ſcribit, ſtatutum a Mirocle fuiſſe, ut Clerus deſignatis horis ad pſallendum in Eccleſias conveniret; Joſeph verò Vicecomes in ſuis Obſervationibus Eccleſiaſticis tradit, Divinum Officium, quod poſtea *Ambroſianum* appellatum eſt, ordinem ab ipſo accepiſſe: Sed iſta ex Traditione tantùm proficiſcuntur. Quod admirationem aliquam ingeſſit Mabillonio & Viris eruditis, eſt aſſertio intrepida memorati Ughelli, qui ait, conditum fuiſſe a Sancto Mirocle Cœnobium Monachorum, prope Baſilicam Sancti Victoris; etenim nemo ex Scriptoribus peculiarem hanc laudem noſtræ Urbi aſſignavit; quæ ſi vera foret, in gloriam non modicam Mediolanenſium cederet, cùm nullum aliud antiquius Cœnobium oſtendere poſſet Occidens univerſus; & ſententia Baronii prorſus elideretur, qui

G tra-

traductum ab Oriente in Occidentem Ordinis Monaſtici Inſtitutum circa Annum CCCXL. Sancto Athanaſio conſtanter adſcribit. Sed Monaſterium iſtud tam citò Mediolani erectum, nullo adducto vetuſti alicujus documenti fundamento, facilè corruit.

Anni XII. Sedis Mirocli tribuuntur a Papebrochio, qui eum e vivis ereptum affirmat Anno CCCXV.; & nos hanc eamdem Epocham amplectimur, contra Ughellum, qui juxta Ripamontii calculum, veriorem ab ipſo appellatum, Mirocleṁ obiiſſe eodem anno, quo rediit a Concilio Romano, ideſt Anno CCCXIII., profitetur; non advertens, hunc ipſum Antiſtitem ſubſcriptum legi Concilio Arelatenſi, Anno ſequenti celebrato. Etiam Galeſinius in numerandis annis Sedis hujus Epiſcopi lapſus eſt, vigintiduos annos eidem aſſignans.

Antiqui Catalogi concordes, hunc Sanctum Antiſtitem depoſitum referunt in Baſilica Portiana, nunc appellata *Sancti Victoris*, pridie Calendas Decembris: Noſtra tamen Eccleſia eumdem colit III. Nonas Decembris.

Poſt Miroclem Ferdinandus Ughellus & Galeſinius loco jam dicto, in Seriem Antiſtitum Mediolanenſium quemdam OROSIUM intrudunt, quem nullus ex noſtris Catalogis & Scriptoribus umquam agnovit. Occaſionem huic errori dedit falſa ſubſcriptio, quæ legitur in Concilio Arelatenſi II., his verbis concepta: ***Ex Provincia Italiæ*, *Civitate Mediolanenſi*, *Oroſius Epiſcopus*, *Nazaræus Lector***. Sed decepti ſunt Auctores ævi recentioris, qui ex uno Concilio Arelatenſi, duo fecere, cùm tamen utrumque, unum ſit, Anno CCCXIV. celebratum. Legitima autem ſubſcriptio, quæ jacet ſub memorato Concilio, hæc habet: *Merocles Epiſcopus*, *Severus Diaconus de Civitate Me-*

Mediolanenſi , *Provincia Italiæ* . Poſt hunc verò ſubſcribunt : *Oroſius Epiſcopus* , *Nazarius Lector* , *de Civitate Maſſilienſi* , *Provincia Viennenſi* . Confuſionem hujuſmodi Conciliorum Eruditi noſtræ ætatis Viri adnotavere .

De Carminibus ab hoc Sancto Antiſtite confectis in laudem Sancti Anatalonis , egimus in Vita ejuſdem , nec ulterius vacat diſſerere , cùm doctis Scriptoribus notum jam ſit , ea eſſe commentum recentium Auctorum .

Digitized by Google

SANCTUS EUSTORGIUS I.

SAnctum Euſtorgium Miroclis Succeſſorem aſfirmamus, reclamante licèt Carolo a Baſilica Petri, qui, ùt proximè innuimus, primorum Mediolanenſium Antiſtitum Seriem diverſimodè texit. Itaque opus eſt expendere hoc loco, cujus roboris ſint adducta ab ipſo argumenta, ut inde veritas innoteſcat.

Primò itaque ait, Triſtanum Calchum, omneſque noſtros Auctores in enumerandis Mediolanenſibus Epiſcopis, ſtatim poſt Maternum, Euſtorgium referre. At pace tam docti Viri, auctoritas eorumdem contra ipſum pugnat; illi enim, quotquot vidimus, concordi teſtimonio Sanctum Miroclem non tam Euſtorgio, ſed etiam Materno præponunt. Quamvis ergo erraverint in aſſignanda ætate Materni, ùt nos etiam profeſſi ſumus, cur, quæſo, Euſtorgius quoque trahendus eſt ante Miroclem?

Validior videri poſſet ratiocinatio, quam deſumit ex verbis Sancti Ambroſii in Oratione *de Tradendis Baſilicis*; in ea namque Sanctus ille Præſul vocat Euſtorgium *Confeſſorem*, inquiens: *Abſit, ut tradam hæreditatem Patrum, hoc eſt hæreditatem Dionyſii, qui in exilio, in Cauſa Fidei, defunctus eſt, hæreditatem Euſtorgii Confeſſoris, hæreditatem Miroclis, atque omnium retrò Epiſcoporum*: Inde verò arguit, vixiſſe Euſtorgium eo tempore, quo fervebant Perſecutiones, adeòque ante Miroclem, ſub cujus regimine tranquillâ pace fruebatur Eccleſia; Utque robur addat ſententiæ ſuæ, diſciplinam allegat, quæ illo & ſuperio-

ribus

ribus Seculis in Eccleſia vigebat, quòd nempe ii tantùm *Confeſſores* appellarentur, qui minis ac cruciatibus Tyrannorum minimè territi, Chriſtum, veramque Religionem noſtram confeſſi eſſent; proinde eos Tertullianus vocabat *Martyres deſignatos*, & Gregorius Nazianzenus *Martyres vivos*, *victoriæ ſuæ ſuperſtites*. Sed deſumpta hæc ab antiqua eruditione ratiocinatio facilè diſſolvitur, ſi illorum temporum conditionem attendamus; quamvis enim deleta tunc foret in Occidente Tyrannorum barbaries, Conſtantino Magno auctore, ſupererant tamen Gentilitatis reliquiæ, quas poſtmodum abolevit Magnus Theodoſius. Præterea Schiſmata & Hæreſes, Ariana præſertim, invaluerant, quæ novo Perſecutionum genere Catholicam Eccleſiam ejuſdemque propugnatores improbè divexabant: Sanctus verò Euſtorgius non tam voce quàm Scriptis contra Arianos pugnaverat, ùt conſtat ex Epiſtola Encyclica Sancti Athanaſii Alexandrini, *ad Epiſcopos Ægypti & Lybiæ*, in qua recenſens inſignes Viros, qui ſuperioribus annis ſcripſerant, inquit: *Itaque ſi quæ ſcribunt, ea ſcriberent Orthodoxi, ùt magnus Confeſſor Hoſius*; alios autem enumerans, poſt plures Catholicos Antiſtites Orientis atque Occidentis, noſtrum Euſtorgium iiſdem accenſet his verbis: *Cecilianus Africæ, Euſtorgius Italiæ*. His autem poſitis, quid veriſimilius eſt quàm credere, plura pro vera Fide tutanda vel ab Idololatris, vel ab Hæreticis perpeſſum fuiſſe Euſtorgium; atque ad hæc reſpexiſſe Sanctum Ambroſium, dum illum appellavit *Confeſſorem*? Teſtimonium verò ejuſdem Sancti, quod affert in defenſionem ſuæ opinionis laudatus a Baſilica Petri, contra ipſum militat; ſiquidem ordine retrogrado proximos Prædeceſſores ſuos Ambroſius enumerans, poſtremum facit

Miro-

Miroclem, & Euſtorgio anteriorem. Quid itaque fortius ad illam enervandam, quàm ipſa auctoritas tanti Doctoris, qui eodem Seculo & in eadem Urbe ſcribens, eorum ſucceſſionem tam apertè deſignat? Porro gravis injuria fieret ſapientiſſimo huic Præſuli, ſi retexendo propiorum ſibi præcedentium Antiſtitum Seriem, vel ignorantiâ eum laboraſſe diceremus, vel tumultuario confuſoque ordine illos recenſuiſſe.

Alterum non leve fulcimentum addit Sententiæ noſtræ Epiſtola Sancti Athanaſii *ad Epiſcopos Ægypti & Lybiæ*, proximè relata (*a*), in qua, ut eos confirmet in Fide Nicæna, contra Arianos conſtanter tenenda, *Euſtorgium Italiæ* iiſdem proponit. Vivebat igitur Euſtorgius Mediolanenſis Epiſcopus poſt Nicænam Synodum, adeòque multò poſt defunctum Miroclem, ſi in exemplum exhiberi debuit memoratis Epiſcopis, ut in Orthodoxa Nicæna confeſſione perſeverarent.

Demum adjungimus, ob hanc novam conceptam opinionem, opus fuiſſe Carolo a Baſilica Petri ſubvertere chronologiam Epiſcoporum Mediolanenſium, ſtatutam Sedi eorum in antiquis Catalogis, brevem reddendo Epiſcopatum Euſtorgii, longum Miroclis, ùt ipſemet fatetur. Quamobrem cùm hucuſque viderimus, argumenta ab eodem producta nihil evincere, perſpicuum fit, locum Euſtorgio dandum eſſe poſt Miroclem, & annos diuturnioris Sedis eidem conſervandos.

Meritò dolet prælaudatus Auctor, etiam inſignis hujus Epiſcopi monumenta periiſſe, nihilque ſupereſſe, quod ad illuſtrandam ejuſdem Vitam præferat facem opportunam. In recentioribus Catalogis, & in Hiſtoria Patriæ Andreæ Alciati legimus,

(a) *Editionis Pariſienſ. Anni 1698. num. VIII, ſcripta Anno CCCLVI.*

mus, Euſtorgium in Græcia claro genere natum, & militiæ adſcriptum, verſatum fuiſſe in Aula Conſtantini Magni Imperatoris, atque ab eodem miſſum Præfectum ad regendam Mediolanenſem Provinciam, in qua, cùm injuncto ſibi muneri optimè ſatisfaceret, delectus eſt in Antiſtitem hujus Metropolis. Traditur etiam, nomine Mediolanenſium Legationem obiiſſe Euſtorgium ad eumdem Conſtantinum, a quo ſubinde donatus eſt Corporibus Sanctorum Magorum, quæ octo ante annis e Perſide Conſtantinopolim advecta, ibidem jacebant.

Papebrochius in Exegeſi ſæpiùs laudata hanc Traditionem erroneam credidit, cenſuitque meliùs aſſignari poſſe prædictam Translationem Euſtorgio II. ſeu alteri ejuſdem nominis, ſed diverſo a duobus hiſce Epiſcopis, ſub Imperio Phocæ, hominis impii, & de Sanctorum Reliquiis nihil ſoliciti, ſub finem Seculi VI. Verùm hujuſmodi conjectura enervatur ab iis, quæ in Diſſertatione *de Corporibus SS. Martyrum Protaſii & Gervaſii* protulimus; nullum namque veſtigium legitur tum in antiquis, tum in recentioribus Hiſtoriis tam ſerò delati Mediolanum Sacri hujus Theſauri. Contra verò Hermannus Crombachius in Hiſtoria trium Magorum, teſtimonia refert Auctorum ſupra triginta, Euſtorgio I. hanc laudem tribuentium. Itaque & nos eidem adhæremus, donec certiora producantur ad diem XII. Novembris, quo Bollandiſtæ ſe hanc controverſiam pertractaturos promittunt; nec dubitamus, eoſdem tunc animadverſuros, Euſtorgium II. ferme centum annis a Phoca diſtaſſe; & alterum Euſtorgium, quem Papebrochius nominat, ignotum prorſus eſſe omnibus Hiſtoriis.

Eccleſia Portæ Ticinenſi proxima, in qua depoſita fuere

Sacra

Sacra Magorum Corpora, *Baſilica Regum* olim appellabatur; ſed illato in eam Euſtorgii I. Corpore, hujus Epiſcopi nomen accepit; clarum indicium, quòd ab ipſo in eamdem Eccleſiam inductæ fuerint Sacræ Magorum exuviæ. Ab Ænobarbo Imperatore, inſtante Raynaldo Colonienſi Archiepiſcopo, ereptum nobis fuit pretioſum trium Regum pignus Anno MCLXII., atque Coloniam translatum; nec aliud relictum fuit tantæ jacturæ veſtigium, niſi Arca marmorea, in qua jacebant, viduitatis ſuæ doloriſque noſtri perpetuum monumentum.

Sedit Euſtorgius annis XVI., nempe ab Anno CCCXV., ad Annum CCCXXXI. Galeſinius liberalior eidem tribuit annos XIX. Vitam depoſuit XIV. Calendas Octobris, quo die ab Eccleſia Ambroſiana ejuſdem Feſtum agitur; ac ſepultus eſt, ùt diximus, in Eccleſia ſui nominis, quemadmodum Catalogi antiquiſſimi noſtrorum Antiſtitum teſtantur.

Ferdinandus Ughellus & Galeſinius locis jam adnotatis, poſt Euſtorgium recenſent JULIUM, tamquam ejuſdem Succeſſorem in Eccleſia Mediolanenſi. Huic opinioni fundamentum præbuere Acta ſuppoſititia Concilii Romani, celebrati Anno CCCXXXVII., ſub Julio I. Pontifice Maximo. Baronius illam amplexus eſt tantâ conſtantiâ, ut aſſerat, mirari ſe, omiſſum fuiſſe Julium a Panvinio Viro docto, dum Seriem texeret Mediolanenſium Epiſcoporum, inquiens: *Si alicujus Eccleſiæ antiqui quærantur Epiſcopi, illi certiores erunt, quos veterum Conciliorum Acta ſuppeditant*; adeòque cenſet, hunc Julium non alium fuiſſe, quàm Julium Firmicum Maternum, Scriptorem inſignem Seculi IV., qui donatus ſit Infulâ Mediolanenſi. Carolus quoque a Baſilica Petri, licèt dubius hæreat

hæreat de hoc Julio, utpote ignoto toti Mediolanenſi antiquitati, illum tamen expungere veretur a numero noſtrorum Præſulum: Imo de Sancto Protaſio agens ait, ſe libenter mentionem de illo feciſſe, ut veteris hujus Antiſtitis memoriam intermortuam revocaret ad lucem.

Attamen omnia hæc falſa eſſe Viri eruditi jam agnoverunt; ac primò Pagius ad Annum eumdem CCCXXXVII. aperte profeſſus eſt, Synodum Romanam ſub Julio I. Summo Pontifice aliud non eſſe, quàm farraginem, quamdam ab Iſidoro Mercatore collectam ex Hiſtoria tripartita, aliiſque Scriptoribus, & in formam Concilii redactam, cùm nulla ejuſdem mentio fiat in Libello Synodico. Subinde Benedictus Bacchinius in Pontificali Agnelli de Epiſcopis Ravennat. Diſſertationem inſtituit, in qua, rebus omnibus quæ in his Actis recitantur ad examen vocatis, eadem Acta ſuppoſitia eſſe, dilucidè oſtendit.

SANCTUS PROTASIUS.

IN Catalogis antiquis & Hiſtoriis accuratius conſcriptis, poſt Sanctum Euſtorgium in Epiſcopali Sede ſufficitur Sanctus Protaſius, quem Mediolani e nobili Familia progenitum ſcribunt Auctores noſtri. Magnum Athanaſium ab Arianis in Oriente exagitatum, atque coactum ſe transferre in Italiam, ut coram Summo Pontifice Julio I. aliiſque Epiſcopis in Concilio collectis ſe a nefariis Adverſariorum calumniis expurgaret, Mediolani hoſpitio recepit noſter hic Antiſtes, ac etiam comitatus eſt in Gallias, ad colloquium cum Imperatore Conſtante. Poſtmodum profectus ad Sardicenſe Concilium Anno CCCXLVII, ibidem tum Athanaſii cauſam, tum Fidem Nicænam conſtantiſſimè propugnavit, eidemque Synodo nomen ſuum appoſuit, his verbis: *Protaſius ab Italia, de Mediolano*.

Scriptores noſtri ſilentio prætereunt Synodum Mediolani celebratam, præſentibus Romanæ Eccleſiæ Legatis, eodem Anno, quo coacta eſt Sardicenſis proxime relata. Hanc fuiſſe Occidentalibus Catholicis Epiſcopis conſertam ſcribit Sanctus Hilarius in Fragmentis Synodicis, cùm ageretur de Metropolitano, Hæreſis impicto, ac etiam deponendo. Itaque in hoc pleno Sacro Conſeſſu primâ vice damnatus eſt Photinus, teſte Pagio, qui eruditè contra illuſtres Scriptores depugnat, pro eadem huic anno figenda. In hac quoque Synodo Urſacius & Valens Arianam hæreſim ejuravere, atque

ideo

ideo in Fidelium communionem recepti fuere. Alterum Mediolanenſe Concilium collectum fuiſſe in noſtra Metropoli Anno ſuperiore, ideſt CCCXLVI. refert Labbeus. Laudatiſſimus Pagius, disjectis tenebris quibus illud Scriptores involveranr, hoc idem illuſtravit ad Annum CCCXLIV.; Cùm enim in Antiochena Synodo Epiſcopi Orientales formulam Fidei obtuliſſent, quæ Occidentalibus minimè arridebat, eam in hoc Conventu expenderunt, ſimulque etiam rejecere. Dolendum eſt, haſce tanti momenti Synodos periiſſe. Ceterùm ambigi nequit, in iis primas egiſſe Sanctum Protaſium Antiſtitem noſtrum, utpote Fidei Orthodoxæ ſtrenuiſſimum propugnatorem.

Per Annos XXII. incompletos Eccleſiam hanc rexit Protaſius, nempe ab Anno CCCXXXI., ad Annum CCCLII.; obiit enim VIII. Calendas Decembris, depoſitus in Baſilica Portiana, nunc Sancti Victoris. Ejus ſolemnem memoriam agit Eccleſia Ambroſiana eodem die, quo vitam abſolvit. Sacras hujus Antiſtitis Reliquias, ſimul cum aliis plurium Sanctorum, Sanctus Carolus Borromeus e veteri Portii Eccleſia in novam Sancti Victoris nobiliùs extructam tranſtulit VII. Calendas Auguſti, Anno MDLXXV., teſte Gluſſiano.

Carmina quædam ad Fontem Sancti Barnabæ, in quibus adventus Mediolanum ejuſdem Apoſtoli memoratur, poſuiſſe Sanctum Protaſium tradit Alciatus, qui alia etiam a Sancto Mirocle Epiſcopo condita in idem argumentum refert, tamquam in antiquis lapidibus ſculpta. Sed hæc marmora numquam lucem viderunt, ut eorum antiquitas poſſit dignoſci; noſque in noſtra Diſſertatione, in qua *vindicias* egimus *de Sancti Barnabæ Adventu*, ne illa quidem innuere voluimus, cùm ſecurum Auctorem deſiderent.

H 2 SAN-

Digitized by Google

SANCTUS DIONYSIUS.

POſt Sanctum Protaſium Mediolanenſis Eccleſiæ regimen ſuſcepit Sanctus Dionyſius.

Annos XIV. Sedis eidem aſſignat antiquus noſter Catalogus; conſtat nihilominus, quatuor tantùm annis incompletis huic Eccleſiæ illum præfuiſſe, ab Anno nempe CCCLII., ad LV., quo pulſus eſt in exilium a Conſtantio Imperatore, ob intrepidè propugnatam Nicænam Fidem, atque denegatum Athanaſii condemnationi ſuffragium in Mediolanenſi ejuſdem Anni Concilio, de quo mox loquemur. An verò reliquos decem annos exul abſumpſerit, non ita ſecurè aſſerere poſſumus. Papebrochius in Vita Sancti Dionyſii ad diem XXV. Maji ſtatuit, illum obiiſſe ſaltem Anno CCCLXI., quo Julianus Apoſtata facultatem omnibus relegatis Epiſcopis fecit, redeundi ad ſuas Eccleſias: Id autem confirmat ex Vita hujus Sancti Epiſcopi à Mombritio jam vulgata, in qua narratur, præceptum ab Imperatore Conſtantio fuiſſe, ut Dionyſius Epiſcopus *omni cum honore Sedi ſuæ reſtitueretur; ſed Virum Dei votis exegiſſe, ut vitam in exilio poneret, ne regreſſus, confuſa Infidelium Inſtitutis ſtudia plebis aut Cleri inveniret.* Porro cùm nos de hac Conſtantii indulgentia erga Sanctum Dionyſium nihil enunciatum viderimus aut a Sancto Ambroſio, a quo deſumpta ſunt poſtrema hujus textus verba, aut ab alio vetuſto Scriptore, non ita facile Papebrochio ſubſcribimus; nec intelli-

gimus

gimus, cur ſolo Mombritii teſtimonio minuendi ſint anni, quos exegiſſe in exilio Dionyſium innuit Catalogus memoratus. Quocirca cenſemus, id quod Sanctus Ambroſius ſcribit, referendum eſſe ad favorabile Juliani Decretum, quod ille acceptare noluerit, Auxentio & Arianis in Eccleſia Mediolanenſi tyrannidem exercentibus; præſertim cùm Baronius etiam ultra decennium ejus Vitam protendat, aſſerens, hunc Sanctum Epiſcopum deceſſiſſe Anno CCCLXXI.

Quid actum ſit à Dionyſio, & Euſebio Vercellenſi in concertatione habita cum Arianis in Concilio Mediolanenſi, coacto anno CCCLV. præſtat referre, ut ratio ob quam ad exilium damnatus fuit, magis innoteſcat. Synodus illa, miſſâ Legatione ad Conſtantium, Liberius Summus Pontifex in votis habuerat, ut Imperatoris auctoritate colligeretur, ad definiendam per Epiſcopos Athanaſii Cauſam: Convenere trecentum & ultra Antiſtites Occidentis, ex Orientalibus verò pauci aut morbo aut itineris difficultate detenti, ut tradunt Severus, Socrates, & Sozomenus. Verùm prævalentibus Arianis Synodus iſta, referente Labbeo, non Concilium, ſed *tyrannica conſultatio*, *Diaboli Synagoga*, *Conventus malignantium*, *conjuratio Arianorum*, *factio Sceleratorum*, *conſpiratio impiorum*, ac demum *publicorum Latronum violenta graſſatio* appellata eſt. In ea damnatus eſt Athanaſius, & rejecta vox *Conſubſtantialis*, ſtatuta a Concilio Nicœno. Poſt multum clamorem, re deductâ in Plebis conſcientiam, verentes Ariani illius judicium, ab Eccleſia in Palatium ſe receperunt, Epiſtolam ad Populum inde dirigentes ſub nomine Imperatoris. *Sed tunc enituit magna cum laude ſincera Fides, atque infracta con-*

ſtantia

ſtantia Populi Mediolanenſis, *cùm non ſolùm lectam in Eccleſia Epiſtolam Imperatoris averſatus ſit*, *verùm ſemper in eadem ſententia perſtiterit*, *licèt eidem ablatus fuiſſet Epiſcopus Catholicus*, *& Arianus ſuffectus*; verba ſunt Baronii apud Spondanum ad hunc Annum. Contigit eo tempore quod legitur in Operibus Sancti Ambroſii, Sermone LXIX., qui verè Ambroſii non eſt, ſed cujuſdam Anonymi, tamen antiqui Scriptoris, Maurinis Monachis teſtantibus: Siquidem, cùm Dionyſius Mediolanenſis Epiſcopus, deceptus ab Arianis ſubſcripſiſſet damnationi Athanaſii, ea tamen conditione, ut in reliquis Catholicæ Fidei conſultum foret, requiſitus etiam Euſebius Vercellenſis Epiſcopus, ut Dionyſii exemplo ſubſcriberet, renuit inquiens, nolle ſe nomen ſuum pergamenæ apponere poſt Epiſcopum ipſo juniorem; quapropter ſtatim expunctâ Dionyſii ſubſcriptione, intrepidè obſtitit Arianorum votis, nobili hac fraude Dionyſium eximens ab illorum fallaciis, atque invictum Athanaſii innocentiæ ſe vindicem probans; licèt qui Concilio præſidebat Conſtantius Imperator eumdem & Socios Epiſcopos Dionyſium, & Luciferum duro exilio damnatos ab improbæ illius Synodi conſpectu ablegaret.

Cùm Ughellus in amplo Volumine de Suffraganeis Epiſcopis Mediolanenſis Metropolis, nonnullis aliis ſacris Infulis inſigniat Dionyſium noſtrum, antequam hujus Ambroſianæ Eccleſiæ regimen caperet, neceſſarium eſſe arbitramur, aliqua differere de hiſce ſplendidis mercibus Eccleſiaſticæ eruditionis, quas doctus ille Scriptor in publicum protulit, ut quanti valeant expendatur. Primò enim Dionyſium Albenſem Epiſcopum fuiſſe aſſeruit, creatum circa Annum CCCLII., dein Antiſtitem quo-

que

que Laudenſem conſtituit. Priuſquam quidquam de hac re pronunciemus, candidè profitemur, nolle nos honori invidere, aut Traditionem elidere, qua fortaſſe gloriantur memoratæ Eccleſiæ, habuiſſe videlicet inter ſuperiores Epiſcopos ſuos connumeratum hunc Præſulem, ob excellentium virtutum ſplendorem invictamque in propugnanda Catholica Fide conſtantiam, totò terrarum Orbe celebratiſſimum. Quod attinet ad Albenſem Epiſcopatum, nos ab onere quidquam proferendi exemit Papebrochius, qui in Vita Sancti Dionyſii hæc ſcribit ad diem XXV. Maji: „ Ferdinandus Ughellus aſſerit, ab Albenſi apud Inſubres „ Epiſcopatu, ad vacantem Mediolani Sedem fuiſſe translatum „ Dionyſium; ſed nimis alienum ab ejus temporis uſu fuit, præ„ ſertim in Occidente noſtro, ejuſmodi translatio ab una Eccle„ ſia ad alteram; & ſponſalitio contractui ſimilis cenſebatur Sa„ cerdotalis Ordinatio, ut non minus abſurdum videretur, ſi „ Epiſcopus Eccleſiam commutaret, quàm ſi, vivente Sponſa, „ ad alia vota tranſiret Vir quiſpiam. Quare malim innomina„ tos cenſeri quotquot ante Lampadium Romanæ Synodo ſub„ ſcribentem Anno CCCCXCVIII. (ſequenti anno celebratam „ fuiſſe Pagius contendit) Albæ præfuerunt „. Hæc tantùm adjungimus: Quantum in re iſta labatur Ughellus, conjici ex eo poteſt, quòd aſſignet huic Translationi annum CCCLVII., cùm illo anno jam pulſus in exilium foret Dionyſius a Metropoli Mediolanenſi, cui jam a pluribus annis Epiſcopus præſidebat.

Non ita facilè expedire nos poſſumus, ſi de Laudenſi Epiſcopali Sede ſermo inſtituatur. Siquidem Scriptor iſte in ſuæ opinionis præſidium refert Sancti Athanaſii Apologiam ad Conſtantium Imperatorem, in qua mentio fit Dionyſii Laudenſis Epiſcopi,

ſcopi. Sane non deſunt qui hujuſmodi lectionem ex eadem Apologia deſumptam tueantur; exiſtimant enim, ſcripſiſſe Sanctum Athanaſium, dum alios Epiſcopos recenſet, qui eum comitati ſunt ad Conſtantii Auguſti colloquium, loco Laudæ, *Dionyſium Leidis*; quocirca Dominus Bruzen la Martiniere in ſuo Dictionario magno Geographico inquirens, quæ foret hæc Civitas, Laudem Pompejam deſignat. Attamen recentiſſimus Auctor magni Operis, inſcripti *Oriens Chriſtianus*, Michaël le Quien opinionem hanc prorſus refellit; referens namque Apologiam Sancti Athanaſii, ubi fuiſſe dicitur ſocius ejuſdem *Dionyſius Leidis*, legendum eſſe aſſerit *ab Elide*; Elis autem eſt Achajæ Civitas, quemadmodum memoratus le Quien agens de Eccleſia Elidis tradit. Quomodo ergo poterat eſſe hic Dionyſius, Epiſcopus Laudæ in Italia? Certè in genuina ſcriptione Apologiæ prædictæ Maurini Monachi, Operum Sancti Athanaſii Editores eamdem vocem retinuere *Leidis*, quam Elidem Civitatem Achajæ eſſe P. la Quien invictè propugnat. Cur autem transferri debeat ad Laudem Pompejam, deficientibus vetuſtis monumentis, & Scriptorum teſtimoniis, nos ignorare fatemur. Omittimus, eamdem difficultatem, quam Albenſibus objecit Papebrochius, proponi poſſe etiam contra Laudenſes; eſſe videlicet contra morem antiquæ Eccleſiæ haſce Epiſcoporum Translationes. Nihilominus Laudenſes Sanctum hunc Dionyſium Martyrologio ſuo Manuſcripto inſertum oſtentant ſub die XXV. Maji, ſed ætas, qua Codex iſte exaratus fuit, & quando illatum ſit in eumdem, Sancti Dionyſii nomen, non exprimitur; niſi forte conſcriptus fuiſſe dicatur, jubente Gregorio XIII. Pontifice Maximo, loco Martyrologii Romani Anno MDLXXXIV. Inſuper addunt Lauden-

denſes, a vigilantiſſimo Antiſtite Joſepho Gallarato, nunc Laudenſem Eccleſiam egregiè adminiſtrante, impetratam fuiſſe facultatem, a Sacr. Rit. Congregatione extendendi ad univerſam Diœceſim cultum, & ſacra Officia in memorati Sancti Dionyſii honorem; Verùm facultas iſta evincit quidem poſſeſſionem cultûs perennis, ex quo inducta eſt in Laudenſe Martyrologium Sancti Dionyſii memoria, non tamen definit, eum verè fuiſſe Eccleſiæ illius Epiſcopum. Ceterùm, quemadmodum ab initio profeſſi ſumus, hujuſmodi gloriam, qualis ea ſit, Laudenſibus libentiſſimè relinquimus; cùm non alia ratione moti, de hac re diſſeruerimus, niſi ut veritatem e ſuperiorum ætatum tenebris, quantum nobis licebat, erueremus, & ne injurii eſſe huic Præſuli videremur, ſi collata meritis, & compertæ jamdudum per Italiam ſingulari ejuſdem Sanctimoniæ, Epiſcopalia illuſtrium Eccleſiarum decora, quæ ab aliis Scriptoribus memorantur, ingrato ſilentio præteriiſſemus.

Non abs re erit, referre hoc loco præclarum Elogium, quod in duobus MSS. antiquis Codicibus, Mediolanenſi & Blaudunenſi deſcriptum Papebrochius edidit in Vita Sancti Dionyſii: „ Vir ſæpe memoratus Epiſcopus Dionyſius apud „ Mediolanenſem Civitatem erat, immunis a vitiis, conſpi„ cuus caritate, humilitate facilis, patientia atque benigni„ tate mirabilis; flebat cum flentibus, gaudebat cum gau„ dentibus, aderat operantibus, opem ferebat miſeris, ale„ bat egentes, operiebat nudos . . . . . Ita Beati Viri no„ men enituit, ut qui Sanctus ab omnibus habebatur, ferè „ ùt Apoſtolus haberetur „ . Idem autem repetit Auctor MS. Codicis memorati; loquens enim de Sancti Dionyſii mo-

ra in exilio, hæc habet. „ Ita autem ſanctitatis ejus cu-
„ mulus per totam Armeniam provinciam efflorult, ut nemo
„ eum dubitaret Apoſtolorum eſſe conſortem; quiſquis enim
„ infirmorum eum viſere potuiſſet, procul dubio ſanus abi-
„ bat, & plerique, ab eo Benedictione mandata, convale-
„ ſcebant.

Nunc de Translatione Corporis Sancti Dionyſii ad hanc Urbem eſt differendum: Scriptores Mediolanenſes laudem iſtam adſcribunt Sancto Aurelio Redicianenſi, ſeu (ut veriùs ſe emendare vocem hanc putat Papebrochius ex Geographia Sacra Pauli a Sancto Carolo) Araratienſi, in Armenia Epiſcopo. Scimus tamen, rogatum fuiſſe a Sancto Ambroſio Baſilium Magnum, de hoc Sancto Corpore Mediolanum transferendo, illumque vota ejuſdem impleviſſe; Id autem conſtat ex Literis ejuſdem Baſilii, miſſis ad Sanctum Ambroſium, in quibus aſſerit, ſe dediſſe comitem Sacerdotibus iis, qui ad ipſum Mediolano advenerant, Theraſium compresbyterum ſuum, ut facilem redderet Sacri Theſauri aſportationem, & Cuſtodes inflecteret ad eum concedendum; laudans ſummopere Mediolanenſium Presbyterorum concinnitatem in moribus, modeſtiam, & communem omnium gravitatem, quibus reliquo Clero noſtro exiſtimationem conciliaverant. Extat hæc Epiſtola in poſtrema Pariſienſi Editione, num. CXCVII. Tom. III. Operum Sancti Baſilii Græco-latin., quam, prout ibidem jacet, dabimus ad calcem hujus Vitæ. Proinde Præſides delecti ad Breviarium Ambroſianum rectè in rebus hiſtoricis inſtituendum, hoc animadvertentes, antiquam Lectionem de Sancto Dionyſio, in qua ſolus Aurelius Au-

ctor

ctor hujus ſacri pignoris ad nos deducti memorabatur, in alteram commutantes, utrumque his verbis conciliare crediderunt; *Ejus Corpus Mediolanum ad Beatum Ambroſium ab Aurelio Epiſcopo translatum eſt, cui piæ actioni officium quoque Sancti Baſilii Magni acceſſiſſe traditur.*

In Hiſtoriis Patriæ noſtræ unanimi conſenſu Scriptorum legimus, delatum fuiſſe Sacrum hoc Corpus rectà in Urbem Mediolanenſem, atque obviam proceſſiſſe Sanctum Ambroſium extra muros, unà cum Clero & Populo, ut illud exciperet. Incolæ Caſſani (quod Oppidum eſt, decimoſexto ab hac Metropoli lapide diſſitum) mordicus tenent, Sanctum Ambroſium, divino afflatum Spiritu Mediolano illuc profectum eſſe cum Sacerdotio & plebe, ut deducto per Abduæ Flumen ſacro huic pignori obviaret; cùmque Arcam aperiri juſſiſſet, ut Prædeceſſori ſuo complexum daret, Dionyſium ſurrexiſſe, & poſt amicam ſalutationem, cum Ambroſio paululum ambulaſſe differendo de Fide & Chriſti Divinitate; demum eumdem rogaſſe, ut in Æde Salvatoris Oſſa illius reconderet, ac ſtatim in Arca ſe compoſuiſſe: Qua re peracta, ac iterum currui impoſitâ Capsâ, dum Mediolanum versùs iter inſtitueretur, ſubſtitiſſe immota jumenta, quin ullo modo ulteriùs poſſent urgeri; quæſiviſſe autem Ambroſium, an aliqua Sacra Ædicula Salvatoris eo loco extaret, inventumque fuiſſe inter vepres ſtirpeſque erectum Sacellum, quod Oppidani aſſerebant fuiſſe a Sancto Barnaba conditum ac conſecratum in honorem Salvatoris; atque in eo decentiùs ornato depoſitum eſſe Corpus Dionyſii, ſimulque Oppido commutatum antiquum nomen, atque impoſterum dictum a *Caſſa* CASSANUM.

I 2 Ut

Ut hanc Traditionem tueatur Joannes Baptiſta Caſtillioneus, qui peculiari Libello typis edito Hiſtoriam hujuſmodi omnem deſcribit, profert auctoritatem MS.ti Codicis, reperti ſub initium Seculi XVII. in Arcula ferrea Cœnobii Mediolanenſis, Sancto Dionyſio dicati, in quo iſta narrantur. Attamen qua ætate ſcriptus ſit ille Codex, ac quo tempore Mediolanum delata ſit ferrea Arca ipſum continens, minimè indicat, ſicuti neque antiquitatem Picturarum, quas olim extitiſſe affirmat in Eccleſia Caſſani.

Porro, quot fulcimentis indigeat hæc narratio ut fidem inveniat, nemo non videt. Mirum nobis eſt, tam fidenter aſſeri, ædificatam in Oppido Caſſani Eccleſiam ſub nomine Salvatoris a Sancto Barnaba, eàmque ita citò in tantam negligentiam & oblivionem Incolarum decidiſſe, ut fortuitò inter dumeta reperiretur & tribulos: Mirum, quòd de tanto miraculo nec Ambroſius, nec Paulinus, nec alii veteres Scriptores verbum umquam protulerint: Mirum, quòd tanto tempore occluſa remanſerit Arcula ferrea, quæ certè Caſſani adeſſe priùs debuit, antequam unà cum Corpore Sancti Dionyſii Mediolanum transferretur; nec ulli umquam in mentem venerit curioſa cogitatio inquirendi, quid in ea clauderetur. Demum admirationem ingerit ſilentium omnium Auctorum, nihil prorſus innuentium de Tranſlatione Sancti hujus Corporis ab Caſſani Oppido Mediolanum. Omittimus ridiculam eam fabellam, quod, mutato nomine, locus ille, a Sancti Dionyſii *Caſſa* ibidem immotà, ùt traditur, CASSANUM ſit appellatus. Nihilominus cùm iſta cuique pateant, Daniel Papebrochius in S. Dionyſii Vita, ad diem ſuperiùs memoratum

in

in Actis Bollandi, Traditionem hanc ambabus manibus amplectitur, & temeritatis audaciæque notam inurit iis, qui contraire velint antiquæ huic Hiſtoriolæ, quam fortaſſe Eruditi Viri ad fabulas ablegabunt. Nos in tam docti Scriptoris reverentiam judicium noſtrum proferre nolumus; conſtantes tamen nos eſſe profitemur in affirmando, Sacras Dionyſii Reliquias ſtatim ab earumdem advectione ex Armenia, Mediolanum fuiſſe rectâ viâ translatas, iiſque erectum Templum a Sancto Ambroſio, qui illud in Sancti Dionyſii & omnium quoque Confeſſorum honorem dedicavit, quemadmodum Scriptores noſtri hactenus tradidere.

Ut autem aliqua etiam de Sancto Aurelio attingamus, referenda ſunt, quæ Carolus a Baſilica Petri decerpſit ex Hiſtoria Trithemii, Scriptoris Seculo XIV. florentis: Ait enim ille, Sanctum Aurelium, cùm ad ſuam redire Eccleſiam cogitaret, officioſis Ambroſii precibus victum hìc conſtitiſſe, & orationibus quotidianis cogitationem ſuæ peregrinationis Domino commendaſſe, ut ab eo dirigeretur; poſt annum verò, quo Mediolanum venerat, eidem apparuiſſe Sanctum Dionyſium, qui proximum ejus obitum, & ſepulturam apud ſuum Corpus recipiendam nunciavit; quemadmodum etiam contigit, Sancto Ambroſio extremam illi opem ferente, atque Orationem illam in Aurelii Exequiis pronunciante, quæ incipit: *Amiſimus Fratrem & Paſtorem dulciſſimum, imo præmiſimus Advocatum* &c. Sermo hic ad nos non pervênit, ſed aliquod ejuſdem exemplar delatum fuiſſe in Irſaugiam veriſimile eſt ſimul cum aliqua Reliquiarum Sancti Aurelii parte, quæ Ludovico Pio regnante Anno DCCCXXX. collocatæ ſunt in

Irſau-

Irſaugienſi Cœnobio, ut teſtatum reliquit idem Trithemius. Non tamen verum eſt quod aliqui aſſeruere, abductum hinc fuiſſe integrum Corpus; prædictus namque a Baſilica Petri teſtatur, a ſe conſpectum fuiſſe Caput, & quaſdam alias Reliquias in Eccleſia Majori.

Ut verò ad Dionyſium redeamus, poſtquam is Patriâ expulſus, in Armeniam ſeceſſit, AUXENTIUS monſtrum immane in Cappadocia ortum ac pluribus ibidem ſceleribus actis inquinatum (Sanctus Athanaſius (a) eumdem vocat *hominem nedum linguæ Latinæ, ſed ſolius impietatis peritum*) favore Conſtantii Imperatoris in Inſubriam delatus, Sedem Mediolanenſem invaſit. Quas turbas excitaverit in afflicta hac Eccleſia, quantâque crudelitate in Catholicos Sacerdotes invectus ſit, illos a Templis expellens, atque ordines omnes præteritæ diſciplinæ ſubvertens, animus nobis non eſt hic referre; præterea Sanctus Hilarius duobus Libris in Auxentium ſcriptis, nefaria ejuſdem geſta narravit. Inſurrexit ferme univerſus Occidens Orienſque, celebratis in Gallia, Hiſpania, Pamphylia, Iſauria, & alibi Conciliis, in quibus Epiſcopi, Auxentio damnato, ſeſe ab illius communione ſejunxere. Athanaſius item per Literas Damaſum ſolicitavit, ut illum deponeret; ſed quamvis ſanctus hic Pontifex id præſtiterit, inflicto eidem anathemate in Concilio Romano, depelli numquam potuit a poſſeſſione hujus Sedis: Tantâ enim verſutiâ, pro tempore & locorum opportunitate, utebatur, ut Catholicum ſe ſimulans, Valentinianum ipſum, piiſſimum alioquin Imperatorem, propitium ſibi reddiderit. Sola mors, quæ repenti-

na

(a) *In Hiſtoria Arianorum ad Monachos.*

na ipſi contigit, ùt tradit Papebrochius, liberare hanc Metropolim valuit a fœda tyrannide, quam per viginti ferme annos Auxentius exercuit; expunctus meritò a numero Mediolanenſium Antiſtitum. Imo cùm olim ejuſdem nomen in Sacris Dypticis deſcriptum foret, Sanctus Ambroſius Libr. III. *de Spiritu Sancto*, Cap XI., acerrimè conqueſtus eſt, falſum hoc & ſacrilegum ſimulacrum in Eccleſiaſticis Codicibus expreſſum fuiſſe.

Obiter hìc recenſere placet lepidam fabellam, quam Placidus Pucinellus in Libro inſcripto: *Zodiaco della Chieſa Milaneſe*, credule hauſit a falſis Chronicis Liutprandi, editis & illuſtratis ab Hiſpanicis Scriptoribus, iiſdem faventibus; nempe, exulante Dionyſio, Sanctum NATALEM Epiſcopum, qui tunc forte redux ad Sedem ſuam Toletanam Mediolani commorabatur, fui e delectum in Epiſcopum noſtræ Eccleſiæ a Clero populoque Catholico; ſed eum reverentiæ gratiâ erga Dionyſium, Vicarii tantùm nomine res Sacras adminiſtraſſe. Commentum hujus Epiſcopi, Catalogis noſtris prorſus ignoti, quod etiam agnovit Ughellus, facilè exſufflatur, ſi hujus Natalis obitum expendamus; ſiquidem ab iiſdem confićti Chronici Liutprandi illuſtratoribus traditur, deceſſiſſe Anno CCCLIV., cùm nempe adhuc Mediolani Eccleſiaſtica munera peragerer Dionyſius, Anno tantùm ſequenti in Armeniam relegatus. Propiùs ad veritatem accedit quod innuit Tillemontius, videlicet Clerum Mediolanenſem, qui parêre Ariano Auxentio recuſabat, ſeipſum, velut vacante Eccleſia, rexiſſe, quæſitâ a finitimis Epiſcopis Sacerdotum conſecratione.

Su-

Supereſt enunciandum, quo tempore & qua occaſione Dionyſii Corpus translatum ſit ab antiqua Ecclesia ſui nominis, ad Metropolitanum Templum. Paucis hæc refert ſæpiùs laudatus a Baſilica Petri, innuens, id fortaſſe accidiſſe, cùm Eccleſia illa ab Abbate & Monachis, temporum calamitate eſſet deſerta. Clariùs tamen nobis enunciat hujus Translationis tempus Franciſcus Caſtellus, qui in ſuis Miſcellaneis MSS.tis, in Ambroſiana Bibliotheca ſervatis, ſequens monumentum reliquit. „ MDXXXVIII., die Veneris primo Martii. Nota, quòd die „ ſupraſcripto repoſita fuerunt Corpora Sancti Dionyſii Archie- „ piſcopi Mediolani, & Aurelii Epiſcopi in partibus Armeniæ; „ poſt Altare Majus Eccleſiæ Mediolanenſis, prope tumulum „ Sancti Galdini, videlicet versùs Meridionalem Sacriſtiam, „ præſentibus Rev. Dño Joanne Maria Tonſo, Vicario Archie- „ piſcopali (Hyppoliti II. Eſtenſis Mediolani Archiepiſcopi) „ & toto Capitulo, & Officialibus Eccleſiæ, magnâque populi „ Mediolanenſis multitudine: de qua rogatum fuit Inſtrumen- „ tum per Spect. Dñum Joannem Georgium Caſtanum, Joan- „ nem Petrum Bernadigium, Joannem Jacobum Moltenum, & „ Hieronymum Seregnium, Mediolani Notarios publicos, An- „ no & die ſupraſcriptis.

„ Et ita Ego Franciſcus Caſtellus, Mediolanenſis Eccleſiæ „ Ordinarius, qui prædictis omnibus interſui, ad futuram „ rei memoriam ſcripſi &c.

Sanctus Carolus Borromeus Anno MDLXXVIII., dum aſſervatis in Metropolitano Templo Sanctorum Reliquiis nobiliorem cultum adjicere curaret, Sacrum Corpus hujus Antiſtitis diligentiſſimè recognovit, præſente & miniſtrante Carolo a Baſi-

lica

lica Petri ſupramemorato, & in ſubterraneo Sacello prædictæ Metropolitanæ Baſilicæ cum aliis Sacris Corporibus depoſuit, quemadmodum ipſemet a Baſilica Petri teſtatur.

Feſtum ſolemne Sancti Dionyſii agitur in Eccleſia Ambroſiana, VIII. Calendas Junii.

Baſilius, Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi. (a)

„ MAgna ſemper & multa Domini noſtri dona, nec eo„rum magnitudinem metiri, aut multitudinem fas „eſt numerare. Unum autem ex maximis donis, illud etiam „eſt his, qui non ſine ſenſu beneficia ſuſcipiunt, quod nunc „longiſſime nobis locorum intervallo diſtantibus dedit inter „nos conjungi per Literarum alloquutionem. At cognoſcendi „quidem modum duplicem nobis impertivit: unum per con„greſſum, alterum verò per Literarum colloquium. Quoniam „igitur cognovimus ex his quæ loquutus es; cognovimus au„tem, non corporis figuram memoriæ noſtræ imprimentes, „ſed hominis interni pulchritudinem ex ſermonum varietate „perſpicientes, ſiquidem unuſquiſque noſtrûm ex abundantia „cordis loquitur (b); glorificamus Deum noſtrum, qui ſin„gulis ætatibus elegit eos qui ſibi placent, ac priùs quidem „ex ovium grege ſuſcitavit Principem populo ſuo, & Amos „ex caprili corroboratum a Spiritu, in Prophetam evexit; „nunc autem Virum ex Regia Urbe, gentis totius Recto„rem, animo ſublimem, generis claritate, opum ſplendore,

K di-

(a) *Data eſt hæc Epiſtola Anno CCCLXXV., ut adnotant Monachi Benedictini in Editione Pariſienſi Anni MDCCXXX.*
(b) *Matthæi XII. v. 34.*

„ dicendi facultate omnibus in Seculo degentibus conſpicuum, „ ad gregis Chriſti curam pertraxit. Qui projiciens omnia „ Seculi ornamenta, eaque damnum exiſtimans, ut Chriſtum „ lucrifaciat, commiſſa gubernacula ſuſcepit magnæ & ob Fi„ dem in Deum celeberrimæ navis, Chriſti Eccleſiæ. Age „ igitur, o homo Dei; quandoquidem non ab hominibus ac„ cepiſti aut edoctus es Evangelium Chriſti, ſed ipſe te Do„ minus ex terræ Judicibus ad Cathedram Apoſtolorum trans„ tulit; certa bonum certamen; infirmitates populi cura, ſi „ quem fortè Arianæ inſaniæ labes attigit; renova veterum „ Patrum veſtigia, & dilectionis erga nos fundamento, quod „ a te jactum eſt, da operam, ut ſuperſtruas frequentiâ ſa„ lutationum: Sic enim poterimus vicini inter nos eſſe ſpi„ ritu, etiamſi habitatione terreſtri plurimùm ſejungamur.

„ Tuus autem in Beatiſſimum Dionyſium Epiſcopum ar„ dor animi, omnem de te erga Dominum amorem, reve„ rentiam in Anteceſſores, & ſtudium Fidei teſtatur. Animi „ enim erga fideles Conſervos affectio refertur ad Dominum, „ cui ſervierunt; & quiſquis eos, qui pro Fide decertarunt, „ honorat, eodem ſe Fidei ardore accendi oſtendit, itaut una „ & eadem actio multiplicis virtutis teſtimonium habeat. No„ tum autem facimus tuæ in Chriſto caritati, optimos Fra„ tres, qui a tua pietate ad boni operis miniſterium electi „ fuerunt, primùm quidem toti Clero laudem conciliaſſe mo„ rum ſuorum concinnitate; ſiquidem ſuâ ipſorum modeſtiâ „ communem omnium gravitatem indicabant; deinde verò „ omni ſtudio ac diligentiâ uſos, hyemem imperviam non re„ formidaſſe, ac omni conſtantia fidelibus Beati Corporis Cu-

ſtodi-

„ ſtodibus perſuaſiſſe, ut ipſis ſuæ ipſorum vitæ præſidium
„ concederent. Noveris autem, numquam futurum fuiſſe, ut
„ Principatus, aut hominum Poteſtates vim hominibus illis
„ afferre poſſent, niſi horum Fratrum animi firmitas eos fle-
„ xiſſet, ut cederent. Contulit autem plurimùm ad optatam
„ rem conficiendam & cariſſimi ac religioſiſſimi filii noſtri
„ Theraſii Compresbyteri præſentia, qui laboribus itineris ſpon-
„ te ſuſceptis, vehementiorem Fidelium illius Loci impetum
„ compreſſit; &, cùm reluctantes oratione ſuâ flexiſſet, co-
„ ram Presbyteris, Diaconis, multiſque aliis Deum timenti-
„ bus, ſublatas cum debita reverentia Reliquias Fratribus ſer-
„ vavit; quas vos tanto cum gaudio ſuſcipite, quanto cum
„ mœrore proſecuti ſunt illarum Cuſtodes. Nemo dubitet,
„ nemo ambigat: hic ille eſt invictus Athleta. Oſſa illa no-
„ vit Dominus, quæ unà cum beata anima dimicarunt. Hæc
„ cum ipſa coronabit in juſta illa remunerationis ipſius die, uti
„ ſcriptum eſt: *Oportet nos ſtare ante Tribunal Chriſti, ut re-*
„ *ferat unuſquiſque, ſecundùm ea quæ per corpus egit* (a). Una
„ Arca erat, quæ venerandum illud Corpus excepit: nullus
„ prope ipſum jacuit; inſigne fuit Sepulcrum; Martyris honor
„ ei delatus. Chriſtiani, qui ipſum hoſpitio receperant, tunc
„ & ſuis manibus depoſuerunt, & nunc extulerunt. Hi fleve-
„ runt quidem, tamquam a Patre & Patrono orbati; ſed tamen
„ proſequti ſunt, gaudium veſtrum ſuæ conſolationi præferen-
„ tes. Pii ergo, qui tradiderunt; diligentes, qui ſuſceperunt.
„ Nuſquam mendacium, nuſquam dolus: teſtamur nos; extra
„ calumniam ſit apud vos veritas.

K 2 SAN-

(a) *Ad Roman. XIV. v. 10.*

SANCTUS AMBROSIUS.

Mortuo Auxentio Sanctus Ambroſius, a quo reparandum erat in omni Italia Fidei Catholicæ decus, noto jam miraculo Infantis ipſum in Epiſcopum acclamantis, ex Præfecto Italiæ delectus eſt in Mediolanenſem Antiſtitem Anno CCCLXXIV. Parentem habuit alterum Ambroſium, nobiliſſimum Romanum Civem, miſſum in Gallias Præfectum Prætorio; Sed quo anno in lucem emiſſus fuerit Ambroſius noſter, in incerto verſamur, cùm alii eidem tribuant vitæ annos LXIV., alii tantùm LVII.

Celebrius dubium eſt de Loco, in quo primas hauſerit auras; ſiquidem non ſecus ac de Homero, ita de Ambroſii ſolo natali plures Urbes contendunt. Scriptorum aliqui eumdem Romæ natum aſſerunt, cùm ipſemet Ambroſius Civitatem illam appellet *Patriam ſuam*, ductumque in Gallias volunt adhuc infantem. Verùm hæc opinio facilè refellitur, cùm verè a Romana Urbe originem Familia habuerit, a qua nonniſi ad tempus aberat Pater, adeòque *Patria ſua* dici ab Ambroſio Roma poterat. Itaque communiùs Auctores tradunt, ortum illi in Galliis contigiſſe. Sed, cùm in ea Provincia tres Urbes ſibi hanc vendicent gloriam, unaquæque ſibi adſcribit Sedem, in qua Præfectus Prætorio legem dabat, *Treveris* nempe, *Lugdunum*, & *Arelates*, atque adeò quælibet earum primos excepiſſe nobiliſſimi hujus Infantis vagitus gloriatur. Tillemontius extra omnem dubitationem ſtatuit ejuſdem

Digitized by Google

dem ortum in Urbe Trevirenſi; Theophilus autem Raynaudus peculiari Diſſertatione evincere conatur, Sedem Præfecti Prætorio tunc conſtitiſſe Arelate, atque ibidem natalem ſuum Ambroſium duxiſſe.

Poſtremus fuit Præſul noſter ex Liberis Genitoris; primò enim edita fuit Marcellina, dein Satyrus, appellatus etiam *Uranius*; poſtmodum Ambroſius. Creſcente illius dexteritatis & prudentiæ famâ, miſſus eſt in Inſubriam ad gerendum munus Italiæ Præfecti; ſubinde Mediolanenſis Eccleſiæ renunciatus Antiſtes, patrimonium omne, quod amplum erat, ad Eccleſiam & pauperes tranſtulit, curamque omnem domeſticæ rei in Satyrum Fratrem ſuum rejecit. Singulis Dominicis diebus verba facere ad Populum Ambroſium conſueviſſe, teſtis eſt Sanctus Auguſtinus Libr. VI. Confeſſion. Cap. III., quamvis deſiderati ſermones ſuos paſſus non ſit in Feſtis celebrioribus, & etiam ſemel atque iterum eodem die, ùt in ejuſdem Vita tradunt Monachi Maurini. Theodoretus auctor eſt, Ambroſium, ſtatim ac Epiſcopus fuit, Valentiniano I. Imperatori, acri objurgatione objeciſſe, quæ malè a Magiſtratibus ſuis, in miniſteriis eorumdem curæ ac fidei commiſſis, gerebantur; Cæſarem verò reſpondiſſe, libertatem hanc gratam ſibi eſſe, proinde animæ ſuæ ſaluti medicinam opportunam præſtare impoſterum non renueret. Sed citò Imperator ille vitam reliquit, defunctus Anno CCCLXXV.

Triennio poſt Ordinationem Sancti noſtri Antiſtitis, Satyrus ejuſdem Frater in Africam trajicere decrevit, reluctante licèt Ambroſio, ut debitam ipſi non modicæ pecuniæ ſummam redimeret a quodam Proſpero, qui eam ſolvere detrectabat,

ctabat, avaritiæ ſuæ indulgens, & falſa opinione ductus, quòd Ambroſius terrenarum rerum amorem a ſe ablegaſſet, deſpiceretque divitias. Cùm reditum in Italiam maturaret Satyrus, ac navim conſcendiſſet, exortâ repentè violentâ procellâ, ut tutiùs cum fluctibus luctaretur, quaſſatâ navi Euchariſticam ſalutarem Hoſtiam a Catholicis infortunii conſortibus petiit, eamque in orario depoſitam collo appendens ſe in mare demiſit, ac voto Sancto Martyri Laurentio nuncupato, incolumis ad litus evaſit, atque ab Africano Catholico Epiſcopo (ut veriſimiliùs tradunt Hermannus (*a*) & Tillemontius (*b*)) Baptiſmi & Euchariſtiæ Sacramenta ſuſcepit. Huic Metropoli reſtitutus Marcellinam Sororem Româ huc delatam invênit, ut Fratri Ambroſio ob graviſſimum morbum vitæ periculo laboranti opem ſuam conferret. Quæ fuerit utriuſque lætitia in adventu Satyri, refert ipſe Ambroſius in funebri ejuſdem Oratione. Citò tamen in lacrymas recidit gaudium; poſt breve namque tempus ſex menſium ereptus eſt e vivis dilectiſſimus Frater. Mortui laudes proſequutus eſt Ambroſius in gemino Sermone, quem publicè habuit tum in Solemnibus Inferiis, tum in ſeptimo ab obitu die. In tam gravi orbitate vicit tenerum fraternæ dilectionis ſenſum infracta Ambroſii conſtantia; quippe & feretro humeros ſupponere voluit, & præſente cadavere e ſuggeſtu perorare. Acta hæc ſunt Anno CCCLXXIX, quemadmodum concordes aſſerunt Hermannus, Tillemontius, & Monachi Maurini (*c*).

Agitata celebris quæſtio fuit, quo in loco Satyri Corpus

(a) *In Vita Sancti Ambroſii gallicè ſcripta.*
(b) *In Notis ad Vitam ejuſdem Ambroſii.*
(c) *In Vita Sancti Ambroſii chronologicè deſcripta.*

pus depoſuerit Sanctus Ambroſius; alii enim in Eccleſia Portiana, Sancto poſtmodum Victori dicata, apud hujus Martyris Corpus ſepultum contendunt, alii in Ambroſiana Baſilica, & in Sacello, quod olim dicebatur *Sancti Victoris in Cœlo aureo* tumulum habuiſſe teſtantur. Raphaël Moneta pro Baſilica Portiana ſtetit, edito typis contra Puricellum integro Libro; hic verò quaſi pro Aris & focis decertans, altero impreſſo Libro, ad refutanda Adverſarii argumenta vindicem calamum impendit. Attamen ſi abſque ſtudio Partium rem hanc ſincerè velimus expendere, primus lapis, quem ſententiæ ſuæ firmandæ jacit Puricellus, ſed valdè nutans, eſt Satyrum obiiſſe Anno CCCLXXXVII. Verùm Scriptores ſuperiùs relati, ex verbis ipſis Sancti Ambroſii, uno omnes conſenſu ſtatuunt, Satyrum deceſſiſſe octennio ante: Quo poſito, quis non videt, ejuſdem Corpus deponi minimè potuiſſe in Ambroſiana Baſilica, quæ nondum extructa erat & conſecrata? Siquidem illam a ſe conditam non dedicavit Ambroſius, niſi ſeptimo poſt anno, nempe CCCLXXXVI., inventis, translatiſque in illam Sacris Corporibus Protaſii & Gervaſii, ùt conſtat ex eodem Ambroſio in Epiſtola ad Sororem. Nos tamen in hac Cauſa abſtinemus a proferenda ſententia, ne inſignibus hiſce Eccleſiis inter ſe decertantibus de tam pretioſo theſauro, aliquid decoris invidere videamur. Certè Sanctus Carolus hæc Sacra Corpora recognovit in Eccleſia Portiana Anno MDLXXVI., eaque, ſolemni inſtitutâ per Urbem ſupplicatione, ſub Majori Ara recondidit, quemadmodum in ejuſdem Vita Libr. III. Cap. IX. refert Guſſianus, qui ait, ſecuro teſtimonio compertum fuiſſe Corpus Sancti Satyri, Fra-

tris

tris Sancti Ambroſii, ibidem jacentis; atque ob id ſummam ab ipſo Antiſtite lætitiam fuiſſe conceptam.

Nota eſt omnibus Juſtinæ Imperatricis perfidia, quæ abutens auctoritate infantis Filii ſui Valentiniani II., omnem lapidem movit, ut populum contra Ambroſium concitaret, illumque ab Urbe depelleret. Sed non ita perſpicuum eſt nomen alterius Auxentii Ariani Epiſcopi, infenſiſſimè contra Ambroſium furentis; a nonnullis enim confundi cum Auxentio ſeniore tradit Baronius; qui tamen in eo fallitur, quòd aſſerat, hunc falſum Epiſcopum appellatum priùs fuiſſe Auxentium in Patria ſua, dein Mercurinum Mediolani, ut mutato nomine ſeſe obtegeret, ac ſecuriùs hìc moraretur: Contrarium namque docent Tillemontius, & Monachi Maurini, ſcribentes, novam hanc peſtem e Scythia Mediolanum delatam, ibidem nomen geſſiſſe Mercurini; in Urbe autem noſtra Auxentium ſe dici voluiſſe, ut Arianorum gratiam iniret, qui nomen Auxentii anteſignani olim ſui venerabantur. An is delectus fuerit in Epiſcopum ab aſſeclis ſuis, ſtatim ac deceſſit prior Auxentius, non ſatis liquet: Conſtat quidem, Juſtinam Auguſtam, non tam fœmineam ſuam rabiem & Aulicorum verſutias, ſed etiam vim militum adhibuiſſe, ut Baſilica primùm Portiana, dein Baſilica Nova huic perfido Epiſcopo, ſuiſque Clientibus ab Ambroſio dimitteretur. Quid Præſul noſter invictiſſimus egerit in rebus adeò afflictis, narrat ipſe in Oratione *de Tradendis Baſilicis*, & in Epiſtola *ad Marcellinam Sororem*.

Inquirendum ſolummodo remanet, quænam foret hæc *Baſilica Nova*, quam Arianis cedere Præſul noſter jubebatur. Por-

Digitized by Google

Porro Intramurana non fuit, quæ *Nova* & *Major* dicta eſt tum a Paulino, tum ab eodem Ambroſio; in ea enim tunc ipſe Sacris operabatur, nec tanta erat Arianorum audacia, ut principem Eccleſiam occupare tentarent. Neque aſſeri poteſt, fuiſſe Ambroſianam Baſilicam; cùm enim iſta acciderint Anno CCCLXXXV., Templum illud nondum Dedicationem acceperat, quam ſequente tantùm anno, ut diximus, Ambroſius peregerat. Itaque Tillemontius cenſet, fuiſſe Baſilicam Apoſtolorum extra Portam Romanam, quam ipſe Ambroſius paulo ante, ideſt Anno CCCLXXXII. conſtruxerat, ditaveratque eorumdem Reliquiis, Româ huc traductis a Sancto Simpliciano.

Invaluerat Mediolani, ac ferme in omnibus Italiæ Eccleſiis prava conſuetudo, quæ religionis ſpecie obvelata in Sacrarum Ædium dedecus deſciverat; deferebantur namque paſſim a Populo ad Sepulcra Martyrum, in Loco ipſo precum & Sacramentorum, non ſecus ac ad Cœmeteria, panis vinum & dapes, velut in Martyrum honorem, & mortuorum ſolamen; revera tamen, utplurimum vivorum erant tripudia, qui ſeſe cibis potuque ad ebrietatem uſque infarciebant. Superſtitioſum hunc morem, Paganiſque ritibus affinem Anno CCCLXXXIV. prorſus abolevit Ambroſius; illumque ceteri per Italiam Epiſcopi ſuis ab Eccleſiis proſcribere curaverunt. Baronius cenſuit, hiſce Præſulis noſtri & aliorum Antiſtitum Decretis ſublata fuiſſe Convivia illa, quæ in uſu erant primis Eccleſiæ Seculis, quibus, cùm recurreret ſolemnis aliqua Chriſti aut Sanctorum dies, ad mutuam ſovendam caritatem Clerus populuſque in Sacris Ædibus menſas inſtruebat; eaque græco vocabulo *Agapes*

vocabantur. Verùm Tillemontius, ubi de Sancto Ambroſio agit Cap. XXXVI., optimè animadvertit, confundi a doctiſſimo hoc Viro conſuetudinem memoratam cum Agapis, Sanctum Auguſtinum hujus rei Teſtem adducens, qui licèt vires omnes intenderit, ut illam in Africa quoque vigentem extirparet, Agapes tamen contra Manichæos egregiè propugnavit Libr. XX. Cap. XX. contra Fauſtum. Imo ex eodem Sancto Auguſtino Libr. VI. Confeſſion. Cap. II. diſcimus, quænam Convivia deleta fuerint a Sancto Ambroſio; narrat enim, cùm Beata Mònica Mater ſua Mediolanum veniſſet Anno CCCLXXXIV., *ſobrium prandium more ſuo ſupra ſacros tumulos ferre voluiſſe; at fuiſſe eam ab Oſtiario, quem idcirco ibi conſtituerat Ambroſius, prohibitam*. In noſtra certè Eccleſia prandia illa, quæ Agapes appellabantur, multis poſt Sanctum Ambroſium Seculis inter Eccleſiaſticos Viros perduraverunt; Beroldus enim Scriptor Seculi XII., referens cæremonias & ritus Ambroſianæ Eccleſiæ qui tunc adhibebantur, & Feſtos præcipuos dies, dicatos Domino & Sanctis, ſæpiùs adnotat prandia, quæ Archiepiſcopus aut Abbates Cœnobiorum, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, aliiſque ex Clero dare tenebantur; idemque enunciatum legimus in multis antiquis Archivorum Chartis uſque ad Seculum XV. Alibi maturiùs Convivia hæc defecerunt, ſaltem quoad Laicos, cùm apud intemperantem plebem, in luxum atque corruptelam degeneraſſent; atque ideo ab Epiſcopis Conciliiſque damnata fuere. Sed de his fuſiùs ſuo loco differemus, cùm de Ritibus Ambroſianæ Eccleſiæ ſermo erit.

Memorato Anno CCCLXXXIV. Mediolanum delatus eſt Auguſtinus, miſſus a Symmacho Præfecto Urbis, ad quem Ci-

vitas

vitas Mediolanenſis Legatos deſtinaverat, ut eximium in publico Gymnaſio Rhetoricæ Interpretem impetraret. Acta celebris hujus Viri legimus narrata a ſe ipſo in Libris Confeſſionum. Quatuor ferme annis apud nos moram traxit, Ambroſii Sermonibus & conſuetudine delectatus; atque a Simpliciano plurimùm adjutus, ut Catholicæ Fidei nomen daret.

Supereſt diſcutiendum, quo anno, & quo in loco Sacrum Baptiſmatis Sacramentum a Sancto Ambroſio Auguſtinus ſuſceperit. Opinio quæ in vulgus prodiit, quæque etiam inſculpta fuit marmori, poſito ſub finem Seculi XVII. in fronte Ædis Sancto Auguſtino dicatæ & Mediolani extructæ prope Eccleſiam & Cœnobium Ambroſianum, ea eſt, Sanctum Auguſtinum baptiſmalibus undis expiatum ibidem fuiſſe Anno CCCLXXXVIII. Utrumque tamen falſum eſt; ſiquidem ex hoc ipſo Sancto Doctore, in prædictis Confeſſionum Libris conſtat, eumdem baptizatum fuiſſe Anno ſuperiore, in Pervigilio Paſchatis, poſt Inventionem Sacrorum Corporum Protaſii & Gervaſii, quemadmodum adnotant Tillemontius, Monachi Maurini, aliique Scriptores. Quòd verò in Loco, ubi in præſentia ſurgit Ædes Sancti Auguſtini proximè relata, Baptiſmum receperit, veteri Eccleſiæ diſciplinæ omnino repugnat; Joſeph namque Vicecomes in Libr. I. *de Ritibus Baptiſmi*, Cap. VI., Ludovicus Thomaſſinus *de antiqua & nova Eccleſiæ diſciplina*, & recentiſſimè Ludovicus Antonius Muratorius *in Anecdotis Latinis* Tom. I. conſtanter tradunt, unum tantùm in Urbibus Baptiſterium tunc temporis extitiſſe: Hoc autem, teſte ipſo Sancto Ambroſio, conſtructum erat prope Intramuranam Eccleſiam, quæ Major erat (neque enim intra Eccleſiam, ſed foris ætate illa Baptiſmales

L 2 Fon-

Fontes condebantur) quemadmodum apertè diſcimus ex Oratione *de Tradendis Baſilicis* . Eccleſia Baptiſterii prædicti appellabatur *Eccleſia Sancti Joannis ad Fontes*, , ut ſcriptum reliquit in ſua Hiſtoria Landulphus Senior, & media erat inter Eccleſiam Majorem , & Sanctæ Theclæ .

Anno CCCXC. contigit celeberrima ſimul & infauſta Theſſalonicenſium cædes ſontium ſimul & inſontium , juſſu Theodoſii Imperatoris peracta , ob ſeditionem illius Urbis Civium , qui necem intulerant Præfecto aliiſque Cæſareis Miniſtris . Delato ad Theodoſium hoc nuncio , Sanctus Ambroſius eumdem adiit , rogavitque ut veniam ſceleri daret , & a piiſſimo Cæſare gratiæ petitæ ſponſionem accepit . Verùm Theodoſius Aulicorum perſuaſionibus victus , non admonito Ambroſio , præcepit ut a Militibus Cives Ludis Circenſibus adſtantes indiſcriminatim occiderentur . Ingemuit hoc audito Ambroſius , & cum illo Epiſcopi omnes , qui tunc ad Concilium convenerant , ut Itachianos & Felicem Trevirenſem Epiſcopum ab ipſis conſecratum damnarent ; cùmque Mediolanum adventaret Theodoſius , opportunum duxit Sanctus Præſul Urbe excedere , ne recens vulnus acerba manu tractatum exaſperaret , ſcripſitque ad eum Epiſtolam , in qua criminis gravitatem exponens ſubjunxit , ſe , ipſo adſtante , Sacrificium offerre non poſſe . Reverſus verò , cùm intellexiſſet Theodoſium ad Eccleſiam properare , obvius eidem factus , Imperatorem repulit ab ejuſdem ingreſſu .

Duo hinc emergunt expendenda , nempe a quo Templo , & qua ratione Ambroſius Theodoſium ingredi volentem rejecerit . Nonnulli cenſuere , Baſilicam a noſtro Præſule ædificatam , atque appellatam ipſo adhuc vivente *Ambroſianam* , fuiſſe ab eo-

eodem auctam Metropolitanæ honore, necnon in illam commigraſſe Primarium Clerum, vitamque communem cum Ambroſio ibidem duxiſſe; eam verò eſſe Baſilicam, a qua Theodoſius repulſam tulit. Verùm quàm inani fundamento hæc ſcripta ſint, oſtendere conati ſumus *in Diſſertatione ad vindicandam veritatem* &c. Cap. III., quam pro Metropolitano Primario Clero Mediolani edidimus Anno MDCCXXXIII., tum auctoritate Theodoreti, qui intra Urbem id contigiſſe narrat; Ambroſiana verò longè a muris diſtabat; tum Ambroſii & Paulini teſtimonio, qui Intramuranam Eccleſiam, *Majorem* appellant. Certè ibidem ſolemnioribus anni diebus Sacra miniſteria ſe peregiſſe, antequam Ambroſiana dedicaretur, diſertis verbis teſtatur Ambroſius.

Quod ſpectat ad modum repulſæ, vulgata Traditio, quam etiam Baronius amplexus eſt in Vita Sancti Ambroſii, refert, eumdem Theodoſio adventanti poſtes Eccleſiæ clauſiſſe. Nihil tale memorant antiqui Auctores, qui rem hanc diſtinctim enarrant; Theodoretus enim tradit, occurriſſe Ambroſium ante veſtibulum, eique imperaſſe, ne ulteriùs procederet; Sozomenus ait, obviam iviſſe Ambroſium Theodoſio, cùm jam ad oſtium perveniſſet, & apprehensâ illius purpurâ ſiſtere gradum juſſiſſe; Nicephorus Caliſtus eadem narrat de apprehenſa Imperatoris purpura, & de indicto eidem præcepto, ne ſacræ Ædis veſtibulum tangeret; demum recentior etiam Scriptor Hermannus Sancti Ambroſii Vitam gallicè conſcribens, eadem eruditè confirmat. Quidquid tamen de hoc ſit, immortali laude digni ſunt tum Præſul noſter, tum etiam Theodoſius; alter, quòd admi-

admirabili fortitudine reſtiterit potentiſſimo Cæſari, alter, quòd ignotâ Aulis demiſſione & præceptum & pœnam ſuſceperit. Neque enim parvî huic conſtitit, Ambroſio ſatisfacere; licèt enim ſæpiùs rogaretur a Principe, ut ipſi tamdem libertatem illam elargiretur, qua infimi quique plebis gaudebant, flecti renuit Ambroſius, atque per octo menſium ſpatium longè ab Eccleſia Theodoſium detinuit. Annuit demum precibus afflicti Cæſaris Sanctus Antiſtes, illum admittens in Eccleſiam, eique Sacramenta miniſtrans in Natalitia Solemnitate, ùt Theodoretus teſtatur; ſed priùs datâ ſponſione publicè pœnitentiam agendi, condendique Legem proprio nomine ſubſcriptam, qua cavebatur, ne Reus ullus extremo ſupplicio afficeretur, niſi poſt diem a condemnatione trigeſimùm. Quàm obſequens fuerit Theodoſius utrique Ambroſii præcepto, eorum temporum narrant Hiſtorici. Ingreſſus Templum, toto corpore in humum ſe dejecit, gemituque ac lacrymis veniam exoravit. Quocirca laudari meruit ob tam inſignem pietatem a Sancto Ambroſio in Oratione ab ipſo habita in ejuſdem Cæſaris obitu. Quinque annos ſuperſuit religioſus hic Princeps, nempe uſque ad Annum CCCXCV., atque hoc temporis intervallo, ùt ibidem ait Ambroſius, *nullus dies præteriit, quo non doleret commiſſum errorem*.

Neque unica tantùm vice Theodoſio Cæſari obſtitit Sanctus noſter Antiſtes; cùm enim ſemel Divino Sacrificio intereſſet, & ad Aram Maximum dona ſua de more obtuliſſet, atque in area Sacerdotalis Chori conſtitiſſet, ut Sacrâ Synaxi reficeretur, non tulit hanc licentiam in Laico homi-

homine, licèt Occidenti atque Orienti univerſo imperante, Sanctus Ambroſius, Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindex acerrimus; ſed per Diaconum ſuum illum admonuit, ut inde recederet, *purpura* enim, ùt ipſe ajebat, *Reges & Imperatores facit, non Sacerdotes*. Paruit Theodoſius, ſeque ad communem Euchariſticam Menſam extra cancellos recepit; cùmque iterum Conſtantinopolim adiiſſet, & a Nectario Patriarcha invitaretur, ut intra Sacerdotii ſepta conſidêret, hanc vocem adeò Ambroſio glorioſam emiſit: *Epiſcopum, excepto Ambroſio, novi neminem*. Rem hanc perpetuâ dignam memoriâ narrant Theodoretus & Sozomenus, atque ex iis Benedictini Monachi Pariſienſes in Vitam hujus Sancti Præſulis intulere.

Conſtans fama eſt in noſtra Eccleſia, Sanctum Ambroſium, dum ad Aras Sacrum faceret, interfuiſſe ſpiritu celebrandis Inferiis Sancti Martini Turonenſis Epiſcopi, atque hujus rei vetuſtiſſimum teſtimonium ſupereſt in Odeo Eccleſiæ Ambroſianæ, in quo verſicoloribus lapillis expreſſum viſitur opere muſivo funus ductum memorati Martini ab Antiſtite noſtro. Idem quotannis recitatur in noſtro Ambroſiano Breviario, quod cùm emendare inſtituiſſet Federicus Cardinalis Borromeus, Viros ſacra eruditione inſtructiſſimos conſuluit, ut rem hanc maturè diſcuterent; auditis verò eorumdem votis decrevit, nihil de hac narratione expungendum, præſertim cùm adſit auctoritas Sancti Gregorii, Turonenſis pariter Epiſcopi, qui monumenta & Traditiones in eadem ſua Eccleſia vigentes noſcere potuit, & hiſtoriam hanc Libris ſuis inſeruit. Non acquievere recentis ævi Scriptores, qui nonniſi Anno CCCC., aut etiam biennio poſt, obiiſſe Martinum tradunt. Tillemontius

tius quidem retrahit hanc mortem ad Annum CCCXCVII.; nihilominus Mediolanenſi Traditioni minimè favet, cùm illa contigerit ad III. Idus Novembris, obitus verò Sancti Ambroſii, qui eodem anno deceſſit, pridie Nonas Aprilis affigatur. Nos tamen, cùm videamus, incertum eſſe apud Scriptores etiam magni nominis annum mortis Sancti Martini, recedere nolumus a Traditione noſtra, quæ teſtem habet Auctorem Seculi VI., in eadem Turonenſi Urbe ſcribentem; præſertim cùm alii etiam Auctores pro noſtra ſtent parte, inter quos Caracciolus *in ſua Controverſiarum Biga* Diſſertationem integram edidit, ad hanc tuendam Traditionem.

Cùm proximè admirabilis illius Viri Sancti Martini nomen protulerimus, minimè reticendum cenſemus, non tam hoſpitem illum fuiſſe Mediolani, cùm Sanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus Anno CCCLVI. ab Arianis pulſus eſſet in exilium, ſed etiam, teſte Gregorio Turonenſi ac Severo Sulpitio, primum apud nos Monaſterium conſtruxiſſe. Sanè Sancti Ambroſii ævo in hac Metropoli Monaſterium extabat, illudque memorat Sanctus Auguſtinus in Libro Confeſſionum, inquiens: *Erat Mediolani Monaſterium plenum bonis Fratribus*. An verò illud idem fuerit, quod condiderat Sanctus Martinus, prorſus eſt in incerto. Porro non deſunt, qui de hoc altero differentes, Conditorem ejuſdem faciant Sanctum Ambroſium, a quo deinde appellati ſint illud incolentes, *Fratres Ambroſiani*, poſtmodum per Italiam diffuſi. Sanctus tamen Auguſtinus eumdem Sanctum Ambroſium vocat illius Cœnobii ſolummodo Nutritorem, ſubjungens verbis jam relatis, *ſub Ambroſio Nutritore; & ego neſciebam*. Nos in hac veri-

veritatis indagatione, quam ſcrutari ex antiquitatis ruderibus conantur Scriptores aliqui, aliis perfractè negantibus, calamum nolumus immiſcere, cùm diſceptationes iſtæ extra orbitam provinciæ noſtræ divagentur, & fusè de his Fratribus loquatur Auctor Gallicus Hiſtoriæ Ordin. Religioſ. Tom. IV. Cap. X. . Illud certè omittere piaculum eſſet, quod in ſummam perennem gloriam noſtri Sancti Antiſtitis Ambroſii vergit, videlicet pugnaſſe illum Epiſcopalis animi robore contra Symmachum Romæ Præfectum, qui in ea Imperii perturbatione, junioris Valentiniani puerili ætate abutens, reſtituerat ibidem Aram Victoriæ, & Paganos ſacrilegos ritus in eam reduxerat; Literis enim ad Valentinianum Cæſarem datis, & eloquentiſſima edita Oratione tantum egit, ut Triſtanus Chalcus narrationem ſuam claudens, hanc epigraphen ſubdiderit: *Oratione Ambroſii Veſtales ſublatæ, & æterni illi ignes omnino extincti ſunt*; Quamvis verò ſub Eugenio Tyranno iterum revixerint, eodem tamen victo cæſoque, foci Veſtales in primævum cinerem ſunt relapſi.

Diximus, Sanctam Præſulem noſtrum Ambroſium obiiſſe Anno CCCXCVII. . Henſchennius in Actis Sanctorum, peculiari Diſſertatione ejuſdem deceſſum differt in annum ſequentem; ſed hæc opinio ſectatores non habuit. Maurini Monachi validiſſimis argumentis priorem ſententiam tuentur, præcipuè ob teſtimonium Paulini, qui in Vita Sancti Ambroſii illum ſuperfuiſſe ait Theodoſio ferè per triennium; id autem falſum eſſet, atque ultra triennium poſt illum vixiſſet Ambroſius, ſi differri deberet ejuſdem mors uſque ad Aprilem Anni CCCXCVIII., cùm Theodoſius deceſſerit menſe Januario Anni CCCXCV.

Digitized by Google

Sepulcri Locus nemini ignotus eſt; ſtatim ac enim delatum eſt Sancti Ambroſii Corpus ad Ambroſianam Baſilicam, quam ipſe condiderat, & in qua tumulari voluerat vivens, ibidem uſque ad præſentem diem requievit. Pridie Paſchatis mortem obiit; noſtra tamen Eccleſia, ut fixum diem teneret, memoriam ejuſdem Natalis agit quarto die poſt Paſchalem Solemnitatem: Feſtivum autem diem Sancti Ambroſii tamquam Patroni Metropolis ac Diœceſis colit VII. Idus Decembris, quo ille Epiſcopalem Ordinationem recepit.

Eccleſiam Mediolanenſem vigintitrium annorum ſpatio ſanctiſſimè adminiſtravit.

De Ritibus ab eo inductis, in Opere, quod de hac re meditamur, loquemur.

Supereſt tollendus error, qui invaluit in hac Urbe, nempe Sanctum Ambroſium cum Arianis bello decertaſſe. Patrii Scriptores quamplures id aſſeruere, indicantes Loca, in quibus aut proſperè aut infeliciter pugnam geſſerunt Mediolanenſes cum hoſtibus Catholicæ Fidei, Duce ſancto hoc Antiſtite; quinimo flagello fuiſſe contractos ab Ambroſio Adverſarios venditant. Cùm autem modus hic pingendi Sanctum Ambroſium equo inſidentem non incœperit, niſi poſt victoriam relatam a Luchino in Vico Parabiagi, contra Affines ſuos Imperium Mediolani affectantes; flagellum verò, quod adhuc in piis Supplicationibus publicè defertur, Symbolum tantùm ſit benigniſſimi patrocinii, quod erga nos gerit, Puricellus *in Diſſert. Nazariana* rem hanc diligentiſſimè diſcutit, oſtenditque ex ipſius Ambroſii Libris conſtare, non bello ſed precibus ſanctum hunc Præſulem Fidem Catholicam propugnaſſe: Quamvis negari non poſſit,

concertationes aliquas inter Catholicos Arianoſque tunc temporis actas fuiſſe; ſed numquam Duce, aut imperante Ambroſio, qui in Oratione *de Tradendis Baſilicis* ſcribit, cùm ipſi Sacra facienti ad Altare nunciatum fuiſſet, aliquot Catholicorum aut detentos aut fauciatos male haberi a Militibus, ſeipſum victimam Deo obtuliſſe, paratum etiam, ſanguinem effundere, dummodo alieno ſanguini parceretur. Hinc autem manifeſtè deducitur, injurioſum eſſe manſuetiſſimo, plenoque Divina caritate Antiſtiti noſtro, credere, illum aliquando arma ſumpſiſſe, cædeſque ſuorum intrepidis oculis ſpectare voluiſſe.

De Scriptis Sancti Ambroſii non vacat quidquam referre, cùm ejuſdem Opera, Commentariis illuſtrata a Monachis Sancti Mauri, manibus omnium terantur, indicatis ibidem etiam annis, quibus conſcripta fuere ab eximio hoc Eccleſiæ Doctore. Id tantùm adjungimus, ejuſdem eloquentiâ non modicè incitatum fuiſſe Sanctum Auguſtinum, ut in hac Urbe facundiâ Ambroſii allectus, Chriſti vexillum amplecteretur.

Addere quoque hoc liceat, fervidam quæſtionem etiamnum inter Eruditos Viros agitari, quis fuerit Auctor receptiſſimi in univerſa Eccleſia Hymni *Te Deum laudamus*. Traditio noſtra, plurium Codicum MS.torum & ſacrorum etiam Librorum fide roborata, a remotis temporibus continuò illum adſcripſit Sanctis Ambroſio, & Auguſtino, dum Baptiſmalis lavacri ſalutaribus undis emergeret, unà ſimul compoſitum. Recentiores noſtri ævi ac ſuperioris Scriptores id in dubium revocavere, aliis illum referentibus ad Sanctum Siſebutum, aliis ad Sanctum Abundium, aut etiam ad Nicætam, poſtremò quibuſdam ejuſdem Auctorem fuiſſe Sanctum Hilarium affirmantibus. Cajeta-

nus Maria Merati Clericus Regularis, omni laude digniſſimus, in ſuis ad Gavantum eruditiſſimis obſervationibus integram de hoc Hymno Diſſertationem inſtituit, ac fundamenta omnia harum opinionum expendit; ſuam demum enunciat, ſed ſuſpicantis in modum, fuiſſe videlicet hunc Hymnum vel a Sancto Hilario Arelatenſi, vel ab aliquo Lirinenſi Monacho compoſitum. Nos in tam diverſa concertatione ingeniorum, cùm videamus, nullum hactenus certum hujus Hymni Auctorem, cui acquieſcere ſecurè poſſimus, fuiſſe productum, perſiſtendum eſſe arbitramur in antiquiſſima Traditione; præſertim cùm immortalis memoriæ Cardinalis Bona inter manuſcriptas correctiones, quas Pſalterio Romano, quo nunc Baſilica Vaticana utitur, adhibendas adnotaverat, hæc afferat: *Quamvis Hymnus* Te Deum Laudamus *in Pſalterio manuſcripto Baſilicæ Vaticanæ nomen præferat Sancti Siſebuti, non eſt tamen recedendum ab antiqua Traditione, quæ Sanctis Ambroſio & Auguſtino ipſum tribuit, cùm ſit communiter recepta*. Idem reponi poteſt ceteris Codicibus manu exaratis, qui alios hujus Hymni Conditores in fronte præſeferunt. Quouſque igitur a cimeriis hiſce tenebris veritas non extricetur, Metropoli noſtræ gloriam hanc vindicabimus, quòd vel a ſolo Ambroſio, ut in quibuſdam MS.tis vetuſtis Codicibus legitur, vel ab utroque univerſæ Eccleſiæ Doctore Ambroſio & Auguſtino, primò hìc conditus prolatuſque ſit celebratiſſimus iſte Hymnus.

Ennodius in Sancti Ambroſii laudem carmina hæc ſcripſit:

Egit

Egit quod docuit, meritis & honore ſuperſtes
Ambroſius Vates, moribus, ingenio.
Roſcida regifico cui fulſit murice lingua,
Vere ſuo pingens germina quæ voluit.
Serta redimitus geſtabat lucida fronte,
Diſtinctum geminis ore parabat opus.
Inſtituit populos geſtu; probitate, pudore,
Fovit reſpiciens, pertulit, admonuit.
Vatis ut officium poſtrema pericula poſcunt
Sic teneras culpas qui tacet, inſequitur.
Succinctus gladiis, clypei de pondere tutus,
Pectora claudebat textilibus Chalybis.
Enſis habet vires vitiorum ſector & hoſtis.
Vipera non tangit ſquammea terga viri.

SANCTUS SIMPLICIANUS.

Erepto e vivis Ambroſio, ſuffectus eſt in Mediolanenſem Epiſcopum Sanctus Simplicianus. De ejus natalibus primiſque annis nihil a Majoribus nobis relictum fuiſſe Tillemontius quoque fatetur. Ferrarius in Annotationibus ad Catalogum Sanctorum Italiæ dubitare videtur, an Patriâ Mediolanenſis fuerit, eò quòd a Sancto Auguſtino appelletur *Presbyter Romanus*. Nihil tamen id officit Traditioni Civium noſtrorum, qui de illo tamquam de Cive ſuo hìc nato gloriantur, cùm Patriam habere potuerit Mediolanum, & Sacerdotium Romæ, ùt optimè animadvertunt Bollandiſtæ ad diem XVI. Auguſti. Vita Sancti Simpliciani a Mombritio edita, Patrem etiam ejuſdem nominat Ludovicum, & Matrem Senedragam, eumque natum in Pago Betuatenſi tradit. Parum tamen fidere poſſumus huic teſtimonio tum ob barbarum nomen Matris, tum ob nativitatis Locum, Scriptoribus noſtris ignotum. Sicut neque ſubſcribere debemus Ripamontio qui ait, illum prodiiſſe ex Familia, quam Cæſares ob honoris vocabulum *Capitaneam* vocavere; nomina enim hujuſcemodi Familiarum longè ſeriùs ab ea ætate audiri in hac Urbe cœperunt.

Romæ cùm eſſet Sanctus Simplicianus celebrem ſe reddidit, ob converſum ad Catholicam Fidem Victorinum, eloquentiſſimum Rhetorem, totâ admirante alma illa Metropoli, quæ Statuam eidem erexerat in Foro Trajani, ad perenne monu-

men-

mentum exiſtimationis conceptæ de ſingulari Victorini doctrina: Colebat ipſe Paganam ſuperſtitionem, thura ſacrilega Idôlis incendens. Hunc adortus eſt Simplicianus tam ſuavi ac induſtri patientiâ, ut illum tamdem expugnaverit, & Chriſtianæ Religionis propugnatorem effecerit. Siquidem Victorinus, poſt ſuſceptum publicè Baptiſmum, plures contra Paganos Arianoſque Libros conſcripſit, quos Sanctus Hieronymus aliique recenſent.

Baronius narrat, Simplicianum a Damaſo Summo Pontifice miſſum fuiſſe ad hanc Metropolim, ut Ambroſio, e Præfecto Italiæ in Epiſcopum renunciato, tamquam Magiſter & Monitor in rebus Sacris adſtaret. Tillemontius id nullo fundamento ſcriptum dicit; attamen ſive ſponte ſua, ſive Pontificis Maximi mandato ad nos acceſſerit Simplicianus, certum eſt, a Sancto Ambroſio habitum fuiſſe tamquam ſuum Patrem; idemque profeſſus eſt de ſeipſo Sanctus Auguſtinus; ad ejus namque converſionem ad Catholicam Fidem familiaribus ſermonibus exemploque plurimùm ille contulerat.

Præſens fuit Sancto Ambroſio morienti Simplicianus; cùmque in Cubiculo de Succeſſore inter Domeſticos ſermo fieret, & a quibuſdam deſignaretur Simplicianus, audita eſt Ambroſii pene ſpiritum agentis vox, ter hiſce verbis expreſſa: *Senex, ſed bonus*. Itaque poſt ejuſdem obitum, ſuffragiis omnium in Epiſcopum eſt delectus. Ughellus ſcribit, Simplicianum ex Archidiacono Majoris Eccleſiæ Ambroſianum ſolium conſcendiſſe; verùm a quo fonte id hauſerit, latet. Coævi Scriptores non alio eum titulo appellant, quàm *Romani Presbyteri*.

Hanc Eccleſiam tantâ doctrinæ & ſanctimoniæ famâ adminiſtravit, ut Patres Synodi Chartaginenſis III. celebratæ illomet

met Anno CCCXCVII. Syricium Papam, & Simplicianum conſuluerint in dubia ea Cauſa, an admittendi eſſent ad Clericalem Ordinem illi, qui Baptiſmum a Donatiſtis ſuſceperant. Addit Tillemontius, etiam Concilium Toletanum nihil decernere voluiſſe in Cauſa receptionis Priſcillianiſtarum, antequam intelligeret, quid in hac re ſentirent Syricius, & Simplicianus.

Hujus Epiſcopi tempore delatæ ſunt Mediolanum Reliquiæ Sanctorum Martyrum Siſinii, Martyrii, & Alexandri, qui inſigni conſtantiâ crudeliſſimam, per vulnera & flammas ab Idololatris illatam toleraverant mortem in Valle Anauniæ Tridentinæ Diœceſis, triennio ante, ideſt Anno CCCXCVII. Nec ſine miraculo Cœci, ad illarum in hanc Urbem adventum oculorum uſum recipientis peracta eſt hæc Translatio. Eas ad Simplicianum Epiſcopum dono miſit Sanctus Vigilius, Tridentinus Antiſtes. Depoſitæ fuerunt a Sancto noſtro hoc Præſule in Eccleſia, quæ conſtructa fuiſſe dicitur a Sancto Ambroſio, & ab ipſo dicata Deiparæ Virgini, atque omnibus Sanctis Virginibus, ac ſubinde Sancti Simpliciani nomen accepit poſt ſepultum in ea Corpus ipſius, qui apud hoſce Martyres tumulari voluit, non ſecus ac Prædeceſſor ſuus Ambroſius apud Martyres Protaſium atque Gervaſium. Patrocinium Sanctorum Siſinii, Martyrii, & Alexandri, magna Oſſium parte in memorata Eccleſia quieſcentium, experti ſunt Seculo XII. Mediolanenſes Cives; cùm enim committeretur prælium contra Federicum Ænobarbum, viſæ ſunt evolare ex eorum Tumulo tres columbæ, atque in vertice Carrocii conſiſtere. Omen itaque victoriæ inde capientes, tanto ardore

in

in hoſtem irrupère, ut eum prorſus deleverint. Contigit hæc felix pugna die XXIX. Maji, quo horum Martyrum memoria colitur: Quamobrem Civitas noſtra diem illum, feſtum voluit, juſſitque ut impoſterum pia Supplicatio Primorum Urbis, & Artificum ſub ſuis Vexillis ad eorumdem Tumulum inſtitueretur, Sigonio in Hiſtoria Italiæ, & Puricello *in Monument. Baſilicæ Ambroſianæ* id referentibus. Nunc auctoritate Apoſtolica, Sancto Carolo Borromeo, adnitente ſolemnis iſte Civitatis cultus redactus eſt ad poſtremum menſis Maji Dominicum diem.

Antequam de Sancti Simpliciani obitu differamus, opus eſſe arbitramur referre, ab hoc Sancto noſtro Antiſtite conſecratum fuiſſe Sanctum Gaudentium, primum Novariæ Epiſcopum. Præſenſerat illud Sanctus Ambroſius; cùm enim in occaſum declinante jam Sole Novariâ pertranſiret, Vercellas petens, repentè equus, quo ferebatur, immotus ſtetit, ultro progredi renuens; intellexitque Ambroſius, velle Deum, ut ad Gaudentium tunc ibi commorantem diverteret. Statim ac illum vidit, in amplexus ruit, atque oculos in ipſum figen prophetico afflatus ſpiritu dixit: *Tu eris Epiſcopus, ùt video*; Gaudentius verò eodem ſpiritu actus reſpondit: *Utique; ſed ero ſacrandus ab altero*, prædicens proximam Ambroſio mortem, ſuamque Succeſſori Simpliciano reſervatam inaugurationem in Epiſcopum. Narrat hæc Bollandus in Actis Sanctorum, ad diem XXII. Januarii.

Paucis tantùm menſibus ſupra triennium Mediolanenſis Eccleſiæ regimen tenuit Simplicianus, mortuus Anno CCCC., die XV. Auguſti, quo antiquitus duplex Miſſa canebatur, al-

tera de Sancti Simpliciani depoſitione & Martyrum quos retulimus, altera de Aſſumptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ùt conſtat ex Miſſali MS.to vetuſtiſſimo, apud nos aſſervato. Poſtmodum in diem ſequentem Sancti Simpliciani Sacra & Officium dilata fuere, ut integer cultus Aſſumptionis Cœli Reginæ relinqueretur, quemadmodum etiam in præſentia, noſtra ſervat Eccleſia.

Diximus obiiſſe hunc Sanctum Antiſtitem noſtrum Anno CCCC., contra nonnullos Scriptores, & etiam Catalogos, qui eidem tribuunt octo vel decem annos Sedis; id enim veritati omnino repugnat. Siquidem Concilium Chartaginenſe IV., vulgò V., Anno CCCCI. celebratum, Legationem ad Anaſtaſium Summum Pontificem, Syricii Succeſſorem, & Venerium Mediolani Epiſcopum direxit, ut infra videbimus. Imo Pagius animadvertit, Literas Concilii Toletani I. ſuperiùs memoratas, quæ datæ ſunt III. Idus Septembris Anni CCCC. inveniſſe Simplicianum jam mortuum menſe ſuperiori; quod Patres illi, cùm ſcriberent, reſcire nondum potuerant.

Plura de Sancto Simpliciano ad nos tranſmiſit Majorum Traditio. Primum eſt, ab ipſo delatas fuiſſe Româ ad Beatum Ambroſium Reliquias Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Narrat hoc Landulphus Senior, Seculi XI. Scriptor, Libr. I. Cap. VII., qui ſubdit, Sanctum Ambroſium ſtudiosè quæſitas aliorum Apoſtolorum Reliquias condidiſſe in Baſilica, quam extra Portam Romanam ædificaverat, indito illi nomine *Baſilicæ Apoſtolorum*. Certè Paulinus in ejuſdem Vita refert, poſt inventa Corpora Sanctorum Martyrum Nazarii & Celſi, translatum fuiſſe a Sancto Ambroſio Corpus Sancti Nazarii

zarii ad Baſilicam memoratam, *ubi pridem Sanctorum Apoſtolorum Reliquiæ ſumma omnium devotione poſitæ fuerant*. Quæ autem forent iſtæ Reliquiæ, nec Paulinus, nec Landulphus enunciant. Carolus a Baſilica Petri *in Vita Sancti Caroli Borromei* Libr. V. Cap. VI. narrat, in Recognitione Reliquiarum prædictæ Baſilicæ non inventa fuiſſe. Oſſa aliqua Apoſtolorum, ſed Brandea & Velamina, quæ tamquam Reliquias Apoſtolorum a Fidelibus coli Sanctus Carolus voluit, id enim congruit antiquæ diſciplinæ, quæ in Romana Eccleſia vigebat. Siquidem non aliqua Corporum pars e Tumulo Sanctorum Apoſtolorum extrahebatur, ſed Brandea tantùm ſeu Velamina Sanctorum Corporibus ſuperimpoſita dono mittebantur, ùt ex Sanctis Leone & Gregorio Magno, Summis Pontificibus conſtare ait idem a Baſilica Petri. Ex immemorabili tamen tempore, & Majorum Traditione, in ea Baſilica Fidelium venerationi exponitur quoddam Cranii fragmentum, cute adhuc capilliſque hiſpidis, denſis, ac canitie aſperſis obtectum, tamquam pars Capitis Principis Apoſtolorum Petri; idque ſeparatim in Sacrario aſſervatur.

Secundum eſt illud, quod Galvaneus Flamma ſcriptum reliquit, nempe Beatum Simplicianum, ſtatim ac Mediolanenſi Eccleſiæ præfectus fuit, congregaſſe Provincialem Synodum ſuffraganeorum Antiſtitum, ipſiſque conſentientibus ſtatuiſſe, ut ſinguli Epiſcopi ſuffraganei integræ hebdomadæ ſpatio Sacra facerent in Eccleſia Sancti Ambroſii, ob reverentiam ejuſdem Corporis ibidem jacentis. Itaque ait, unumquemque eorum, Mediolanum proficiſcentem pro ſuis adimplendis vicibus, conſediſſe in Palatio, tribus ferme millibus

paſſuum a Romana Urbis noſtræ Porta diſtante & appellato *ad Noxetam*, cui adjecta erat Eccleſia Sancti Georgii, cum Turri altiſſima. Cùm autem æs Campanum Eccleſiæ Majoris Mediolani pulſaretur, conſcenſo equo ad Urbem Templumque Sancti Ambroſii equitaſſe, ut in ejuſdem honorem Divinum Sacrificium offerret. Puricellus *in Diſſertatione Nazariana* hoc Simpliciani Inſtitutum longamque conſuetudinem pro viribus tueri contendit, plura alia exempla ſimilia tum Ravennæ, tum Romæ, atque Coloniæ data, Summis Pontificibus id concedentibus, referens. Nos refragari huic Traditioni nolumus, cùm vergat in gloriam Mediolanenſis Eccleſiæ, quæ gratum animum erga tantum Doctorem & Patronum ſuum Ambroſium, continuatâ per plura Secula Sancti Simpliciani inſtitutione profiteri non deſtitit. Attamen approbare minimè poſſumus quod fidenter Galvaneus nobis obtrudit, videlicet Epiſcopos ex longinquo advenientes, veluti relegatos extra Urbem per integram hebdomadam in memorato illo Palatio moram traxiſſe, atque iter trium mille paſſuum quolibet die conficere debuiſſe, ut Sacra ad Aram Beati Ambroſii operarentur; cenſemus enim erraſſe illum in deſignando Loco Epiſcopis conſtituto. Siquidem in Urbe noſtra olim extabat Eccleſia Sancti Georgii, dicta *ad Nocetam*, ob parvam Nucis arborem ibi virentem, nunc autem appellatur *Sancti Georgii ad Puteum*, teſte Joanne Baptiſta Caſtillioneo in Faſciculo Mediolanenſium Antiquitatum: Ibi verò in Palatio Archiepiſcoporum proximè condito domicilium habuiſſe Epiſcopos veriſimilius eſſe quiſque fatebitur. Subdit Galvaneus, poſt longam temporum ſeriem tædio affectos Suffraganeos Antiſtites,

tiſtites, præſertim Auguſtanum & Curienſem, ob itineris moleſtias, ſeſe redemiſſe ab hac vexatione, aliquot patrimonia Eccleſiaſtica conſtituentes, quæ Mediolanenſi Eccleſiæ dono dedêre, ut alii Sacerdotes ad onus hoc ferendum ſufficerentur. Fama eſt, Canonicos Ordinarios munus illud, quod Epiſcopi detrectaverant, obiiſſe, quouſque & ipſi grave reputantes ab Eccleſia ſua abſcedere, ut per hebdomadam Divina myſteria ante Altare Sancti Ambroſii perficerent, Monachos Sancti Benedicti induxere, ad præſtandum quotidie Sacro Corpori cultum, Cœnobio iiſdem conſtructo apud prædictam Baſilicam, accedente Petri Archiepiſcopi Mediolanenſis conſenſu, & Canonicorum Metropolitanæ Eccleſiæ ſubſcriptionibus Diploma firmantibus.

Tertium eſt, Sanctam Marcellinam Ambroſii Sororem, ſepultam fuiſſe a Sancto Simpliciano prope Fratris Corpus; appoſitis ejuſdem Tumulo in Epitaphii modum ſexdecim carminibus, ab ipſo confectis; ſed, an verè hunc Præſulem auctorem habuerint, non ſatis eſt exploratum, ùt etiam adnotant Bollandiſtæ in Vita Sanctæ Marcellinæ, ad diem XVII. Julii: Præſertim cùm nemo hactenus deſignare potuerit annum, quo obierit Sancta illa Virgo; quinimo etiam Locus mortis in dubium vocetur. Baronius tradit, Marcellinam Romæ interiiſſe; Puricellus, aliique Mediolanenſes Scriptores ejuſdem obitum Mediolani contigiſſe aſſeverant. Ut illud ſtatuat Puricellus, pro certo refert, Sanctam Marcellinam poſt Satyri Fratris mortem numquam Romam repetiiſſe. Porro id aſſeri ſine teſte profitentur Bollandiſtæ, loco proximè indicato; qui etiam animadvertunt, hoc erui minimè

mè poſſe ex verbis Sancti Ambroſii, quibus innititur Puricellus. Nullus dubio locus eſt, Sanctam Marcellinam ſeſe iterum contuliſſe Romam poſt adventum Sancti Satyri in hanc Urbem; ad eam enim ſcripſit Sanctus Ambroſius quæcumque ipſi acciderant in perſecutione Juſtinæ Auguſtæ, & in Inventione Sacrorum Corporum Protaſii & Gervaſii, quæ ſeptennio a morte Sancti Satyri contigit. Supervacaneum autem fuiſſet, Sororem conſciam reddere per Epiſtolam de rebus hiſce, niſi abſens Mediolano fuiſſet. Num verò denuo e Romana Urbe profecta ſit Mediolanum, incertum nobis reliquit antiquitas; & Baronius, ùt diximus, apertè tradit, mortales prædictæ Virginis exuvias depoſitas fuiſſe in alma Urbe, quamvis non inficietur, ejuſdem Corpus poſtmodum Mediolanum potuiſſe transferri. Quidquid tamen de hoc ſit, nulla Eccleſiarum nobis invidet pretioſum hunc theſaurum.

Quartum eſt, Ritus & Ordines Miniſtrorum Eccleſiæ auctos fuiſſe a Sancto Simpliciano. Landulphus Senior, editus Tom. IV. *Scriptor. Italiæ*, Galvaneus Flamma, & Franciſcus Caſtellus Canonicus Ordinarius in ſuis Miſcellaneis MS.tis additamenta hæc retulere. Nos hìc abſtinemus ab iiſdem exponendis; iſta enim in Opere, quod paramus de Ritibus Ambroſianis, fuſiùs illuſtrare conabimur.

Quintò variæ proferuntur Sententiæ de prima inſtitutione Vitæ Sancti Simpliciani; alii enim eremiticam Regulam eumdem amplexum fuiſſe, ac Monaſterium prope Eccleſiam ſui nominis ædificaſſe tradunt; alii Carmelitano Ordini eum adſcribunt; demum nonnulli ipſum inter Canonicos Regulares San-

Sancti Auguſtini enumeratum volunt. Hæc omnia cum Bollandiſtis nos rejicimus, partim quòd nullo antiquo documento fulciantur, partim verò quod omnino erronea ſint, ùt de Carmelitis, & Auguſtinianis Canonicis eruditus quiſque præſenti ætate ſatis intelligit.

Obiter ſaltem innuere neceſſe eſt novum decus, quo exornare voluit Sanctum Simplicianum Pater Chriſtianus Lupus celeberrimi in Republica Literaria nominis, *De Origine Auguſtinienſ.* Cap. IX., videlicet *obtinuiſſe hunc Mediolanenſem Antiſtitem a Syricio, ac Apoſtolica ejus Sede Vicariam Præfecturam ſupra omnes Eccleſias Hiſpanicas, atque Africanas.* Porro ampla hæc Dignitas ignota fuit antiquis omnibus Hiſtoriæ noſtræ Scriptoribus; eamque ſomnium exiſtimavit etiam doctiſſimus Cardinalis Noriſius, qui in Diſſertatione *de Synodo Quinta*, Cap. X. hæc ſcribit: ***Hujus Dignitatis nullum umquam veſtigium vidi, nec Simplicianus eas regiones viſitavit, nec Synodos indicebat:*** Allatis autem exemplis plurium Apoſtolicæ Sedis Vicariorum, qui hæc munera exercebant, fictitiam prorſus eſſe ait hanc Metropolitæ Mediolanenſis poteſtatem.

Aliquid referendum hic eſſet de Sancti hujus noſtri Antiſtitis doctrina; ſatis tamen eſſe ducimus, habuiſſe illum æſtimatores laudatoreſque duos eos Doctores eximios Ambroſium & Auguſtinum, Eccleſiæ univerſæ lumina; præſertim cùm hic poſtremus Epiſtolam ad eumdem direxerit, in qua deprecabatur Simplicianum, ut *non ſolùm curam legentis impenderet, ſed etiam cenſuram corrigentis aſſumeret* circa Libros a ſe confectos, quos ad ipſum miſerat. Extat hæc Epiſtola

ſtola inter alias Sancti Auguſtini, edita ſub num. XXXVII. Tom. II. Editionis Antuerpienſis Anni MDCC., quam Maurini Monachi ſcriptam circa Annum CCCXCVII. adnotant in margine.

De Sancto Simpliciano cecinit Ennodius.

Ambroſius linquens viduatæ munia plebis,
Tranſtulit ad curam Simpliciane tuam.
Succeſſoris opes, ſpoliati viſcera regni,
Creverunt merito temporis alterius.
At velut annoſam zefiris parcentibus ornum,
Ne metuat bellum, longa quies ſolidat.
Tyro tamen felix cana ad rudimenta vocatus,
Non flexit priſcum degenerans apicem.
Nil timuit gelidis anima fervente medullis
Pontificis virtus, flores habet ſenium;
Æquora qui tecto preſſit terrena parenti
Moribus & cultu ſidera cùm tetigit.

SAN-

SANCTUS VENERIUS.

SAncto Simpliciano, quem diximus obiiſſe Anno CCCC. menſe Auguſto, Succeſſor datus eſt Sanctus Venerius. Fuerat iſte Diaconus ſub Sancto Ambroſio, & præſens adſtiterat eidem morienti, cùm verba illa jam relata proferret in commendationem Simpliciani: *Senex, ſed bonus*. Quàm caſtus moribus foret Venerius, compertum facit Ennodius, inquiens:

Forma pudicitiæ juvenis ſectanda Venêri,
Venit nominibus nil famulata ſuis &c.

Præclarum autem teſtimonium ſanctimoniæ & famæ hujus Epiſcopi eſt Concilium Chartaginenſe, ſub Aurelio Epiſcopo Anno CDI. cèlebratum, in quo decretum eſt de Legatione mittenda Romam ad Anaſtaſium Summum Pontificem, atque Mediolanum ad Venerium ejus Sedis Epiſcopum, ut Africanæ Eccleſiæ, Sacris Miniſtris maximè indigenti conſulerent. Affert Baronius Orationem Aurelii ad Patres Chartaginenſes habitam, ex qua colligitur, quantâ penuriâ tunc Clericorum laboraret Eccleſia Africana. Fuſiùs de hac Synodo diſſerit Cardinalis Noriſius, loco ſuperiùs laudato; atque ibidem innuit aliam Synodum Mediolanenſem, in qua vetitum fuit, ne Donatiſtæ ad Catholicam unitatem converſi, Sacris Ordinibus inſignirentur; quæ Lex, ob Diaconorum pe-

Digitized by Google

nuriam, ab Afris obſervari non poterat. Sed Acta hujus Mediolanenſis Synodi prorſus periere. Ob hanc cauſam favit Afrorum Præſulum votis Sanctus Venerius, Paulinum, Vitæ Sancti Ambroſii Scriptorem illuc mittens; qui egregiam operam præſtitit illi Eccleſiæ, cùm primùs omnium adversùs Cœleſtium, Pelagianæ hæreſis præconem decertaverit, quemadmodum ex Synodo Chartaginenſi, habita Anno CDXII. adnotat Baronius.

Sanctus Anaſtaſius Romanus Pontifex eumdem Venerium adſcivit ſibi adjutorem ad eliminandam translationem Operum Origenis, a Rufino Aquilejenſi peractam, ùt conſtat *ex Apologia* Sancti Hieronymi *contra Rufinum* Libr. II. num. VI.. Scripſit quoque ad Venerium Epiſtolam idem Anaſtaſius Pontifex Maximus; ea tamen periit, Teſtibus Bollandianis Patribus in ejuſdem Vita, ad diem IV Maji. Alteram dedit Venerius ad Sanctum Paulinum, Nolanum Epiſcopum, de Ordinatione ſua, ùt patet ex alia, quæ eſt XVI. ejuſdem Paulini.

Plurimum etiam operis impendit Antiſtes hic noſter, unà cum Innocentio I. Anaſtaſii Succeſſore, ut Sanctus Joannes Chryſoſtomus in exilium actus, ad Sedem ſuam Conſtantinopolitanam remitteretur; ipſe verò Chryſoſtomus græcè Literas ad eumdem dedit, in quibus ei gratias reddit pro ſedulo ac diuturno in ſuî ipſius Cauſa ſtudio impenſo. Has Literas latinè redditas primus edidit Baronius ad Annum CDV.; nos tamen ex poſtrema Pariſienſi Editione, peracta Anno MDCCXXI. eaſdem, poſitas ſub num. CLXXXII. Tom. II. Operum memorati Sancti Doctoris, ad Lectorum commodum hoc loco ſubjicimus. *Ve-*

Digitized by Google

Venerio Epiſcopo Mediolanenſi. (a)

„ OMnes quidem fortitudinem veſtram ac fiduciam, & pro „ veritate loquendi libertatem etiam antea noverant; „ ſed accuratiùs fraternum veſtrum amorem, caritatem, reli- „ gionem, commiſerationem, ſolicitudinem Eccleſiarum hoc „ tempore indicavit. Nam gubernatorem quoque maris tem- „ peſtas præſertim indicat, & optimum Medicum graviores „ corporum morbi; ſic & illum, qui religiosè vitam ſuam „ traducere ſtuduit, ac multa præditus eſt fortitudine, tem- „ porum difficultates oſtendunt. Quod vobis etiam contigit, „ & quantum in vobis fuit, omnia bene ſucceſſerunt, neque „ ulla pars officii veſtri deſiderata eſt. Sed quoniam illi, qui „ turbas excitarunt & excitant, eò dementiæ ſunt progreſſi, „ ut non modò priora geſſiſſe illos non pudeat, ſed illis „ etiam graviora patrare contendant, omnes vos ſimul co- „ hortor, ut fortiſſimam alacritatem animi adhibeatis, neque „ de tanto ſtudio quidquam remittatis, ſed illud ampliùs „ etiam augeatis, licèt innumeræ difficultates occurrant: Qui „ enim pluribus cum ſudoribus ac laboribus magnum ali- „ quod ac generoſum facinus ediderit, uberiorem illis, qui „ facilè ac nullo negotio idipſum geſſerint, mercedem acci- „ piet. Siquidem *unuſquiſque*, inquit Beatus Paulus, *propriam* „ *mercedem accipiet*, *ſecundùm proprium laborem* (*b*). Ne-

O 2 igi-

(a) *Data eſt hæc Epiſtola Anno CDVI. quemadmodum Maurini Monachi adnotavere in Pariſienſi Editione.*
(b) *I. ad Corinth. III. v. 8.*

„ igitur idcirco animum deſpondeatis, quòd multi vobis fue-
„ rint exantlandi labores; ſed hoc ipſum magis vos exci-
„ tet: quantò enim major afflictionum ſit acceſſio, tantò
„ magis augentur coronæ, ac multiplicantur ea præmia,
„ quæ vobis pro his præclaris certaminibus reconduntur.

Adminiſtratâ ferme per octennium ſuâ Eccleſiâ obiit Sanctus Venerius Anno CDVIII., IV. Nonas Maji, ùt vult Papebrochius ex Catalogo, quem illuſtrat, & cui nos etiam adhæremus; quamvis Henſchennius ejuſdem Præſulis vitam ad ſequentem annum protrahat. In Ambroſiana Eccleſia celebrabatur olim Sancti Venerii Officium die VI. Maji; qua de cauſa, ignoramus. Sanctus Carolus Borromeus ei ſuum diem, nempe IV. menſis Maji reſtitui juſſit, quemadmodum adnotavit Papebrochius in Exegeſi ſæpiùs laudata.

Convocatam fuiſſe Mediolani Synodum a Sancto Venerio contra Origeniſtas refert Ughellus; ſed nihil de hac legimus apud Labbeum, ſilentque omnino Bollandiſtæ *in Actis Sanctorum*, ad diem memoratum. Itaque hujus rei fides penes ipſum relinquitur.

Sepultus eſt in Baſilica Apoſtolorum; ejuſque Sacrum Corpus ſolemni Translatione collocavit Sanctus Carolus ſub Ara Maxima ejuſdem Eccleſiæ Anno MDLXXIX.. Erravit Ughellus in deſcribendo Titulo prædictæ Baſilicæ, eam vocans *Eccleſiam Sanctorum Nazarii & Celſi*; cùm Traditio conſtans ſit, Sancti Celſi Corpus in Æde ſuo nomini Sacra uſque ad præſentem diem remanſiſſe.

SAN-

Digitized by Google

SANCTUS MAROLUS.

AD Mediolanenſem regendam Eccleſiam delectus eſt Sanctus Marolus, defuncto Venerio. Primam lucem in Syria viderat, Teſte Ennodio, qui in ejuſdem laudem Epigramma compoſuit, his carminibus conceptum:

Marolus extremæ potator Tygridis undæ,
Qui jubar in madidis viderat hoſpitiis;
Quem labor in proprio Syriæ ſolidaverat axe,
Orditur Vatem dotibus innumeris &c.

Miſſum fuiſſe ab Innocentio I., cui familiariſſimus erat, ad hanc Metropolim Epiſcopum, legitur in Libro inſcripto: *Succeſſores Sancti Barnabæ*; verùm de hac miſſione ſilent monumenta antiqua, nec quidquam enunciat Henſchennius, qui ejuſdem Vitam inſeruit *Actis Sanctorum*, ad diem XXIII. Aprilis. Eximiâ ſanctimoniæ laude floruiſſe, dubitare non poſſumus, cùm Sanctus Ennodius in memorato Epigrammate hæc ſcribat:

Pervigil, intentus, jejunus, providus, ardens,
Quòd morem tenuit, ſat fuit officio.

Quot annos vitæ exegerit in adminiſtranda Mediolanenſi Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia, variè numerant Scriptores, alii enim IX. annos, alii XIII. aut XIV. Sedis illi attribuunt. Communior tamen ſententia, quam antiquis Catalogis fretus Papebrochius in Exegeſi amplexus eſt, XV. eidem annos Sedis adſcribit.

Mors hujus Sancti Præſulis aſſignatur Anno CDXXIII. Sepultus & ipſe fuit in Baſilica Apoſtolorum, nunc Nazariana: Ejus autem Feſtum in Eccleſia Ambroſiana die ipſo agitur, quo deceſſit, nempe IX. Calendas Maji.

SAN-

SANCTUS MARTINIANUS.

INiit Epiſcopatum Mediolanenſem, poſt Sanctum Marolum, Sanctus Martinianus, (quem *Maternianum* etiam appellatum tradit Baronius *in Notis ad Martyrologium*) Anno CDXXIII. De ejuſdem Familia loquens Petrus Paulus Boſca *in Martyrologio Mediolanenſi* ad diem II. Januarii, ait, illum ab aliquibus credi profluxiſſe ex ſtirpe Sancti Materni, a qua poſtmodum Nepotes vocati ſint *Materniani*, ſeu etiam *Matrignani*; ipſe verò in eam opinionem propendet, fuiſſe hanc Familiam Maternam, quæ nunc dicitur *de Madernis*. Porro etymologiæ iſtæ genealogicæ in præſentia, tamquam futiles rejiciuntur; Familiarum enim, quæ nunc vigent, origo multò eſt recentior. Certè hunc Sanctum Epiſcopum, *Martinianum* fuiſſe nomine docet Sanctus Ennodius, ætate eidem proximus, qui condito Epigrammate ipſum laudavit. Hujus autem teſtimonio facilè aſſerere poſſumus, eſſe inter Cives Mediolanenſes connumerandum; quos enim aliena tellus nobis Epiſcopos dedit, Ennodius declarat.

In memorato Epigrammate innuit Sacer hic Poëta, reſtaurata fuiſſe ab eo duo Templa, iiſque lucem, qua carebant, additam eſſe, hoc Diſtico:

Poſt,

Digitized by Google

Poſt, geminas Sanctis conſtruxit mundior Ædes,
Lumine quas clauſo juſſit habere diem.

Sed quænam fuerint Sacræ iſtæ Ædes, divinare non poſſumus.

Joſeph Ripamontius duo emendare conatus eſt menda, quæ in Lectionem Breviarii Ambroſiani irrepſerant. Primum eſt, miſſum fuiſſe a Martiniano Librum, a ſe conſcriptum contra Neſtorianos, ad Honorium & Theodoſium Auguſtos, cùm Honorius jam deceſſiſſet, antequam Neſtorii Hæreſis oriretur: Error iſte ſublatus jam fuit; loco enim Honorii ſubſtitutus legitur Valentinianus III., qui tunc præerat Occidenti. Alterum eſt, adminiſtratam fuiſſe a Martiniano hanc Eccleſiam per tres annos; cùm certum ſit, vixiſſe hunc Epiſcopum etiam poſt Synodum Epheſinam, celebratam Anno CDXXXI.. Siquidem Neſtoriani in altera Synodo ab ipſis coacta contra OEcumenicum Concilium, Martinum Mediolanenſem Antiſtitem, qui alius eſſe non poteſt quàm Martinianus, tamquam, hæreſis ſuæ fautorem falsò nominavere, eum appellantes *Sanctiſſimum, Deoque cariſſimum Mediolanenſem Epiſcopum*. Atque hinc alter emendandus eſt error, qui in Tabula Archiepiſcoporum Mediolanenſium, a Galeſinio confectâ occurrit; ibidem enim legitur: *Sanctus Martinianus, de quo in Concilii OEcumenici Epheſini Acta relatum eſt: Sanctiſſimus Deoque cariſſimus Epiſcopus*; non enim *OEcumenicum Concilium*, ſed Conciliabulum Neſtorianorum hæc verba dictavit, ùt optime animadvertunt Puricellus *in Diſſertatione Nazariana* Cap. LXIII., & Ri-

& Ripamontius laudatus: Curabant nempe Hæretici, quemlibet celebrium Italorum Antiſtitum, tamquam improbi eorum dogmatis fautorem in ſcenam trahere ac venditare, ut auctoritatem pertinaciæ ſuæ facerent, atque Hæreſim confirmarent. Carpit poſtremò Ripamontius Lectionem Breviarii noſtri, eò quòd in ea legantur hæc verba: *Vir fuit pura caſtiſſimaque mente* &c., *cujus imaginem vultu angelico præſetulit*; ait enim, probari hoc non poſſe, cùm nulla extet ejuſdem effigies, & difficile ſit credere, Traditionem de lineamentis Mattiniani vultûs per tot ſecula perduraſſe. Attamen ſubſcribere nolumus huic Ripamontii cenſuræ, cùm habeamus Sanctum Ennodium Teſtem, qui loqui potuit cum Viris Sancto Martiniano coævis, & hæc in ſuo Epigrammate ſcripta reliquit:

Mens nivei lactis, ſpecies manifeſta columbæ,
Aſtutiâ ſerpens, Martiniane vale.

Quamobrem non ſunt damnanda Lectionis noſtræ verba, quibus *ſpeciem columbæ*, quæ certè in vultu elucere debebat, nobiliore titulo *angelicam* vocavit.

Obiit Sanctus hic Præſul circa Annum CDXXXV., juxta calculum Papebrochii, poſt annos ferme treſdecim Epiſcopatus. Puricellus cenſuit, illum vita deceſſiſſe die 11. Januarii, quo etiam in præſentia colitur. Sed in antiquo Papebrochii Catalogo Sancti Martiniani mors adnotatur IV. Calendas Januarii; cùmque ea dies Octavis Natalitiæ Solemnitatis dicata ſit, ſtatuta eſt cultui hujus Sancti Epiſcopi dies XI. ſequentis Anni.

Sepultus eſt in Baſilica Sancti Stephani, quam aliqui cenſent, fuiſſe ab ipſo conſtructam. Sacrum ejus Corpus ſolemni ſupplicatione Cardinalis Federicus Borromeus tranſtulit in Concilio Provinciali VII., Anno MDCIX., atque ſub Ara Maxima Baſilicæ prædictæ, cum aliis Sanctorum Reliquiis depoſuit.

SAN-

Digitized by Google

SANCTUS CLICERIUS.

IN locum Sancti Martiniani ſuffectus eſt Sanctus Clicerius, nobilis Mediolanenſis Civis Anno CDXXXV. teſte Papebrochio, ſeu ſub initium ſequentis, cùm antiquus Catalogus ab aliquo Amanuenſi valdè fuerit perturbatus, ùt fatetur ipſe Papebrochius. De Actis ejuſdem in Eccleſia Mediolanenſi nihil nobis offerunt antiqua monumenta, præter illud, quod ſcriptum reliquit in ſuo Epigrammate Ennodius, nempe fuiſſe integerrimis moribus, ac præſetuliſſe virgineum vultum, indicem interni candoris, ardentiſque in Deum & proximum caritatis. Ita enim exorditur Epigramma, in Clicerii laudem contextum:

Suffuſus minio, perque optima facta rubeſcens,
Virginei vultus Clicerius ſequitur.
Puram ſanguineo maculat dum rore figuram,
Picta genas facies ſimpliciter placuit.
Candentem crocea geſtans aſpergine frontem,
Læta verecundis tinxerat ora notis &c.

Ughellus tradit, ſediſſe Clicerium in Epheſino Concilio OEcumenico, tamquam Martiniani Legatum; in Actis tamen illius Synodi, relatis a Labbeo, nullus ſubſcriptus legitur Clicerius.

Etiam hujus Sancti Antiſtitis annos Sedis diverſimode nu-

merant Scriptores ; alii enim tempus Epiſcopatus ad annos octodecim , alii ad vigintiquatuor protrahunt . Breviarii noſtri Lectio tantùm octo deſignat ; atque hanc opinionem *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. LXIII. amplectitur Puricellus , & ex eodem Ughellus . Papebrochius vix quatuor illi attribuit , ſi quos Sedis annos Lazaro ſucceſſori ſervare velimus . Itaque eumdem e vivis ereptum veriſimiliùs cenſet Anno CDXXXVIII. ; Optimè tamen poſuit vocem illam *vix* , cùm revera , ſtatutâ Electione Clicerii ſub initium Anni CDXXXVI. , ejuſque morte affixa Anno CDXXXVIII. , nonniſi tres anni , & etiam incompleti , in exiguo hoc temporis ſpatio comprehendi poſſint . Porro brevis iſte annorum numerus indicari videtur a memorato Sancti Ennodii Epigrammate , cui utpote ætate proximo potior habenda eſt fides : Is autem juxta lectionem Puricelli loco laudato , pag. 378. hæc ſcribit :

Hunc habet & populus parvo vix tempore felix .

Sepultus eſt in Baſilica Apoſtolorum , ejuſque feſtiva memoria in Ambroſiana Eccleſia recolitur XII. Calendas Octobris , quo die e vivis traditur exceſſiſſe .

SAN-

SANCTUS LAZARUS.

MOrtuo Clicerio, nonnulli ex noſtris Scriptoribus vacationem Sedis per plures annos interponunt. Nos antiquos Catalogos conſulentes, nullam hoc loco Epiſcopatûs lacunam agnoſcimus, nec admittere poſſumus, ùt infra videbimus; quare fidenter aſſerimus, Sanctum Lazarum eodem Anno CDXXXVIII. Clicerio ſucceſſiſſe.

Fuiſſe illum hujus Metropolis Civem ferme omnes Scriptores tradunt. A Sancto Clicerio dicitur ordinatus Presbyter, & in Lectione Breviarii noſtri ***Primicerius*** appellatur. Vox tamen iſta intelligi nequit de illa Dignitate, quæ nunc viget in Templo Maximo; ea enim multò ſeriùs inducta eſt in Metropolitanam Baſilicam, Anno videlicet MCDXLI., ùt conſtat ex publico Documento, typis vulgato ***in Diſſertatione ad vindicandam veritatem*** &c., ſuperiùs jam memorata. Itaque, ſi verè titulum hunc geſſit Sanctus Lazarus, dicendum eſt, ei obveniſſe juxta morem temporum antiquorum, quibus primi ex Presbyteris, Notariis, & Lectoribus, ***Primicerii*** vocabantur. De his agit Ludovicus Thomaſſinus ***de antiqu. & nov. Eccleſ. diſciplina*** Tom. I. Libr. II. Cap. CIII. In Ambroſiana Eccleſia, altera erat Dignitas, ***Primicerius*** nempe ***Cleri***, qui extra Templum Majus in univerſos Clericos jus exercebat. Verùm an ævo Sancti Lazari inſtituta hæc jam foret, incertum eſt. Seculo certè

XI.

XI. vigebat, prout vetuſta Documenta teſtantur: Ea verò, ùt jam diximus, Metropolitanæ Baſilicæ acceſſit Seculo XV.

Inſtitutorem fuiſſe Sanctum Lazarum Triduanarum Rogationum in Urbe Mediolanenſi, idque ante Sanctum Mammercum Viennenſem in Gallia Epiſcopum, Scriptores noſtri unanimes aſſerunt, quibus calculum ſuum adjecit Godefridus Henſchennius *in Actis Sanctorum* Bollandi, ad diem XI. Februarii: deſcribens namque Sancti Lazari Vitam, integrum Paragraphum hoc Titulo impreſſit: *Litaniæ Triduanæ, a Sancto Lazaro inſtitutæ*; ac tamdem concludit: *Neque famam eam cum Ripamontio ſequimur* (quòd ſcilicet Sanctus Lazarus exemplum ſumpſerit a Sancto Mammerco, cùm Præſul hic noſter jam obiiſſet vigintiquinque annis antequam Sanctus Mammercus in Epiſcopum Viennenſem eligeretur) *quam plures amplectuntur, ſed quam, re accurate examinatâ, ratio cogit amplecti*. Et ſanè, ſi hanc conſulamus, conditio illorum temporum a Sanctiſſimo Viro & Antiſtite Lazaro exigebat, ut ſolicitas publicas preces inſtitueret, cùm imminens eſſet Italicis Provinciis, exciſo jam Illyrico, Attila Rex Hunnorum; atque in hunc prorſus finem a Sancto Lazaro fuiſſe indictas Triduanas Rogationes, dilucidè nos docent preces ipſæ, quibus in iſtum uſque diem utitur Ambroſiana Eccleſia, quæque diriguntur ad Divinam compeſcendam iram lacrymis jejuniſque, ne appropinquare ſineret mœnibus noſtris ferale barbari hoſtis flagellum; ſed potiùs miſerationem ac clementiam ſuam reſpiciens Dominus excubatores Angelos in Portis collocaret, Divina benignitate paratos repellendis infidelibus copiis, divitem hujus Regionis prædam

dam inhiantibus: Ita enim in Sacris Codicibus jacent: *Pone in muris & portis ejus Angelorum cuſtodiam, ſalutis ancilia, munitionem omnium Sanctorum tuorum* &c.. Non eadem Sancto Mamnerco occaſio obtigit Rogationes ſuas indicendi, cùm non Barbarorum metu, ſed cervorum luporumque incurſionibus, terræmotibus, ac flammis etiam cœlitus demiſſis Viennenſis Urbs miſerè obrueretur. Sed de his plura offeret Lectori peculiaris Diſſertatio, in Hiſtoria Literario-typographica Mediolanenſi, ſub Anno MCDXCIV. pag. CCCLXXXII., a nobis vulgata Mediolani Anno MDCCXLV.

Traditur etiam, ab hoc Sancto Antiſtite conſtructum fuiſſe in hac Metropoli Cœnobium, pro recipiendis ibidem Alumnis Sancti Auguſtini. Ripamontius ex Libro inſcripto *Succeſſores Sancti Barnabæ* rem hanc ita refert: *Lazarus non modò Cæremoniarum inſtaurator fuit, ſed Magiſter quoque ſeverioris diſciplinæ, & Ordinis Auguſtiniani Conditor prope alter. Primùm quidem Ædes illis attribuit, quas pſalmodiâ cæteroque cultu frequentarent, deinde Domicilium conſtituit, ut in unam congregati Sedem agerent, ubi nunc Virginis Coronatæ vetuſtiſſima ſtat Ædes*. Eadem e Ripamontio exſcripſit Ughellus: Verùm de re tam antiqua tamque fidenter narratâ, ſincera monumenta & veterum Scriptorum teſtimonia deſiderantur.

Quæſtio agitur non modica inter Mediolanenſes Hiſtoricos, quo anno Sedem hanc inierit Sanctus Lazarus; cùm enim Tabula Archiepiſcoporum noſtrorum a Galeſinio confecta, diu vacaſſe Eccleſiam aſſerat, & Boſſius per annos XI. vacuam fuiſſe Mediolani Sedem tradat, Puricellus colligit *in Diſ-*

Diſſertat. Nazarian. Cap. LXIV., debuiſſe creari Sanctum Lazarum Mediolani Epiſcopum circa Annum CDL., ac ſupereſſe in vivis uſque ad Annum LXI.. Papebrochius tamen optimè animadvertit in ſua Exegeſi, non poſſe protendi vitam Sancti Lazari, ultra Annum CDLI., cùm eo Anno Concilium celebraverit Mediolani Sanctus Euſebius, ejuſdem Succeſſor, & ſequente anno Epiſtolam dederit ad Sanctum Leonem Summum Pontificem: Proinde, cùm apud omnes conſtet, Sanctum Lazarum annos XI. in Epiſcopatu exegiſſe, nullum vacationis tempus aſſignari poteſt inter Clicerium, & Lazarum, cùm mortuus dici debeat Lazarus ante Annum CDLI.. Itaque ut chronologiam hanc emendet, mortis ejuſdem annum ſtatuit anno CDXLIX.. Atque hanc ſententiam amplexi ſunt Puricellus (quamvis differat hujus Antiſtitis obitum ad Annum ſequentem) & poſtmodum Henſchennius ad diem XI. Februarii; cùm certiſſimum teſtimonium ſuppetat Concilii Provincialis, & Epiſtolæ Synodicæ, ad Sanctum Leonem miſſæ ab Euſebio Succeſſore. Hinc verò Lectionem Breviarii noſtri, feſto Sancti Lazari die recitandam, parùm accurate fuiſſe a Ripamontio ejuſdem Auctore digeſtam conjicimus, cùm ita exordiatur: *Vaſtabat ſæviſſimè Italiam Attila* &c.; quo enim tempore in Italiam Attila irrupit, non Sanctus Lazarus, ſed Euſebius Eccleſiæ Mediolanenſi adminiſtrandæ jam præerat, Anno nempe CDLII., ùt omnibus eſt compertum.

Dies quoque mortis Sancti Lazari non ea eſt, quam ejuſdem Officio celebrando aſſignavit Eccleſia Ambroſiana, ideſt XI. Februarii; obiit enim Antiſtes iſte Pridie Idus Mar-

Martii: Sed cùm id tempus in Quadrageſimam ſæpiſſime cadat, prævìè, juxta morem ſuum, memoriam hujus Sancti Epiſcopi colendam inſtituit.

Sepultus eſt in Baſilica Nazariana, ubi nunc jacet; inque ejus laudem ſequens Epigramma reliquit Ennodius:

Lazarus ut diri premeret pede culmina Mundi,
Vocibus accitus frux venit in medium.
Quem frons læta parùm vitiis depinxerat hoſtem,
Multantem culpas luminibus tacitis.
Reſpiciens lapſus deterſit nubila vitæ;
Curam ſæpe dedit vulneris obſequio.
Non latuit, tectis facinus qui geſſit in antris,
Abſens criminibus tortor ubique fuit.
Innocuis placida vernabat luce ſerenus,
Ceu ſpeculum noxis injiciens faciem.

Digitized by Google

SANCTUS EUSEBIUS.

POſt Sanctum Lazarum Epiſcopalem hanc Sedem conſcendit Sanctus Euſebius anno eodem, ùt veriſimilius videtur, quo ille deceſſerat. Natione Mediolanenſem faciunt, & Paganicæ ſeu Paganæ Familiæ adſcriptum tradidere Ferrarius, Ughellus, aliique. Lectio etiam, quæ adhuc in Breviario noſtro extat, ita incipit: *Euſebius Mediolani natus* &c.. Id tamen apertiſſimo teſtimonio ſuo falſi arguit Sanctus Ennodius, iis temporibus proximus, qui in Epigrammate, ab ipſo Ughello, hac in re minimè excuſando, poſt Sancti Euſebii Vitam relato, ita carmen ſuum exorditur:

Euſebius Ligurum ſucceſſit finibus hoſpes,
Ignotæ tractus gentis amicitiâ.
Grajus erat, ſolito Titan quò reſpicit ortu,
Flammigero lymphas vertice decutiens &c.

Diaconi Officium in Ecclefia Mediolanenſi geſſiſſe Euſebium, Hiſtoriæ noſtræ teſtantur; quinimo addunt, cùm ſemel ad Altare miniſtraret, dilapſum ipſi e manu cryſtallinum Calicem atque in fragmenta redactum, imploratâ ope Sancti Martyris Laurentii, integrum ab ipſo fuiſſe receptum; qua de cauſa Sanctum Laurentium in peculiarem Patronum ſibi delegit. Bollandiſtæ controverſiam de hoc miraculo mi-

Digitized by Google

nimè movent in Vita ejuſdem, ad diem XII. Auguſti: Tantùm mirantur, de hoc inſigni prodigio nihil enunciaſſe in ſuis carminibus Sanctum Ennodium: Hoc tamen parùm evincit, cùm Ennodius ejuſdem virtutes solùm attigerit, nec ad peculiares Euſebii res geſtas deſcribendas deſcenderit. Præterea, illud diſtinctim retulit Gregorius Turonenſis Libr. I. *de gloria Martyrum*, Cap. XLVI., ſubjungens, in perennem ejuſdem memoriam ab Antiſtite noſtro (Lazaro) inſtitutam fuiſſe novam Solemnitatem annuam, ad vividiùs excitandam fovendamque Civium erga hunc Sanctum Martyrem religionem.

Inter cetera illuſtria ab hoc noſtro Præſule acta, recenſetur Concilium Provinciale Mediolanenſe, juſſu Sancti Leonis Pontificis Maximi coactum Anno CDLI.; id enim conſtat ex Epiſtola Synodica, ad eumdem Sanctum Leonem miſſa anno ſequente, quæ recitatur a Baronio, & legitur in Labbeo, ſubſcripta a viginti Epiſcopis Provincialibus, inter quos Epiſcopus Ticinenſis, Auguſtanus, Curienſis, Taurinenſis, Comenſis, & Genuenſis, qui nunc Metropolitano Mediolanenſi non parent. In eo damnata eſt omnium ſuffragiis Hæreſis Eutychiana; inde verò Summus Pontifex Legatos Chalcedonem miſit, qui Occidentalium Epiſcoporum ſententias referrent, ùt moris erat, in Concilio OEcumenico. Horum unus fuit Senator, Presbyter Mediolanenſis, de quo mentionem agit in ſuis Literis idem Euſebius.

Narratur in ejuſdem Vita, ad diem memoratum *in Actis Sanctorum* deſcripta, fuiſſe a Sancto Euſebio reſtaurata Templa Mediolani, quæ Gothi vaſtaverant; præſertim

verò illud Sanctæ Theclæ, quod incendio perierat, ùt teſtantur ſequentia carmina, ad Poſteros tranſmiſſa a Petro Paulo Boſca *in Martyrologio Mediolanenſi*, quæ olim in eadem Eccleſia ſculpta legebantur:

Priſca redivivis conſurgunt culmina Templis,
In formam redire ſuam quæ flamma vorarat;
Reddidit hæc votis Chriſti qui Templa novavit,
Euſebii meritis noxia flamma perit.

Addit Caſtillioneus Faſcicul. VII., Part. I., etiam mœnia & portas Urbis fuiſſe ab hoc Sancto Antiſtite refectas; ſed de hac re apud ipſum ſit fides. Ughellus refert, combuſtos Divini Officii Codices, fuiſſe ab Euſebio reſtitutos; eos fortaſſe, qui in Sanctæ Theclæ Baſilica ſervabantur; idemque tradit Lectio Breviarii Ambroſiani, addens inſuper, inſtitutum ab ipſo fuiſſe, ut Dedicationis Eccleſiæ Majoris Officium & Sacra tertio Dominico die Octobris in ſingulos annos ſolemni ritu celebrarentur; idque hactenus perſeverat. Sacris etiam Ritibus Eccleſiam noſtram fuiſſe ab eodem exornatam memorata Lectio teſtatur: Sed quinam ſint iſti Ritus, nemo hucuſque nos docuit. Quamobrem veriſimilius eſſe putamus aſſerere, antiquam Cleri diſciplinam & Ritus, qui Barbaris imperantibus non parùm exciderant, ſub Euſebio revixiſſe.

Ughellus tradit, Sanctum Euſebium interfuiſſe Synodo Romanæ, ab Hilaro Pontifice Maximo, quem ipſe per errorem *Hilarium* nominat, Anno CDLXV. convocatæ. Sanè

in

in eo Concilio, ad quod convenere quadraginta octo Epiſcopi, legitur in Labbeo adnotatum: *Mediolanenſis Provinciæ*, ſed ſuppreſſo Antiſtitis nomine, duobus S. S. tantùm deſignato. Verùm, ſi dicamus cum Papebrochio, Tillemontio, & Joanne Baptiſta Solerio in Sancti Euſebii Vita, ad diem prædictum, obiiſſe ipſum Anno CDLXV., die VI. ſeu VIII. Auguſti, intereſſe certè non potuit huic Concilio, quod celebratum quidem eſt eodem anno, ſed ad XV. Calendas Decembris. Porro ſummâ concordiâ antiquorum Codicum ſeu Catalogorum, decem & ſeptem anni Sedis Euſebio tribuuntur; qui ſi ab Anno CDXLIX. deſumantur, in hunc annum deſinunt.

Sepultus eſt ad Sanctum Laurentium; ejuſque ſolemnem memoriam agit pridie Idus Auguſti Eccleſia Ambroſiana.

SAN-

SANCTUS GERUNTIUS.

SUblato Sancto Euſebio, Sedem Mediolanenſem obtinuit Sanctus Geruntius. Traditur hic, prodiiſſe e Familia a Baſilica Petri, ſive Burra, ùt alii opinantur, teſte Ughello. Carolus a Baſilica Petri, Novarienſis Epiſcopus Libr. II. *Novariæ Sacræ*, candidè fatetur, ſe non agnoſcere in Genealogicis Tabulis hunc Sanctum Epiſcopum, tamquam è ſtirpe ſua enatum; quinimo rejicit famam, quæ invaluit, nempe originem hujus cognominis emanaſſe a quodam Nobili Viro, quì aream domumque ſuam obtulerit, ut Baſilica conderetur, Sancto Petro Apoſtolorum Principi ſacra, atque ideo cognomen accepiſſe *a Baſilica Petri*, ſicuti etiam tradidit Ripamontius Decad. I. *Hiſtor. Eccleſiaſt. Mediolan.* Libr. II. ex vulgi opinione.

Nihil in monumentis noſtris relatum legimus de rebus geſtis hujus Sancti Antiſtitis. Supereſt tantummodo Epigramma, in ejus laudem contextum a Sancto Ennodio Ticinenſi, qui virtutes ejuſdem innuit, ita illud claudens:

Ocia non paſſus, virtutibus veheris.

Ex ejuſdem autem initio colligere poſſumus, contigiſſe Geruntio, quod de Sancto Simpliciano narrat Paulinus, videlicet, cùm morti proximus eſſet Euſebius, & a Clericis ad-

Digitized by Google

adſtantibus ageretur de Succeſſore eligendo, collaudatum fuiſſe Geruntium; ita enim exorditur;

Eccleſiæ poſtquam parta eſt tibi Sella, Gerunti,
Funera Deceſſor non timuit moriens.
Te reparante redit, patitur ſors pallida lethum;
Vivit poſt obitum Diſcipuli pretio.

Breviarii noſtri Lectio, hæc de Sancto Geruntio recitat: *Geruntii maximæ virtutes cum exemplis modiſque aliis, tum præcipue claruere propter Barbarorum violentiam, qui ſub Odoacre Rege Italiam ingreſſi, miſerrime ſæviſſimeque depopulabantur* &c.. Porro iſta componi non poſſunt cum ætate Sancti Geruntii, etiam in eorum ſententia, qui aſſerunt, initam ab ipſo fuiſſe Mediolanenſem Sedem Anno CDLXVI., atque eidem præfuiſſe per VII. annos; multò enim ſeriùs Odoacer in Italiam irrupit, Anno ſcilicet CDLXXVI., quo Auguſtulum, poſtremum in Occidente Cæſarem, ab Imperio depoſuit, atque in exilium amandavit. Chronologia, quam nos cum Papebrochio ſequimur, initium Sedis Geruntii figit Anno CDLXV., & mortem aſſignat Anno CDLXX., poſt quinque incompletos Epiſcopatus annos; adeòque omnino falſum eſt, illum ſub Odoacre vixiſſe.

Tumulum habuit in Sancti Simpliciani Baſilica, ad quam Sanctorum Maroli, Glicerii, & Lazari Reliquias tranſtuliſſe adnotavit Ughellus, ſed citra verum; cùm tres illi Mediolanenſes Epiſcopi, ùt vidimus, ſepulti adhuc jaceant in Baſilica Apoſtolorum. In eumdem autem errorem lapſus eſt

Ripa-

Ripamontius, ùt animadvertunt Bollandiſtæ ad diem V. Maji, quo obiit, & colitur etiam in præſentiarum ab Eccleſia Ambroſiana Sanctus Geruntius; idque manifeſtiùs conſtat ex Translatione ſolemni, a Sancto Carolo Borromeo peracta Sacrorum Corporum, in Baſilica Sancti Simpliciani jacentium, ſcilicet Sanctorum Simpliciani, Benigni, Geruntii, & Ampellii. Congruentiùs loquitur Liber inſcriptus *Succeſſores Sancti Barnabæ*, in quo legitur, curaſſe Geruntium, ut Sanctorum ejuſmodi Epiſcoporum Corpora decentiori loco in Baſilica Romana reponerentur.

Digitized by Google

SANCTUS BENIGNUS.

EOdem anno quo ad Deum migravit Sanctus Geruntius, promotus eſt ad Sedem Mediolanenſem Sanctus Benignus, Anno ſcilicet CDLXX. Lis magna orta eſt Seculo ſuperiore, nempe XVII., e qua Familia prodiiſſet Sanctus iſte Antiſtes, ***Bentiis***, & ***Boſſiis*** ſuum eſſe alternatim aſſerentibus. Romam delata eſt controverſia; cùmque Proceres de Boſſiis exhibuiſſent Sigillum Familiæ ſuæ, quod inventum fuerat in recognitione Sacri Corporis, a Sancto Carolo Borromeo peractâ Anno MDLXXXII., adjudicata eſt Cauſa in eorumdem favorem. Imo Urbanus VIII. Pontifex Maximus plenariæ Indulgentiæ munus conceſſit omnibus Boſſiæ Familiæ, ubicumque degerent, ac ſeſe Divinis Sacramentis munirent perpetuò acquirendæ, in Feſto ejuſdem Sancti Epiſcopi die, ut Boſca ***in Martyrologio Mediolanenſi*** teſtatur, ad diem XX. Novembris. Nos intactum hoc decus nobiliſſimæ huic Familiæ relinquimus; ſed Sanctum Benignum abſque ullo cognomine referimus, cùm ex plurimis Documentis antiquis, & Virorum doctrinâ inſignium teſtimonio ſciamus, occupantibus Italiam Gothis, & Langobardis, obliterata prorſus fuiſſe Familiarum cognomina, nec reviviſcere cœpiſſe in hac Provincia, niſi circiter XI. Seculum.

Inter cetera, quæ in hac Eccleſia præclarè geſſit Sanctus Benignus, illud recenſetur, quòd Templa Mediolani diruta aut combuſta, in vaſtatione Odoacri Herulorum Regis, re-

ſtituenda curaverit. Ex Libro inſcripto *Succeſſores Sancti Barnabæ* diſcimus quoque, hujus Antiſtitis tempore inventos fuiſſe Cineres Sancti Barnabæ: Ughellus autem addit, deportatos Mediolanum, honorificentiori loco fuiſſe ab eodem collocatos. Sed de hoc vetera quæ fidem faciant Documenta non afferuntur. Porro id certò ſcimus, ſacros hos Sancti Barnabæ Cineres, ex Sacello eidem dicato in Templo Sancti Franciſci translatos fuiſſe ſolemni ritu ad Altare Majus ejuſdem Baſilicæ a Sancto Carolo Borromeo poſtridie Idus Septembris, Anni MDLXXI., teſte Carolo a Baſilica Petri; qui etiam tradit, Sancti hujus Apoſtoli Caput multò antea in argentea theca fuiſſe repoſitum. Pretioſa hæc Sancti Barnabæ Lipſana inventa ſunt ſub altera ex columnis prædicti Templi, cùm aliud magnificentius conderetur; idque conſtat ex MS.tis Codicibus Baſilicæ Franciſcanæ, quorum verba recitat Boſca *in Martyrologio Ambroſiano*, ad diem XIV. Septembris; & etiam *ex marmore veteribus literis exarato*, quod *in ea ipſa Eccleſia viſebatur*, ùt tradit laudatus a Baſilica Petri, ubi agit de Sancto Barnaba, *in Hiſtoria Mediolanenſi*; demum ex Gofredi de Buſſero teſtimonio, qui Vitas Sanctorum, adhuc publica luce carentes, & apud Canonicos Ordinarios Mediolani ſervatas, conſcribebat Anno MCCXX. Verùm, quo tempore ad nos delata ſint ſacra hæc pignora, inſcii omnino ſumus. Papebrochius cenſuit, miſſam fuiſſe a Mediolanenſibus Civibus Legationem in Græciam ad ea obtinenda circa Seculum VII.. Sed cùm iſte locus non ſit, accuratiùs hæc inquirendi, verbis Caroli a Baſilica Petri brevi nos expedimus: *Quomodo Mediolanenſis Eccleſia Cineres &*

Ca-

Caput Sancti Barnabæ habuerit, ſcribere non poſſum; gaudeo tamen, eam Auctoris ſui præclara Pignora fuiſſe Dei clementiâ ſortitam.

In Lectione Breviarii Ambroſiani dicitur Sanctus Benignus ſediſſe annis VI.; Verùm octo anni incompleti eidem aſſignantur in Catalogo vetuſto, a Papebrochio illuſtrato; adeòque dicendum eſt, productam fuiſſe ab hoc Sancto Epiſcopo vitam ab Anno CDLXX., uſque ad Annum CDLXXVII.. Erravit Baronius, qui in Notis ad Martyrologium Romanum ſcribit, ſediſſe illum circa Annum CDLX., multòque magis Panvinius, qui omnino extra viam graditur, aſſerens, Sanctum Benignum interfuiſſe Synodo Chartaginenſi, celebratæ Anno CDL..

Delatum eſt Sacrum Corpus hujus Antiſtitis ad Sancti Simpliciani Baſilicam. In ejus laudem extat Ennodii Epigramma; ex quo tamen nihil ad Vitam Sancti Benigni ſpectans colligi poteſt.

Memoratus Catalogus antiquus, quem ſequimur cum Papebrochio, diem mortis Sancti Benigni figit Idibus Decembris; in noſtra autem Eccleſia Feſtus illius dies agitur XII. Calendas ejuſdem Decembris.

SANCTUS SENATOR.

MEdiolanenſis Eccleſiæ regimini poſt Benignum ſuffectus eſt Sanctus Senator. Etiam de hoc Antiſtite fervet controverſia, e qua Familia prodierit; ea enim, quæ *Villania* dicitur, ſtirpi ſuæ illum adſcribit; *Septallia* verò inter ſuos Gentiles eumdem conſtanter enumerat. Papebrochius *in Actis Sanctorum*, ad diem XXVIII. Maji Diſſertationem integram inſtituit *de Antiquitate Septalliorum Familiæ*, quam *Illuſtriſſimam* quidem vocat, ſed minimè approbat ejuſdem Documenta publica, quæ uſque ab Anno Dominicæ Incarnationis DLII. confecta eſſe dicuntur; illa enim pluribus mendis ſcatere oſtendit, inter quæ illud eſt, quòd *Annum Incarnationis* præferant, cùm per ea tempora a Dionyſio Exiguo inventus quidem fuerit, ſed longè ſeriùs adhiberi cœptus, octavo ſcilicet Seculo, hujus Epochæ calculus: Secundò, quòd nemo ante ætatem Caroli Magni Antiſtites Mediolani, *Archiepiſcopos* nominavit; adeòque Chartas hujuſcemodi conſcriptas fuiſſe Anno MCLII. arbitratur, atque ad oſtentationem antiquitatis translatas ſubinde fuiſſe ad annum prædictum, eò quòd illo anno verè Indictio eadem decurrebat.

Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ſub die XXVI. Septembris vocat hunc Antiſtitem *Romanum Presbyterum*, eumdem aſſerens miſſum fuiſſe Legatum a Sancto Leone Summo Pontifice Conſtantinopolim ad Concilium Chal-

cedonenſe ; ſed Mediolanenſi Eccleſiæ fuiſſe addictum, manifeſtè eruitur ex Epiſtola Euſebii Epiſcopi noſtri ad memoratum Pontificem Maximum, in qua eum appellat *Compresbyterum ſuum*. Itaque tamquam Civem noſtrum, eumdem nos glorioſe oſtentamus ac veneramur.

Quo temporis ſpatio in Mediolanenſi Eccleſia ſederit Senator, antiquum Catalogum perluſtrans Papebrochius inquit, ſucceſſiſſe illum Benigno Anno CDLXXVII., ac per triennium circiter perduraſſe in hac Sede uſque ad Annum CDLXXX.. Tabula Archiepiſcoporum Mediolanenſium, inſerta hujus Eccleſiæ Actis, plurimùm errat, dum ait, Sanctum Senatorem ſediſſe ſub Gelaſio Pontifice Maximo; ſiquidem iſte nonniſi Anno CDXCII. Pontificatum iniit: Item conſecratum fuiſſe Epiſcopum die IX. Decembris, in Feſto Sancti Ambroſii; cùm Sanctus iſte Eccleſiæ noſtræ Patronus colatur die VII. menſis ejuſdem. Nos Papebrochio manus damus, aſſerentes Sanctum Senatorem poſt triennium incompletum Sedis, obiiſſe Anno CDLXXX., die XXIX. Maji.

Ughellus refert, Sanctum Senatorem miraculis clarum, ab Anaſtaſio II. Summo Pontifice meruiſſe, ut in Album Sanctorum referretur Anno CDXCVII.; at Papebrochius ſubjungit, neminem ſibi abſque idoneo Teſte probaturum, hoc muneris Romanos Pontifices iis Seculis ſibi aſſumpſiſſe extra Romam, exceptis Eccleſiis Suburbicariis. Id quoque irrepſit in Lectionem Breviarii noſtri, concinnatam a Petro Paulo Boſca, teſte Papebrochio, ad quem ille hanc Lectionem a ſe confectam tranſmiſerat.

Sepultus eſt in Sanctæ Euphemiæ Templo, quod ipſe con-

condiderat in memoriam Templi Chalcedonenſis, eidem Sanctæ Martyri dicati; Sacra autem hujus Sancti Præſulis Celebritas in Ambroſiana Eccleſia peragitur V. Calendas Junii.

Præclarum Elogium huic Antiſtiti contexuit Ennodius, ex quo colligimus miſſum cum fuiſſe Conſtantinopolim, ad Fidem Catholicam tutandam, & ab eo interpretationes accepiſſe Libros Prophetarum; nec non eloquentiâ & virtutibus eumdem claruiſſe: Ita enim cecinit:

Qui vincit trabeas, ſolium, cinctumque Gabinum,
Conſulibus præſtans, ecce Senator adeſt.
Ingenium velox, ſermonis cura rotundi,
Virtutum pretium, forma pudicitiæ.
Abdita Librorum myſteria clauſa Prophetæ
Qui dedit in lucem, ſchemate quo voluit.
Orbis ad extremi miſſus ſecreta, verendis
Curavit ſtudiis quod fuerat lacerum.
Tunc Oriens victum peregrino lumine faſſus,
Hæſit ad aſpectum lampadis alterius.

THEO-

THEODORUS I.

IN locum Sancti Senatoris ſubſtitutus eſt Theodorus I., ex Mediolanenſi Familia. De rebus ab eo geſtis parcè admodum loquuntur Hiſtoriæ noſtræ. De illo nonnulla ſcripſit Puricellus in Vita Laurentii I, Epiſcopi Mediolanenſis Cap. XXVI., ubi num. XXIV. Epigramma in ejus laudem conditum a Sancto Ennodio refert; atque ex eo colligit, hunc noſtrum Antiſtitem præſtitiſſe prophetiæ dono. Plura etiam alia innuit Ennodius, quæ plurimùm hujus Præſulis ſanctimoniam ac doctrinam extollunt. Quamobrem illud integrum huc transferre neceſſarium exiſtimamus. Carminibus autem ſuis titulum hunc præfixit Scriptor ille;

De Domno Theodoro, virtutum omnium Epiſcopo

Tu lux certa tuis, ſpes tu fidiſſima rerum,
Vatis Apoſtolici tu, Theodore, vigor.
Virtutum cumulus, ſubſtantia lucida veri,
Monſtrat acervatis quem labor in ſtudiis.
Præſcius, accinctus, fortis, tranquillus, amicus,
Compoſitus, ſimplex, tu bonus, & ſapiens.
Fatidicus ſemper tibi conſcia corda futuri
Deprenſum fluxit te referante malum.
Quem timuère feri calcantes culmina Mundi,
Dilexit ſpernens dura ſupercilii.

Ughel-

Ughellus addit, ab hoc Epiſcopo *mirabiliter auctam fuiſſe* ſplendore ac cenſu *Mediolanenſem Eccleſiam*, *cùm a Summo Pontifice omnia Civium bona decimandi facultatem obtinuiſſet*; fortaſſis enim, ùt opinamur, imminuti fuerant reditus Epiſcopalis Menſæ ob irruptionem Barbarorum. Sumpſiſſe hoc videtur Ughellus a Libro, cui titulus *Succeſſores Sancti Barnabæ*; cujus tamen Auctor recentior eſt ætate Sancti Caroli Borromei.

Eccleſia Ambroſiana de hoc Epiſcopo Officium ac Feſtum diem non celebrat; attamen illud agitur in Baſilica Sancti Laurentii, ad diem XXVII. Julii; ejuſque memoriam recenſuit *in Martyrologio ſuo Mediolanenſi* Petrus Paulus Boſca cum Titulo *Sancti*, quem etiam præferunt Catalogi antiqui. Plura autem ejuſdem ſanctimoniæ teſtimonia, quæ tum ex Scriptoribus, tum ex Viſitationibus Sancti Caroli, & Cardinalis Federici Borromei conſtant, collegit Puricellus loco proximè laudato.

Sepultus eſt in Sacello Sancti Hyppoliti, quod etiam nunc extat adnexum Sancti Laurentii Baſilicæ. Sedit annos X. incompletos, nempe ab Anno CDLXXX., ad XC., quo obiit die XXVII. Martii; cùm tamen perſæpe dies iſte in Quadrageſimam incidat, quo tempore Ambroſiano ritu ſolemnia Sanctorum Officia interdicuntur, tranſlata eſt feſtiva hujus Antiſtitis memoria, ùt diximus, ad diem XXVII. Julii in Laurentiana Baſilica.

Emendandus eſt Ughellus, qui ex malè initis ab ipſo chronologicis calculis, ſex tantùm annos regiminis Theodoro attribuit, ejuſque mortem biduo diſtulit, ad diem XXIX. Martii eamdem referens. LAU-

Digitized by Google

LAURENTIUS I.

Vices Theodori defuncti in adminiſtranda Mediolanenſi Eccleſia multa cum laude implevit Laurentius I., electus in Antiſtitem Anno CDXC. Vitam Sancti hujus Epiſcopi fusè digeſſit Puricellus, res ab ipſo geſtas ſingillatim exponens. Nonnulla tamen in eo Volumine expreſſa legimus, quibus calculum noſtrum addere recuſamus.

Primò enim Sanctum hunc Præſulem e nobiliſſima *Littarum* Gente prodiiſſe, mordicus aſſeverat. Sanè hanc Illuſtrem Stirpem a remotis temporibns claruiſſe in noſtra Urbe, nemo inficiatur; protendiſſe tamen ramos ſuos uſque ad eam ætatem, itaut ex eadem enaſceretur, tamquam germen ſuum, Laurentius, Eruditis hujus temporis Viris Puricellus difficillimè perſuadebit: Præſertim cùm ipſemet pag. XV. ejuſdem Libri, ingenuè fateatur, *primum omnium propria noſtrorum Archiepiſcoporum cognomenta & Familias Petrum Galeſinium ſuperaddidiſſe*. Quocirca illum modeſtè ſugillat Papebrochius in Exegeſi, fol. LXIX., inquiens; *hac in re paſſim gratioſa Nobilitati, ſe non mirari, quod paucos Galeſinius habuerit contradictores, aſſentatores plurimos*; ſubjungitque: *quibus vellem poſſe non accenſere ipſummet Puricellum, Virum aliàs eruditum, & acris ad res examinandas judicii*.

Alterum, quod dimittere abſque cenſura non poſſumus, illud eſt quod hoc loco narrabimus. Intraverat Anno

S CDLXXXIX.

Digitized by Google

CDLXXXIX. Italiam Theodoricus Rex Gothorum, decertaturus contra Odoacrem Herulorum Regem, nomine Zenonis Imperatoris, eumque etiam tribus præliis victum, ſub ſpecie pacis in Urbe Ravennæ interfecerat Anno CDXCIII.. Succeſſerat in Imperium Zenoni Anaſtaſius Anno CDXC.; quapropter ſublato infenſiſſimo hoſte Odoacre, Legationem ad illum miſit Theodoricus. Verùm Gothi cum eo militantes, non expectato Cæſaris conſenſu, Theodoricum in Regem acclamavere, quemadmodum ex Anonymo Valeſiano Pagius enarrat. Puricellus novum honorem huic Regi adjungere voluit, ſcribens poſtmodum, Theodoricum Ravennâ Mediolanum profectum, in Italiæ Regem fuiſſe inſtitutum, ac Coronâ Ferreâ Italici Regni ab hoc noſtro Antiſtite Laurentio propriâ manu redimitum in Eccleſia Sancti Michaëlis, prope Baſilicam Sancti Ambroſii. Quin etiam refert, edidiſſe hunc Regem Decretum, de ceteris Italiæ Regibus eodem diademate impoſterum inſigniendis. Quid verò impulerit tam exacti criterii Virum, nempe Puricellum, ut tantâ fiduciâ rem hanc antiquis omnibus Scriptoribus ignotam noſtris objiceret oculis, ipſemet ſilet, ac profitetur, *ſe nullum vetuſtiorem inveniſſe Auctorem, in præſenti Cauſa hujus rei teſtem, præter Galvaneum Flammam*, Scriptorem Seculi XIV., qui antiquas Hiſtorias ſus deque convolvens, gerras & fabulas quamplures poſteris obtruſit, nec niſi in rebus ætati ſuæ proximis fidem meretur, ut omnibus notum eſt. De hac Ferrea Corona, quando inſtituta fuerit, ferbuere poſtremâ hac ætate acres diſputationes inter Viros doctrinâ inſignes. Nos ſententiam noſtram ediximus in Commentariis ad

Hiſto-

Hiſtoriam Italiæ Caroli Sigonii, nec locus iſte eſt eadem repetendi.

Ut autem ad res præclarè geſtas ab Epiſcopo Laurentio referendas calamum convertamus; indubium Teſtem proferimus Ennodium Ticinenſem, qui huic Antiſtiti coævus erat, & panegyricam Orationem habuit in Natali, nempe anniverſario ejuſdem Conſecrationis die. Antiquitus enim in more poſitum erat, ut, non ſecus ac Cæſares ſua Quinquelia, Decennalia ac Vicenalia publicâ ludorum hilaritate, effusâque in eorum laudes inſignium Oratorum eloquentiâ celebrabant; ita Summus Pontifex, & Epiſcopus quilibet propria in Eccleſia Conſecrationis ſuæ memoriam ſingulis annis recoleret; eâque occaſione antiqui Patres intexere Sermones ſolebant in commendationem rerum ab ipſis egregiè geſtarum, quorum plurimi adhuc ſuperſunt. Religioſa autem iſta feſtivaque pompa ab Eccleſiarum Præſulibus inſtituebatur, non ad inanem gloriam laudemque captandam, quemadmodum erat faſtus Principum Auguſtorum; ſed ne primigenium initi Epiſcopatûs fervorem langueſcere ſinerent, novoſque potiùs animos ſumerent ad graviſſimi muneris ſui onera alacriùs ferenda. Extat præclarum de ſe ipſo teſtimonium Sancti Auguſtini, relatum a Clariſs. Thomaſſino (a): *cùm dies anniverſarius noſtræ Ordinationis exoritur, tunc maximè honor hujus Officii, tamquam primò imponatur, attenditur*. Hujus antiquæ conſuetudinis, quæ olim vigebat inter Epiſcopos, veſtigium aliquod adhuc ſupereſt; quolibet nam-

S 2 que

(a) *De Antiqu. & Nov. Eccleſ. Diſciplin. Part. II. Libr. II. Cap. VIII. num. XIII.*

que anno, recurrente die Conſecrationis Epiſcoporum, & etiam Summi Pontificis, fit ejuſdem commemoratio in Miſſis quoque ſolemnibus per omnes Eccleſias.

Narrat igitur in ea Oratione Ennodius, infauſta fuiſſe Laurentio ſui Pontificatûs exordia; ait enim: *novellis te adhuc impoſitæ Dignitatis labantem veſtigiis, ineluctati temporis ſuſcepit adverſitas*. Sirmondus iu Annotationibus ad hunc Ennodii locum, hæc ſcripſit: *Succeſſit Laurentius in Cathedra Mediolanenſi Theodoro Epiſcopo. Paulò poſt ſecuta eſt direptio Urbis Mediolanenſis, & exilium Laurentii, per Odoacrem opinor, quando Tufa Duce adverſus Theodoricum rebellavit*. Puricellus Cap. VIII. Vitæ hujus noſtri Epiſcopi, non tam in exilium pulſum, ſed etiam captivum abductum Laurentium exiſtimat, perpendens ea quæ Ennodius referre proſequitur. Ut autem hoc clariùs pateat, præmittendum eſt, Theodoricum, cùm, expulſo Odoacre, Mediolano potitus eſſet, plures habuiſſe ex Italicis militibus, qui ſeſe ſponte eidem dedidere, & ſub ejuſdem vexillis militare ſpoponderunt. Cùm verò Ticinum profectus ab Odoacre obſideretur, plurimi ex iis, qui ejus caſtra ſequebantur, inſtigante quodam prædone, appellato Tufa, qui ſe Ducem illis præbebat, a Theodorico Rege ignominioſe defecerunt. Tentatus eſt etiam Laurentius Epiſcopus, ut cum ſuis Civibus in eorum partes concederet; eo autem generosè renuente, irrupit hoſtis Tufa cum ſuis in hanc Urbem, & more pecudum populum per diverſa diſtraxit, ipſumque Antiſtitem in captivitatem abduxit. Illum verò laudans Ennodius hæc habet: *Inter iſta tamen fractum te non vidit*

adver-

adverſitas : hoc triumphis ſuis decerpi ſenſit inimicus , quòd capti Sacerdotis animum non ſubegit ; & poſt pauca ſubjungit : *Taceo inediam , frigus , & injurias , & illa quæ tibi inimici animus providit alimenta morborum* . Occiſo tandem Odoacre , diſperſiſque rebellibus , Laurentius Epiſcopus libertati reſtitutus , Urbem hanc præſentiâ ſuâ gaudio replevit , eamque a præteritis ærumnis afflictam quamplurimùm recreavit .

Lætari tamen ſincerè non potuit reditu ſuo Laurentius , cùm oves ſuas inſpiceret miſerrime ſquallentes ob peſſimam deprædationem illatam huic Metropoli in eo furentium militum impetu , qui fœdâ rabidâque direptione cuncta vaſtaverant . Expreſſit hunc Laurentii noſtri angorem animi Ennodius his verbis : *Lætitiam ceteris tuo dediſti reditu , tu regreſſus ad lacrymas* ; quæ tamen ſteriles minimè fuere , ocioſæque in genis relictæ . Siquidem erigendæ e ruinis Urbi liberalem manum admovit amantiſſimus Antiſtes , adeo ut Scriptor ille in has laudes eruperit : *Brevi poſt in antiquum ſtatum , qui tibi poſt Deum debetur , Urbs jam ſepulta revaluit ; & quæ non credebat , in ſe reparari poſſe quod fuerat , cœpit jam meliora æmulari . Tunc qui vitæ uſus eſt , jam cernere erat , omnia ad lætiorem profectum bonis ſucceſſibus invitari* .

Supererat flectenda ad clementiam ira Theodorici , qui indignatione fervens contra Italos ob turpem defectionem , qua ab ipſo receſſerant ut ſe Odoacris & Tufæ caſtris adjungerent , eos privaverat Romano Jure teſtandi atque legandi . Hac Lege perculſi qui perduellionis reatu infecti erant ,

ad

ad Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum, Theodorico Regi acceptiſſimum confugêre, extremis precibus eum exorantes, ut Legationem ad illum ſuſciperet. Annuit Epiphanius, ſed Socium quæſivit, cùm ſe imparem obtinendæ gratiæ expetitæ, præ demiſſione animi reputaret. Itaque datus eſt eidem comes ad iter Ravennam aggrediendum Laurentius Epiſcopus Mediolanenſis. Poſtqnam illuc ſe contulere, *Beatus Laurentius* (ut ait Ennodius) *neceſſarium duxit, illi potiſſimùm perorandi copiam dari, cujus veſtigia frequentium Legationum laborioſus callis attriverat.* Sanè tanto apud Theodoricum eloquentiæ robore perotavit Epiphanius, & poſt illum Laurentius, ut Rax facili benignitate acceptam injuriam condonaverit, reſervatâ tantùm ſibi pœnâ, in eos infligendâ qui Auctores fuerant excitandæ contra ipſum aliorum defectionis. Hæc appoſitè ad Ennodii ſcripta fuſiùs enarravit in Libro XVI. *de Occidentali Imperio* Sigonius.

Functus optimè hoc officio ſimul cum Antiſtite Ticinenſi, paceque redonatâ Italiæ, vocatus eſt Laurentius a Summo Pontifice Simmacho Romam, qui in Schiſmate ibidem gliſcente accuſatus fuerat de gravi crimine ab æmulis ſuis apud Regem Theodoricum; ideòque Concilium convocaverat, ut hujus calumniæ examen inſtitueretur a collectis in plena Synodo Patribus. Non præſedit eidem Summus Pontifex, primamque ideo Laurentius Sedem occupavit. Re autem exactè diſcuſsâ, depulſa fuit judicio omnium Antiſtitum infamis calumnia Pontifici Maximo affixa; ſed nihil definitum, cùm Pontifex Romanus a nemine in terris judicari poſſit. Quocirca profeſſi ſunt Epiſcopi, ſe Dei judicio omnia

omnia committere, & quantum ad homines ſpectabat, aſſeruerunt, dignum eſſe Simmachum, qui Eccleſiæ Catholicæ tamquam Caput præeſſet. Interim Antiſtites ac Pontifex ipſe Simmachus Literas ad Regem dedêre, quibus conſcium eum reddebant de rebus actis in Synodo, nunciantes Summum Pontificem per ſacras Leges ad cauſam dicendam compelli non poſſe; ceterùm eumdem Regiæ voluntati obſequi eſſe paratum. Literas benignè accepit Theodoricus, ſed, licèt Arianam Sectam profiteretur, reſpondit *nihil ad ſe de Cauſis Eccleſiaſticis, præter reverentiam pertinere*; adeòque *viderent Epiſcopi ac præſcriberent, quid ſibi conſilii in tanto negotio capiendum*, ut ex Actis Concilii narrat Sigonius.

Coacta eſt Romæ alia Synodus, in qua reſciſſæ ſunt Leges ab Odoacre promulgatæ contra Eccleſiaſticam immunitatem; iis enim ſanxerat, ne abſque Italiæ Regis conſenſu electio Romani Pontificis fieret, neque prædia Eccleſiæ alienari poſſent. Sed de Simmacho nihil eſt actum, ùt Pagius contendit; imo ſuperiorem, quam retulimus, non eſſe ſejungendam ab ea, de qua mox loquemur, contra Baronium, alioſque diverſas Synodos enunciantes, evincere nititur.

Igitur recepto piiſſimo Theodorici Reſcripto altera celebrata eſt, ſeu continuata Synodus, quæ *Palmaris* nomen accepit a Loco, in quo habita fuit, nempe Porticu Baſilicæ Sancti Petri, quæ nuncupabatur *Palmaris*, ſeu *ad Palmam*. In ea *damnatus fuit Petrus Altinus, invaſor Sedis Apoſtolicæ & Laurentius Nucerinus, quia, vivo Simmacho, pervaſerunt Sedem ejus. Tunc ab omnibus Epiſcopis & Presbyteris & Diaconibus, & ab omni Clero vel plebe redintegratur Sedi Apo-*

Apoſtolicæ Beatus Simmachus, ut cum gloria apud Beatum Petrum ſederet. Pagius Anaſtaſium, qui hæc refert in Vita Simmachi, erraſſe ait, dum Petrum Altinenſem *invaſorem* appellat, cùm tantùm fuerit Schiſmatis fautor; & Annum DIII. huic Concilio figit, menda expungens, quæ irrepſere in Conciliorum collectionibus, ac Scriptorum de hiſce rebus edita Opera, necnon chronologicam ſeriem Synodorum quæ ſub Simmacho coaluere ad juſtam veritatis trutinam, ùt ipſe arbitratur, reducere adlaborans. Quidquid tamen de hoc ſit, noſtri muneris ratio minimè patitur, ut tempus illuſtrandæ Antiſtitum Mediolanenſium Hiſtoriæ dicatum, in hiſce exſolvendis implicatiſſimis nexibus abſumamus. Itaque id tantùm, quod ad Laurentium Epiſcopum Mediolanenſem pertinet, referimus, videlicet ipſum Synodis omnibus, quæ in Summi Pontificis Simmachi Cauſa celebratæ ſunt in Alma Urbe, primo loco ſubſcripſiſſe, ante Petrum Ravennatem Præſulem, alioſque Antiſtites, qui copioſo numero ad eas confluxere, *magnamque gloriam ex defenſa veritate ſibi conciliaſſe*, quemadmodum in ejus laudem ſcriptum reliquit Baronius ad Annum DII.

Cùm ſuperiùs retulerimus, accuſatum fuiſſe Simmachum Summum Pontificem de gravi crimine apud Theodoricum, Puricellus Cap. XX. Vitæ ejuſdem Laurentii ex antiquis monumentis indagare nititur, quodnam fuerit hoc crimen, per calumniam Sancto illi Pontifici impactum; Baronii autem verba recitat, quibus oſtendit, hoc juxta antiquam Sacerdotum praxim prudenti ſilentio omiſſum contectumque, ne ſuſpicio aut ſcandalum de Primo Hierarcha, & Clero ſuboriretur.

retur. Ceterùm ex Decreto Simmachi, ſcripto ab Ennodio, quo cautum eſt juſſumque, ut omnes Presbyteri & Diaconi haberent Contubernales, quos vocant *Concellaneos*, ſeu *Cellulanos*, pudicitiæ ſuæ teſtes; Summum Pontificem Simmachum pulſatum ab adverſariis fuiſſe enormi crimine adulterii colligimus. Proſequitur poſtmodum Puricellus enarrare, a Laurentio Epiſcopo Mediolanenſi convocatum fuiſſe Provinciale Concilium, in quo Apoſtolicum hoc Decretum ſubjectis ſibi Epiſcopis inviolatâ obedientiâ obſervandum indixit, quemadmodum teſtatur idem Ennodius.

Altera quoque occaſio ſeſe obtulit Laurentio noſtro Antiſtiti, obſequium ſuum amoremque erga Apoſtolicam Sedem teſtandi. Cùm Simmachus, antequam Synodi ſuperiùs memoratæ celebrarentur, pacem cum Laurentio Pſeudo-Pontifice iniiſſet, eumque Nucerino Epiſcopatu donaſſet, novis ſemper adverſariorum inſidiis calumniiſque impetitus, pati debuit priores Schiſmatis ærumnas, eodem Laurentio iterum Pontificiam Cathedram invadente. Perturbatis ita rebus, diviſoque in diverſas partes Clero, Marcellianus quoque Aquilejenſis Antiſtes Laurentio adhæſerat. Conſtantiſſimus in fide erga legitimum Pontificem Simmachum Laurentius Mediolanenſis Epiſcopus, ad Præſulem Marcellianum direxit inſtructiſſimam Legationem, quemadmodum ſcripſit Ennodius ad eumdem Pontificem Maximum. Quamvis autem Ennodius non exprimat nomen Laurentii, Sirmondus tamen in Adnotationibus ſubdit: *In certamine Laurentianæ factionis ſchiſmaticæ, quæ Simmachum variis modis oppugnavit, ad Marcellianum pro Simmacho ſcripſerat Laurentius Epiſcopus Mediolanenſis,*

T *quem*

quem ab Ennodio deſignari puto. Nec inanis fuit iſte conatus præſtantiſſimi noſtri Antiſtitis; in altera enim Epiſtola ad eumdem Summum Pontificem ſcriptâ teſtatur Ennodius: *agnoverunt adverſarii Sedis veſtræ, quo propugnante vincantur; quod proxime de Aquilejenſi Redemptor noſter perſonâ reſeravit*; redierat namque Præſul ille ad Catholicam cum Simmacho communionem. Adſcribenda igitur eſt noſtro Epiſcopo Laurentio laus, reconciliati Romanæ Eccleſiæ Antiſtitis Aquilejenſis. De hac Legatione agit Puricellus loco laudato, Cap. XXII.

Cùm adeò affluens foret meritorum ſeges, quam in Apoſtolicæ Sedis tutamine ſibi comparaverat Laurentius, idem Puricellus Epiſtolam Simmachi Pontificis Maximi recitat, quæ uſque ad id tempus genuina illius Pontificis cenſebatur, & plena eſt præconiis Laurentii Antiſtitis noſtri, legiturque inſerta reliquis Simmachi Epiſtolis in antiquis Conciliorum collectionibus. Jacobus Sirmondus, Vir ſingulari doctrina præditus, memoratæ Epiſtolæ larvam detraxerat, eumque viderat Puricellus. Nihilominus toto Cap. XVI. pertinax in ſua opinione, eamdem tamquam legitimam Simmacho adſcribere omni conatu contendit. Non ita cenſuere præter Sirmondum eruditiſſimi noſtri temporis Viri, inter quos Papebrochius & Bollandiſtæ ad diem XXVII. Julii; eamdem enim Simmacho abjudicant, tum quia ſtylus ab aliis prædicti Pontificis Literis multum diſcrepat, tum quia plura in ea leguntur, Laurentio neutiquam convenientia: Quamobrem aſſerunt, eſſe *Dictionem* ab Ennodio dictatam in laudem Maximi, Epiſcopi Ticinenſis. Hinc verò effectum eſt, ut in

nova

nova Conciliorum Editione, qui eam curavere, errorem hunc ad marginem adnotaverint, ne impoſterum Lectores deciperentur. Sanè capti falsâ hac perſuaſione Galeſinius, Ripamontius, & Ughellus adoptaverunt laudes, quæ in prædicta Epiſtola jacent, tamquam ſcriptas a Summo Pontifice, videlicet, *cùm omnes* Laurentium *vererentur*, *neminem fuiſſe, qui vel in abditiſſimo loco ſcelus concepiſſet, quin illum, quaſi teſtem ſpectatoremque metueret*.

Illud negari procul dubio nequit, uſque ab initiis Pontificatûs ſui incenſum fuiſſe Laurentium deſiderio amplificandi cultûs Divini; cùm enim electus quidem foret Mediolanenſis Epiſcopus, ſed nondum ſacrâ unctione inauguratus eſſet, intereſſe voluit Dedicationi Baſilicæ Apoſtolorum, quæ peragebatur ab Honorato, Suffraganeo ſuo Antiſtite in Urbe Novariæ, poſtquam Ædes illa a fæcibus Gentilium expurgata a Victore ejuſdem Deceſſore, ac in Templum Deo dicatum converſa fuerat. Dum autem, juxta illius ætatis diſciplinam, e ſuggeſtu Sermonem ad populum haberet Honoratus Antiſtes, hæc publicè de noſtro Laurentio protulit: „ Veni ergo piiſſime Domine, & ad conſecrationem operis tui plenus illabere; vice humani per Baptiſma pectoris purgentur hæc Templa, turpi hactenus dedicata patrocinio: Inſtitue Domine, vertendo ſacrificia; & dum puris cumulamus Altaria ſancta donariis, præſentiam tuæ Majeſtatis interſere, evocatus Sanctorum merito Sacerdotum, Electi ſeorſim præſentis Patris noſtri Laurentii conſcientiâ, qui tot plenus dotibus ad Eccleſiæ faſtigia crevit, quot feciſſent Summum ſingulæ quæque Pontificem;

T 2 „ in

„ in quo vernat princeps boni operis & mater honeſtatis „ verecundia, religionis ſanctæ nutrix patientia, Deum ſem-„ per placatura pietas; qui Eccleſiaſticis membris non ſer-„ mone, vitæ inſtituta tribuit, ſed exemplis; qui omnem „ callem, quo ad Deum itur, dum prævius incedit, oſten-„ dit.

Neque ab hujuſmodi virtutum cultu umquam deſtitit Antiſtes noſter Laurentius; quinimo cùm pacatiores illi dies affulſiſſent, totum ſe addixit condendis exornandiſque Sacris Ædibus, in quibus pietas Ovium ſuarum honeſtiùs aleretur, Deoque ſinceriora obſequia præſtarentur. Primò enim prope Fanum Sancti Laurentii, Baſilicam Sancto Xiſto Pontifici & Martyri a fundamentis erexit conſecravitque; Ennodius verò, priſco Eccleſiæ more, parietes verſibus inſcripſit, quemadmodum eruditè adnotavit Sirmondus: Ii autem ſunt ſequentes.

Antiſtes genio pollens, probitate, pudore,
Ornavit domum meritis, & lumina vitæ.
Ad pretium jungens Operis hæc Templa locavit.
Lapſa per incertos non ſpargit fama receſſus,
Sed veteris facti vivit lex aucta per ævum,
Quam dexter capiat Laurenti munera Xiſtus.
Sic manet officium, quod Sanctis contigit olim
Obtulit hic Templum, veniens quod conſecrat ille.

Alteram etiam Baſilicam in nobiliorem formam renovavit Laurentius; fortuito enim incendio conſumpta, fere univerſa perierat. Ennodius hanc quoque memoravit, laudavit-

davitque Laurentium Epiſcopum reſtauratorem hiſce carminibus:

Vilia tecta priùs facibus ceſſere beatis,
Sic ſplendor per damna venit, ſic culmina flammis
Conſurgunt habitura Deum. Si perdita creſcunt
Ignibus innocuis, ſi dant diſpendia cultum,
Qualis erit reparans crepitantibus alta ruinis?
Laurenti tua bella gerens, incendia vince.
Sordida marcenti latuiſſet terra receſſu,
Si ſtatûs faciem tenuiſſent antra vetuſta.
Sed poſtquam Superi flammas miſêre ſecundas,
Ad lumen cineres traxerunt iſta colendum.
Huc oculos converte pios qui cuncta vapore
Prædicis mundanda, Pater, rebuſque docendos
Inſtrue, ne verbis titubet mens neſcia recti.

Siluit Ennodius nomen hujus Baſilicæ a Laurentio refectæ; Puricellus tamen Cap. XXVII. eam pro certo credidit, fuiſſe Baſilicam Nazarianam, ſæpiùs incendiis vaſtatam.

Inter alias nobiles curas in erigendis de novo, aut reficiendis veteribus Eccleſiis, minimè oblitus eſt Laurentius Metropolitani ſui Templi. Superiore ad hunc Epiſcopum Seculo in Italiam ac Mediolanum irrumpens Attila majorem Baſilicam diruerat, ejuſque ruina communem excifæ Urbis calamitatem doloremque Civium adauxerat. Quamvis autem, Barbaris Italiâ expulſis, Mediolanenſis populi pietas cladem hanc reparaſſet, quemadmodum protulit Maximus, Taurinen-

ſis Antiſtes in eo Sermone, quem habuit ad Cives Mediolanenſes pro reparatione Eccleſiæ & Urbis; cujuſque fragmentum recitat Triſtanus Calchus *in Hiſtoria Patriæ*, ad Annum CDLII.; nihilominus nondum priſtini ſplendoris ſui faciem reſumpſerat. Igitur eidem expoliendæ ornandæque manum appoſuit Laurentius. Quænam fuerint ornamenta, addita a noſtro Antiſtite Majori Baſilicæ, ſparſim recenſet Ennodius in pluribus Epigrammatis, a Puricello relatis Cap. XXVIII.: Ait enim in primo

Herbida paſturam ſimulantia ſaxa virentem
Illiciunt oculos nobiliore dolo.

Sirmondus *herbida* hæc *ſaxa* ſcitè adnotat, eſſe marmor Lacedemonium viridis coloris, idque confirmat teſtimonio Prudentii & Sidonii, quorum primus in ſuis carminibus ait:

Quæ viridis Lacedemon habet . . . .

alter verò:

. . . . *herboſis quæ vernant marmora venis.*

Proſequitur autem Ennodius reliqua pretioſiora additamenta referre, inquiens:

Aurum, culmen, ebur, tabulas, laquearia, gemmas,
Non datur humanis plus rutilare bonis.

De-

Demum hæc in altero Epigrammate ſubdit:

Pontificis ſummi ſtudio conſtructa renidet,
Laurenti, propriam poſſidet iſta diem.

Baptiſterium quoque, quod Majori Eccleſiæ adhærebat in modum alterius Baſilicæ, ab Ambroſio appellatæ *Baptiſterii Baſilica*, aut refecit, aut de novo condidit, cùm vel ſenio vel Barbarorum injuriis labefactatum, ruinæ proximum foret. Teſtatur id Ennodius hiſce carminibus:

Mundior excocti fulgeſcat luce metalli
Munera diſponit qui dare digna Deo.
Ante vaporatis Laurenti vita caminis
Conſtitit, ut blandum nobilitaret opus.
Marmora, picturas, tabulas, ſublime lacunar
Ipſe dedit Templo, qui probitate nitet.
Ædibus ad pretium ſic mores Conditor addit,
Vellera, ceu ſerum, murice tincta feras;
Qualiter incluſas comit lux hoſpita gemmas,
Nix lapidis quotiens pulchrior arte rubet.

Ad ſacram denique Sancto Calimerio Ædem reparandam animum adjecit. Inter cetera, quibus ea indigebat, id erat, quòd ampliorem aditum ad Solis lumen excipiendum expoſcere videretur. Hoc carere Eccleſiam illam minimè paſſus eſt Laurentius. Ennodius ſoli itudinem hanc Antiſtitis noſtri laudavit ſequenti Epigrammate: Li-

Libera captivum meruerunt culmina lumen,
Arridet facies, nubila nuda gerens.
His nuper aſtrigeri dos proxima venit Olympi,
Laurenti Vatis ducta miniſterio.
Euge vetuſtorum reparator, perge novorum
Conditor, & vultu clarus & ingenio.
Abjurant priſcam, te Præſule, Tecta figuram,
Advena caſuris porrigitur genius.

Denique perfunctus optimè ex omni parte, Paſtorali ſuo munere Laurentius, depoſitis mortalibus exuviis, ſpiritu ad Cæleſtem Patriam evolavit VIII. Calendas Auguſti, Anno DXII., ſepultus in Eccleſia Sancti Hyppoliti Martyris, Laurentianæ Baſilicæ adnexa. Mirum eſt, quantùm diſſentiant Scriptores, recentioreſque Catalogi, in aſſignandis Laurentio Sedis annis; eos imminuentibus nonnullis, inter quos Galeſinius & Ughellus; aliis verò, ultra quam par eſt, protendentibus. Nos cum antiquo Catalogo, Puricello, & Papebrochio, duobus ſupra viginti annis, ac tribus circiter menſibus ſediſſe Laurentium affirmamus, ab Aprilis nempe initiis Anni CDXC., ad Annum DXII., menſe Julio in finem abeunte.

Peculiaris ſanctimoniæ famâ conſpicuum deceſſiſſe, & Sanctorum albo adſcriptum eſſe Laurentium, invictis teſtimoniis toto Capite XXXII. Puricellus commonſtrat. Ambroſiana tamen Eccleſia illius memoriam minimè Calendariis ſuis inſeruit. Contra verò in Laurentiano Templo feſtus ejuſdem dies Natalis quolibet anno celebratur ab immemorabili tempore, omnique Officiorum & Divinarum precum apparatu tamquam Sanctus colitur.

SAN-

SANCTUS EUSTORGIUS II.

SUcceſſor Laurentio I. datus eſt Euſtorgius II. hujus nominis, qui natione Græcus fuiſſe dicitur; quamvis Bollandiſtæ ad diem VI. Junii animadvertant, Græciæ adſcriptum fuiſſe hunc Epiſcopum, ob confuſa fortaſſe Acta Euſtorgii primi cum ſecundo. Erronee prorſus hunc cenſuit Galeſinius, creatum fuiſſe Epiſcopum a Felice IV. Summo Pontifice, qui aſſumptus eſt ad Apoſtolicam Cathedram Anno tantùm DXXVI., hoc eſt XIV. annis poſt electionem Euſtorgii, & VIII. ab ejuſdem obitu.

Romæ vixit ſub Gelaſio, Simmacho, ac Hormiſda Pontificibus Maximis; Laurentio autem Mediolanenſi Antiſtite e vivis erepto, delectus eſt Anno DXII. ad regimen Eccleſiæ noſtræ. Ughellus tradit, ob celebrem famam Sancti hujus Præſulis pertractum ab ultimis Pannoniæ finibus Florianum quemdam, ad Metropolim iſtam ſe contuliſſe, abjectoque Idolorum cultu ad Chriſti Fidem converſum adeò profeciſſe conſuetudine ac magiſterio Euſtorgii, ut ad Hiſpalenſis Eccleſiæ Sedem promoveri meruerit: Idque tranſlatum eſt in Lectionem Breviarii noſtri de Sancto Euſtorgio. Hiſpalenſes tamen in ſuis Catalogis nullum umquam Florianum Epiſcopum deſcriptum agnovere. Quamobrem irrepſiſſe errorem in nomine manifeſtè docemur; Hiſpani namque Sanctum Laureanum Hiſpalenſem Epiſcopum colunt die IV. Julii, at-

que illum aſſerunt, ſub Totila Gothorum Rege in Italia, martyrio coronatum Anno DXLIV.. Bollandiſtæ ad memoratum diem IV. Julii Vitam hujus Sancti Laureani referunt atque expendunt; verùm fatentur, incertum eſſe, an Pannonius, an Italus, an Hiſpanus, an Gallus natione fuerit; Acta enim ejuſdem plurimis ſcatent erroribus. Idem docet Pagius ad Annum DXLVIII.. Ceterùm in hiſce Actis iſta leguntur: „ Beatus Laureanus Pannonienſium territorio oriun- „ dus Parentibus quamquam Paganis, nobiliſſimis tamen, ge- „ nere glorioſus effulſit; qui ab ineunte ætate divinâ gratiâ „ præventus, ab his contagiis, quibus ſolet juvenilis ætas „ illici, expers fuit: Nam a quodam ſuæ gentis ſuæque „ parentelæ Catholico adhuc infantulus, Parentibus inſciis, „ ſublatus, Mediolanenſis Eccleſiæ gremio eſt delatus, ſa- „ croque Baptiſmate renatus, ac Clericus factus, ibidemque „ liberalibus diſciplinis haud mediocriter erudirus . . . . „ His ergo atque hujuſmodi proficiendo accreſcens robore „ corporis & animi, vigeſimo ætatis ſuæ anno (Labbeus „ legit vigeſimo quinto) Diaconatûs ſuſcepit Officium &c. „ Proſequuntur deinde eadem Acta narrare, Laureanum ob Totilæ Regis perfidiam Arii ſectam propugnantis, profugiſſe in Hiſpanias, ac in Epiſcopum Hiſpalenſem fuiſſe delectum. Collecta fuere Acta prædicta ab Andrea Ducheſne, & a Labbeo, qui ea inſeruit Tomo II. *Bibliothecæ Manuſcriptorum*. Itaque ex his patet, non Florianum, ſed Laureanum dicendum eſſe Juvenem illum, quem Sanctus Euſtorgius Epiſcopus noſter inſtruxiſſe dicitur; ſi tamen vera ſunt quæ in hiſce Actis narrantur, cùm dubiæ fidei ea eſſe Bollandiſtæ aſſe-

aſſerant, & nihil certi ex iiſdem erui poſſit.

Pergit Ughellus referre, Auguſtanum Epiſcopum, Euſtorgii ſuffraganeum, ob pravas ejuſdem res patratas, fuiſſe illo Epiſcopatu ſpoliatum, *Theodorico Rege reclamante*; hocque conſtare ait *ex Epiſtola* ejuſdem *apud Caſſiodorum*. Sed quàm malè eam intellexerit, ex Epiſtolæ contextu, quam mox ſubjicimus, Lector judicabit. Extat illa Libr. I. variar. Caſſiodori num. IX. in hæc verba:

„ *Euſtorgio Viro Venerabili, Mediolanenſi Epiſcopo*
„ *Theodoricus Rex.*

„ Tum eſt conditio ſubjectorum, ubi vivitur ſub æquitate „ regnantium, nec dubio decet rumore trahi, a quo debent „ non mutanda conſtitui. Fidem ſiquidem rerum a ratione „ colligimus, quæ numquam deſiderantibus abſconditur, ſi ſuis „ veſtigiis perquiratur. Atque ideo quod Beatitudini Veſtræ „ gratiſſimum eſſe confidimus, præſenti tenore declaramus, „ Auguſtanæ Civitatis Epiſcopum, proditionis Patriæ falſis „ criminationibus accuſatum; qui a nobis honori priſtino re- „ ſtitutus, jus habeat Epiſcopatûs omne, quod habuit: Ni- „ hil enim in tali honore temerariâ cogitatione præſumendum „ eſt, ubi, ſi propoſito creditur, etiam tacitus ab exceſſi- „ bus excuſatur. Manifeſta proinde crimina in talibus vix ca- „ piunt fidem: Quidquid autem ex invidia dicitur, veritas „ non putatur. Volumus enim impugnatores ejus legitimâ „ pœnâ percellere: Sed quoniam & ipſi Clericatûs nomine „ fungebantur, ad Sanctitatis Veſtræ judicium cuncta tranſ-

„ mittimus ordinanda , cujus eſt & æquitatem moribus tali-
„ bus imponere, quam novimus Traditionem Eccleſiaſticam
„ cuſtodire.

En igitur, quid peractum ſit ab Euſtorgio, ſcilicet de Clericis judicare, non Epiſcopum a Sede amovere.

In hunc errorem impegit etiam Galeſinius, Auctor Tabulæ Archiepiſcoporum Mediolanenſium, Actis Eccleſiæ noſtræ inſertæ, ubi hæc tradit: *Auguſtæ Urbis Epiſcopum, proditionis accuſatum, Epiſcopali Dignitate multavit*. Longiùs etiam a vero aberravit Ripamontius, qui Auguſtanum Epiſcopum ſomniat, divertiſſe aliquando ad Euſtorgium, & per iniquas artes curaſſe, ut eo depulſo locum & Sedem ipſius adipiſceretur; eumque propterea ſugillat Puricellus Cap. ultimo *Vitæ Laurentii I., Epiſcopi Mediolanenſis*.

Quod pertinet ad Auguſtanum Epiſcopum, jure & meritò quærit idem Puricellus, quænam ſit Auguſta, de qua loquitur Theodoricus (plures enim Urbes *Auguſtæ* nomine appellantur); intelligendum tamen cenſet, fuiſſe potiùs *Auguſtam Vindelicorum*, cùm Rhetis dominaretur Theodoricus, & Mediolanenſis Epiſcopus tunc temporis Eccleſiæ Curienſi & Auguſtanæ tamquam Metropolitanus præeſſet: Niſi velimus conjicere, fuiſſe *Auguſtam Taurinorum*, quæ itidem Antiſtiti Mediolanenſi parebat.

Celebrior tamen laus, quam conſecutus eſt in remotis etiam Galliarum Provinciis Præſul noſter Euſtorgius, ea eſt, de qua loquitur Sanctus Avitus Viennenſis Epiſcopus, in Epiſtola ad illum tranſmiſſa, quæ octava eſt ejuſdem Epiſtolarum, Editionis Pariſienſis Anni MDCXLIII. Ut autem dilu-

dilucidiùs hæc pateat, opus eſt evolvere temporis illius Annales. Dum Theodoricus Gothorum Rex Anno CDXC. acri bello cum Odoacre decertaret, Gundobadus Rex Burgundionum opportunam occaſionem temporis nactus, ſpecie fœderis cum Odoacre percuſſi, Alpes tranſcendit, atque in Italicos agros effusâ militum copiâ, loca omnia rapinis & vaſtationibus fœdavit; quodque deterius eſt, innumeram Italorum multitudinem captivam ſecum in Burgundiam abduxit, tanto, Liguriæ præſertim, damno, ut teſte Sigonio *de Occidental. Imper.* ad Annum CDXCV., *maximâ Incolarum turbâ* ultra montes in ſervitutem tranſvectâ, *ipſa Liguria cultoribus prope videretur eſſe deſerta*. Rex Theodoricus, ſtatim ac, Odoacre ſublato, Italici Regni ſolium ſibi firmavit, precibus lacrymiſque populorum permotus Legationem ad Gundobadum direxit, eamque Sanctus Epiphanius Ticinenſis, & Victor Taurinenſis Epiſcopi obiere, tam felici exitu, ut Rex ille ſex millia captivorum in Italiam remiſerit, veluti pignus amicitiæ ſuæ cum Theodorico. Nondum tamen exſiccatus erat in genis Italorum fletus ob liberale hoc donum Gundobadi, plurimis aliis ſuorum fœdâ captivitate preſſis in Burgundia remanentibus. Reliquias haſce præteritæ calamitatis auro redimere decrevit piiſſimus Paſtor noſter Euſtorgius. Magnam igitur pecuniæ ſummam illuc tranſmiſit, rogavitque per Epiſtolam Sanctum Avitum, ut huic inſignis caritatis operi manum propitiam admoveret. Implevit ille, quod optabat Euſtorgius, reſcripſitque ad eumdem plenâ laudibus Epiſtolâ, quam hìc referre neceſſarium exiſtimamus. Ita verò exorditur:

„ *Avi-*

„ *Avitus Viennenſis Epiſcopus*
„ *Euſtorgio Epiſcopo* .

„ Adventu præſentium portitorum ecce jam ſecundò a te „ deſiderandi reverendique affatûs veſtri dona venerunt ; quæ „ tamen plus fierent proſperitate ſecunda , ſi fierent numero- „ ſitate copioſa . Revera duplex in Literis veſtris materia „ gratulationis acceſſit : Primùm , quòd ſalvam mihi gratiam „ ſic etiam in veſtro , ſicut in veſtrorum extitit animo De- „ ceſſorum , hæreditario monſtratis affectu ; deinde quòd in „ eo me famulari negotio præcepiſtis , quo , dum tuendæ „ vel reparandæ libertatis curam geritis , etiam me non in- „ dignum tali miniſterio cenſuiſtis . Impletum eſt igitur Bea- „ titudinis veſtræ ſanctum ac ſpiritale præceptum . Cumula- „ ſtis oratione mercedem : interventu veſtro pretioſius factum „ eſt pretium quod miſiſtis . Victa eſt per reverentiam ve- „ ſtrî in rigore barbarico humilitate immanitas , interceſſione „ crudelitas , illatione cupiditas . Conjicimus , qualiter illic „ Prædicationibus duriores animos edomatis , cùm interve- „ niendi viribus abſentia vobis ſaxa ſic frangitis . Viſitatur „ opere veſtro noſtrarum ærumna regionum ; & emanans ex „ largiendi theſauro irrigui fontis ubertas , cùm Italiam riga- „ verit , adſpergit & Galliam . Quapropter depenſo ſaluta- „ tionis honorificæ famulatu , me veſtro interceſſui vel fa- „ vori , votis præfuſa ſupplicatione inſinuo ; optans , licèt in „ cunctis , mihi tamen ſpecialibus cauſis Literas veſtras , in „ quibus ſic vobis per miſericordiam competat , ut etiam

me

„ me per obedientiam veſtrorum operum, fructus attingat.

In memorato Codice variarum Caſſiodori duæ aliæ leguntur Epiſtolæ, tempore hujus Sancti Euſtorgii datæ a Theodorico Rege, quæ ad eruditionem Eccleſiaſticam Mediolanenſem pertinent. Prima extat in Libr. II. ſub num. XXIX., directa Adilæ Comiti. In ea Theodoricus Rex ita ſcribit: „ Quamvis nullos velimus gravamen aliquod ſuſtinere, quos „ videtur pietas noſtra protegere (quia Regnantis eſt glo„ ria, ſubjectorum occioſa tranquillitas) tamen ſpecialiter Ec„ cleſias ab omni injuria reddi cupimus alienas; quibus dum „ æquabilia præſtantur, miſericordia Divinitatis acquiritur: „ Et ideo Beatiſſimi Viri Euſtorgii Epiſcopi Sanctæ Medio„ lanenſis Eccleſiæ petitione permoti, præſentibus te affati„ bus admonemus, ut prædiis vel honoribus illius Eccleſiæ „ intra Siciliam conſtitutis tuitionem ſtudeas ſalvâ civilitate „ præſtare; nec a quopiam cujuslibet nationis homine con„ tra fas patiaris opprimi, quos decet Divinitatis intuitu ſub„ levari.

Altera jacet in eodem Libr. II. ſub num. XXX., miſſa a memorato Rege ad Fauſtum Præpoſitum, his verbis: „ Non præjudicat juri publico perſonalis exceptio, quia be„ neficialem eſſe Principem licet, nec inter regulas conſti„ tuti poteſt munificentia Regalis arctari .... Defen„ ſores itaque Sacroſanctæ Eccleſiæ Mediolanenſis pro expenſis „ pauperum, quæ ſub lucri exaggeratione funduntur, unum „ ſibi ex negotiatoribus Urbis ſuæ deſiderant oportere præ„ ſtari, qui pro-emptoris functus officio, exceptis negotia„ tionis oneribus, debeat implere quod ſuſcipit; hæc enim

„ nos

„ nos & Ravennati Eccleſiæ commemorant metas rationabili „ allegatione tribuiſſe: quod pietatis exemplum, ad ſuum „ quoque commodum ſupplicant transferendum. Ideo illuſtris „ & præcelſa magnificentia tua (ſalva in aliis negotiationi- „ bus commoditate publica, quæ ab univerſo Corpore con- „ ſuevit inferri) unum eis, quem ſibi viſi fuerint elige- „ re, deputabit, qui ita commercium negotiationis exerceat, „ quatenus nec Monopolii, nec Siliquatici, nec Aurariæ „ (Tributa hæc erant) aliquid penſionis impendat, vel „ quodlibet gravamen ex præmiſſa nundinatione ſuſtineat „. Hinc patet, *Defenſores* Eccleſiæ Mediolanenſi per ea tempora non defuiſſe, quorum nomine exerceretur negotiatio, ut ſubſidia pauperibus pararentur.

Verùm ut ad Euſtorgium redeamus, emendandus eſt alter, etiam a Galeſinio pridem adoptatus, Ripamontii error, qui Libr. VII. Decad. I. *Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Mediolan.* tradit, Euſtorgium fuiſſe Diſcipulum Sancti Joannis Damaſceni; cùm iſte nonniſi ad dimidium Seculi VIII. vixerit, ideoque ultra ducentos annos poſt Euſtorgium floruerit.

Inter inſignia hujus Antiſtitis Opera, quibus Metropolim noſtram exornavit, recenſetur Baptiſterium, ab ipſo mirificè ædificatum. Siquidem cùm unum tantùm primis Eccleſiæ temporibus Baptiſmale Lavacrum in Urbibus adeſſet, ubi ſimul Mares & Fœminæ diſtinctis temporibus regenerabantur ad gratiam; Euſtorgius alterum extruxit pro ſolis Fœminis; idque appellatum eſt *Sancti Stephani ad Fontes*: Vetus namque dicebatur *Sancti Joannis ad Fontes*. Porro Eccleſia, nuncupata *Sancti Stephani*, diverſa prorſus erat ab ea,

quæ

quæ nunc etiam nomen habet *Sancti Stephani ad Rotam* ; jacebatque a latere Metropolitani Templi, versùs Cœnobium Vindelindæ, nunc dictum *Sanctæ Radegundis*. Itaque ibidem Sanctus Euſtorgius condidit Baptiſterium Anno DXIII., ùt Sigonius adnotavit Libr. XVI. *de Imper. Occidentali* ; qui ſubdit, mirifico artificio aquam per tectum Templi deductam fuiſſe. Elegans ſatis deſcriptio hujus Operis legitur apud Ennodium his carminibus :

En ſine nube pluit ſub tectis, imbre ſereno,
Et Cœli facies pura miniſtrat aquas.
Profluа marmoribus decurrunt flumina ſacris,
Atque iterum rorem parturit ecce lapis.
Arida nam liquidos effundit pergula fontes,
Et rurſus natis unda ſuperna venit.
Sancta per æthereos emanat lympha receſſus,
Euſtorgj vatis ducta miniſterio.

Huic Sancto Epiſcopo malè Galeſinius gloriam tribuit, quòd Sancta Magorum Corpora Conſtantinopoli Mediolanum tranſtulerit. In eadem opinione fuiſſe videtur etiam Pater Daniel Papebrochius in Exegeſi, ante Tomum VII. Maji, ubi de Epiſcopis Mediolanenſibus loquitur. Attamen recepta paſſim Traditio Scriptorum Patriæ noſtræ, quæ non invalidis argumentis fulcitur, quemadmodum legi poteſt *in noſtra Diſſertatione de Corporibus Sanctorum Protaſii & Gervaſii*, edita Mediolani Anno MDCCVIII., docet, tribuendum eſſe hoc munus Sancto Euſtorgio, hujus nominis Primo.

X De

De anno, qui poſtremus fuit Vitæ Sancti Euſtorgii II. diſſident Auctores. Ughellus ſcribit, eum ad Cælos evolaſſe ſub Hormiſda Pontifice Maximo Anno DXXII.; Joannes de Deis in Libro ſæpius allato, inſcriptoque *Succeſſores Sancti Barnabæ*, inquit, hunc Epiſcopum obdormiviſſe in Domino ſub Silverio Papa, ſubdens, ab eodem in Sanctorum Confeſſorum numerum fuiſſe relatum; eumque ſecutus eſt etiam Beſutius *in Hiſtoria Pontificali*: Citra verum tamen; cùm Silverius non conſcenderit Pontificiam Sedem ante Annum DXXXVI.. Igitur cùm in Catalogis antiquis ſeptem circiter anni regiminis aſſignentur Euſtorgio, ſtatuendum eſt cum Papebrochio, obiiſſe illum Anno DXVIII., VI. Junii die, poſt ſuſceptam adminiſtrationem hujus Eccleſiæ anno eodem, quo defunctus eſt Laurentius, ideſt Anno DXII.

Sepulcri locum habuit in Eccleſia Sancti Xiſti, quæ adjacet Baſilicæ Sancti Laurentii. Boſſius in Chronicis Mediolanenſibus aſſerit, jacere hujus Sancti Epiſcopi Corpus in Baſilica Laurentiana; fortaſſe namque illuc a primo ſepulcro tranſlatum fuit.

Ejuſdem Feſtum agitur in Eccleſia Mediolanenſi, VIII. Idus Junii, quo die ad Dominum migraſſe legitur in antiquis Catalogis.

Habitum fuiſſe in honore Antiſtitem noſtrum Euſtorgium *a Gothorum Regibus Theodorico, atque Amerio*, ſcripſit Ughellus; ſed non omnino appoſitè ad veritatem. Quod enim ad *Theodoricum* ſpectat, utique aſſentimur; cùm verè acceptiſſimus huic Regi fuerit Euſtorgius, ùt docent allatæ ſuperiùs ejuſdem Literæ ad ipſum datæ. Quis autem eſſet iſte

iſte *Am rius* Gothorum Rex , a quo diligi meruerit Præſul noſter , prorſus ignoramus ; nullus enim in ſerie Regum Gothicæ Nationis , Italici Regni ſceptrum geſtantium a Scriptoribus recenſetur , qui *Amerii* nomen prætulerit . Quinimo hoc etiam omiſſo , perperam ſcripſit Ughellus , vixiſſe Euſtorgium ſub duobus Regibus Gothis , cùm Theodoricus , ſub quo Pontificatûs initia ſumpſit hic Præſul , per octennium eidem mortuo ſuperſtes fuerit , uſque ad Annum DXXVI.

SANCTUS MAGNUS.

IN Succeſſorem Sancti Euſtorgii delectus eſt Sanctus Magnus Anno DXVIII., quidquid nonnulli aſſerant ex Scriptoribus, Datium fuiſſe ſuffectum defuncto Euſtorgio II.; hos namque refellit Jacobus Sirmondus in adnotationibus ad Epiſtolam Sancti Aviti, quam inferiùs referemus. E Familia Trincheria progenitum eumdem tradunt poſt Galeſinium Ughellus, aliique; ſed de hac Familiarum diſtributione, gratìs inducta a memorato Galeſinio, ſæpiùs jam diſſeruimus.

Jejunè admodum hujus Epiſcopi Vitam referunt Scriptores noſtri. Breviarium Ambroſianum, & Galeſinius Sancti Magni elogium exordiuntur a peculiari abſtinentiæ laude, & rebus mirificè geſtis, quarum tamen nullam enunciant. Inſuper faviſſe illum eximiè pauperibus, præſertim iis qui carcere detinebantur, adnotat Lectio, quam in Divinis Officiis recitamus; quamobrem deſumpta hæc fuiſſe credendum eſt a veteri aliquo monumento, quod ætate noſtra non ſupereſt.

Nobis bono omine contigit, inter Epiſtolas Sancti Aviti, Viennenſis in Gallia Epiſcopi, unam offendere, quam Præſul ille direxit ad Magnum Mediolanenſem Antiſtitem; ex ea enim nonnulla in noſtri Præſulis virtutum laudem decerpere poſſumus. Poſita hæc eſt ſub num. X. Epiſtolarum Sancti Aviti, Editionis Pariſienſis Anni MDCXLIII., & ita exorditur.

Avi-

Avitus Viennenſis Epiſcopus
Magno Epiſcopo.

„ Licèt nulla, quibus ad præſumendum hoc ipſum officium „ provocarer, veſtri Apoſtolatûs ſcripta promeruero, offerre „ me tamen paginam debiti famulatûs, cùm compellatione „ non juſſeritis, opinione compellitis. Siquidem ad occurren- „ dum animis veſtris, ſi non meremur aſpectibus, famâ tra- „ himur, etiam dum abſentiâ cohibemur. His additur, quòd „ ita ærumnas infelicium Gallorum conſolatione conſilii & „ largitate palpatis, ut ſub ſpecie ejus quam comperi miſe- „ ricordiæ, ad agnoſcendam ſuorum neceſſitatem in Italiam „ feſtinantes, poſt longam peregrinationem cum Duce Chri- „ ſto, veſtram meruerint videre perſonam, meritò propriam „ credant intrare ſe Patriam. Commendo quod ſupereſt, „ regionis noſtræ Presbyterum, præſentis ſcilicet obſequii por- „ titorem, qui licèt pro redimenda cujuſdam propinqui ſui „ Filia laborem fatigationis aggreſſus ſit, a quodam tamen „ Nobili Viro Provinciali cum mea proſecutione directus „ eſt, ut præfati filium a Comite Betanco, nomine Avu- „ lum, ante hos circiter quatuor annos pro pignore obſida- „ tus adſumptum, ſub auxilio veſtræ interceſſionis requirat „ ac revocet. Quod ſupereſt, obſecro, ut dignabili Beati- „ tudinis veſtræ Reſcripto & illic exultantibus ingenuitatis „ ſtatum reparabilem, & hìc deſiderantibus ſcribendi aditum „ doceatis eſſe communem.

Epiſtola iſta, licèt paucis periodis comprehenſa, cam-

pum

pum nobis aperit arguendi, quàm ſplendida foret ſanctimonia hujus Antiſtitis noſtri, cùm Sanctus Avitus aſſerat, famam ejuſdem pervaſiſſe Gallias; ipſumque pertractum ab eadem fuiſſe, ut licèt longè abſens, ad eum ſcriberet, ejuſque patrocinium imploraret. Conjicimus deinde, non inanem vacuumque fuiſſe rumorem, in iis Provinciis de noſtro Epiſcopo Magno diffuſum, ſed innixum ſolido inſignium Operum fundamento; cùm enim Galliarum incolæ afflicti admodum forent ob Hunnorum irruptiones, qui Burgundiam priùs, dein univerſum Gallicum Regnum fœda alluvione ſub Duce Attila deturpaverant, iiſque Sanctus Antiſtes Mediolanenſis Magnus non tam conſiliis, verùm etiam largitate opportunè ſubveniſſet; quiſque intelligere poteſt, quàm ampla eſſet caritas qua ipſe ſervebat, quaque oves ſuas proſequebatur, ſi ejuſdem fructus etiam ad Exterorum relevandas calamitates protendebat: tantâ iſtorum admiratione, ut ad hoc veluti aſylum Chriſtianæ pietatis feſtinarent, putarentque poſt longam peregrinationem, ſe Mediolani alteram Patriam reperiſſe ſub oculis & auſpicio noſtri Paſtoris. Auctoritas quoque & gratia, qua ille pollebat apud Theodoricum Regem, dignoſcitur, cùm eidem Epiſcopo noſtro commendet Avitus Presbyterum quemdam, ut a Miniſtro Regis memorati, Comite Betanco, redimere valeret Filiam propinqui ſui; & Filium Nobilis Viri Provincialis, obſidem in Aula detentum, interceſſionis ſuæ auxilio requirere poſſet ac revocare. Illuſtrandæ huic Epiſtolæ calamum admovit Jacobus Sirmondus; nec ingratum Lectori erit, ſi quæ ipſe digeſſit, nos hìc imprimamus. Ait igitur, directam Epiſto-

lam

lam *Magno*, *Epiſcopo Mediolanenſi*, *Euſtorgii Succeſſori*, *Datiique Deceſſori*; *nam quòd Datium nonnulli*, *dum Mediolanenſes Epiſcopos recenſent*, *Magno præponunt*, *ordo eſt præpoſterus*, *qui ex hac ipſa Epiſtola revincitur*. Ubi autem de Comite Betanco loquitur, inquit, *Theodorico Regi Italiæ* tunc temporis inſerviſſe, *Avulos* verò, *ſive Avolos præter hunc*, *Nobilis ut ait Viri Provincialis Filium*, *alios eodem ſeculo habuiſſe eam Provinciam* affirmat, hoſque ſingillatim enumerat.

Diluenda remanet admiratio, quæ aliquibus in antiqua Eccleſiæ diſciplina minus verſatis ſuboriri poteſt, cur *Beatitudinis* vocabulo Antiſtitem noſtrum compellet Sanctus Avitus. Facilè tamen iſta diſſolvitur, ſi veterem conſuetudinem attendamus, qua, ſicuti Paulus Apoſtolus ſcribens ad Chriſtifideles, Diſcipulos ſuos, eos omnes *Sanctos* vocabat; ita Epiſcopi ſeſe invicem titulo *Sanctiſſimi*, *Beatiſſimi*, *Sanctitatis*, *Beatitudinis*, & etiam *Papæ* nuncupabant. Diutiùs in Eccleſia obtinuit mos iſte appellandi Epiſcopos, *Summos* quoque *Pontifices*, teſtibus Mabillonio (*a*) & Sirmondo (*b*); donec Gregorius VII. in Synodo Romana illum abrogavit, reſervatis hiſce nominibus ſoli Supremo Romano Hierarchæ. Plura de his ac ſimilibus illuſtribus Titulis, nunc obſoletis antiquatiſque, adnotavimus *in Diſſertatione ad vindicandam veritatem &c.*, Anno MDCCXXXIII. Mediolanenſibus typis a nobis vulgatâ: Quamobrem in re compertiſſima Eruditis Viris, calamum ne ultro excurrat prohibemus.

Vitam Sancti Magni abſolvimus iis verbis, quæ nobis in

(a) *De Re Diplomat Lib. II Cap. II.*
(b) *In Not. ad Ennod. Libr. IV. Epiſtol. I.*

in Matutinis Officiis recitanda præſcribit Eccleſia Ambroſiana : *Pietatem populi Mediolanenſis teſtantur Sacræ Ædes , quæ per Diœceſim ejus Nomini poſitæ conſpiciuntur* . Inter alias celebris admodum ea eſt , quæ in Oppido Legniani , tribus ab hac Metropoli circiter Leucis diſſito , eleganti ſtructurâ & ornamentis nitens aſſurgit , atque inſuper Præpoſiturâ & Collegio Canonicorum inſignitur , qui Sanctum Magnum , utpote illius Eccleſiæ ipſi dicatæ Patronum , cultu religioſiſſimo venerantur .

Quo temporis ſpatio Mediolanenſem Eccleſiam adminiſtraverit Sanctus Magnus , compertum nobis eſt ex antiquo Catalogo , quem ſequitur Papebrochius , videlicet ſediſſe illum annos XIII. , adeò ut pervenerit uſque ad Annum DXXX. Quamobrem multùm aberraverunt Ripamontius , Joannes de Deis , Ughellus , & ante illos Galeſinius loco laudato , qui hujus Sancti Præſulis Epiſcopatum ad tres tantùm annos contraxerunt . Lapſus etiam eſt hic poſtremus in deſignando Pontifice , ſub quo Mediolanenſis Eccleſiæ clavum regendum Magnus ſuſcepit ; ſiquidem Epiſcopum eum delectum tradit ſub Silverio Pontifice Maximo , qui Apoſtolicam Cathedram conſcendit poſt mortem noſtri hujus Antiſtitis , nempe Anno DXXXVI.

Extrèmum diem obiit Sanctus Magnus Calendis Novembribus , & depoſitus fuit in Baſilica Euſtorgiana , quemadmodum tradit antiquus noſter Catalogus . Ambroſiana Eccleſia feſtivam ejuſdem memoriam agit Nonis Novembris , cùm Calendæ hujus menſis dicatæ ſint Sanctorum omnium Celebritati ; atque in hoc hallucinatus eſt Ughellus , qui cenſuit , Nonas Novembris fuiſſe diem Natalem Sancti Magni , cùm revera tantùm ſint deſignatæ ad Divina Officia in ejuſdem cultum celebranda .

SAN-

SANCTUS DATIUS.

Mediolani ortum habuit Sanctus Datius, ùt Eccleſiæ Mediolanenſis monumenta tradunt. Bollandiſtæ ad diem XIV. Januarii prodiiſſe eum referunt ex Familia *Alliatia*, Ughellus verò ex *Alciata*; antiqui tamen Catalogi nullum eidem cognomen adſcribunt.

Poſt Sancti Magni obitum delectus eſt ad Ambroſianæ Eccleſiæ regimen circiter Annum DXXX., non quidem Vigilio Apoſtolicam Sedem occupante, ùt voluit Galeſinius, ſed falsò; cùm Vigilius nonniſi ſeptennio poſt electus fuerit Summus Pontifex. Verùm in ea tempora incidit, quibus preſſa tum rapinis bellorum, tum annonæ penuriâ, miſerrimè vexabatur Italia. Flagrantiſſima Datii in egenos caritas tunc maximè refulſit; ſiquidem cùm fame acerrimâ laboraret populus Mediolanenſis, non tam horrea propria, quàm Eccleſiæ aperuit exhauſitque. Imo & in ceteros per Italiam ſparſos pauperes amorem ſuum effudit, dato ad Gothorum Regem ſupplici Libello, ut ejuſdem munificentiam imploraret. Extat inter Epiſtolas Caſſiodori Libr. XII. Epiſtola XXVII., inſcripta *Datio Epiſcopo Mediolanenſi*, in qua Senator, Præfectus Prætorio, facultatem eidem tribuit, ut ex Regiis horreis annonam pauperibus vili pretio divenderet, non ſine magna illius pietatis commendatione. Sed præſtat integrum Regium Reſcriptum dare, ut, quanto in honore eſſet Datius, clariùs eluceat.

„ *Datio Epiſcopo Mediolanenſi*,
„ *Senator Præf. Prætor.*

„ Minus prodeſt bonum jubere, niſi hoc per Viros ſan-
„ ctiſſimos velimus efficere. Auget enim beneficium volun-
„ tas recta juſtorum; & quidquid ſine fraude geritur, hoc
„ verè donantis meritis applicatur. Decet enim, ut muni-
„ ficentiam Principalem Sacerdotalis puritas exequatur. Nam
„ cui eſt ſtudium, bonum de proprio facere, laudabiliter
„ poteſt aliena vota complere. Et ideo Sanctitatem veſtram
„ petimus (cujus propoſiti eſt Divinis inſervire mandatis)
„ ut de horreis Ticinenſibus & Derthonenſibus panici ſpe-
„ ciem, ſicut a Principe juſſum eſt, tertiam portionem eſu-
„ rienti populo ad viginti quinque modios per ſolidum di-
„ ſtrahi ſub noſtra Ordinatione faciatis; ne cujuſquam vena-
„ litate ad illos perveniat, qui ſe de proprio videntur poſſe
„ tranſigere. Accipiat minus, habens indulgentiam Principa-
„ lem: Egentibus viſum eſt, non divitibus ſubvenire; fun-
„ dit potiùs, qui mittit in plenum; nam illud potiùs re-
„ conditur, quod vaſis vacuis congregatur. Quapropter San-
„ ctitas Veſtra miſerationis officia non putet injuriam, quia
„ totum vobis dignum eſt, ubi pietas invenitur. Siquidem
„ aliena deſideria fideliter gerere, hoc eſt bona propria per-
„ feciſſe. Ad quam rem Deo adjuvante procurandam ill. at-
„ que ill. curavimus deſtinare; qui Sanctitatis Veſtræ Ordi-
„ nationibus obſecuti, nihil ex ſe faciant, ſed tantummodo
„ vobis obedire contendant. Solidi verò quanti ex ſupradi-

„ cta

„ ĉta quantitate panici poterunt congregari, veſtrâ nobis relatione declarate; ut apud Arcarium reconditi ad ſupra memoratam ſpeciem reparandam, futuris reſerventur, Deo auxiliante, temporibus; more veſtis redivivæ, cujus adunatio per fila reſolvitur, ut in novam faciem ſplendido potiùs decore texatur „. Hæc Epiſtola data eſt poſt Conſulatum Beliſarii Anno III., Indictione XV., quæ Annum Chriſti DXXXVII. deſignat.

Eodem anno Datius Epiſcopus unà cum Primoribus Civitatis Legationem nomine Civium Mediolanenſium obivit ad Beliſarium Juſtiniani Imperatoris militiæ Generalem Præfectum, Romæ degentem: Cùm enim Witiges Gothorum Rex, ſolutâ obſidione ob famem & luem, quæ tum intus Almam Urbem, tum foris in exercitu graſſabatur, per alias Urbes Italiæ depopulatrices copias duceret, atque ideo periclitaretur Metropolis noſtra, ne & ipſa furori Gothici Regis ſubjaceret, validum Militum auxilium requirebat, ut ab effræni Barbarorum licentia ruinas undique & ſtrages ferentium, incolumis ſervaretur. Neque inanis fuit Datii poſtulatio: Siquidem Beliſarius Venerabilis hujus Præſulis preces reveritus, non modicam militum manum ad noſtram Urbem miſit; quæ tamen remorari hoſtem non potuit, quin arctâ obſidione cincta hæc Civitas ferale illud excidium Anno DXXXIX. ſubiret, quod narrant Procopius & Pagius ad eumdem annum, trucidatis tercentum millibus Civium, & ſolo æquatis Ædificiis Eccleſiiſque. Triſtanus Calchus, perterritus tam magno numero interfectorum, triginta tantùm hominum millia occiſa ſcribit; ſed fides major habenda eſt

Procopio, coævo & Socio Gothorum in hoc Bello, qui expreſſis verbis ſuperiorem numerum refert.

Capto itaque Mediolano Anno jam prædicto, Datius, ùt fertur, Fidei causâ Civitate exactus, Conſtantinopolim adiit. Quæ in itinere ad illam Urbem geſta ſunt ab hoc Sancto Antiſtite, narrat Sanctus Gregorius *Lib. III. Dialogorum* Cap. IV.; cùm enim Corinthum adveniſſet, atque hoſpitaretur in Domo, vacuâ relictâ ob Dæmonum ibidem incolentium ſtrepitus, eam ab infeſta larvarum moleſtia prorſus liberam fecit iis verbis, quæ nos etiam in Matutina Breviarii Lectione ad diem XIV. Januarii, quo Sancti Datii memoria colitur, recitamus, nempe: *En, ut tu præ ſuperbia tua e Cælo pulſus, dignus es qui beſtias imiteris*.

Agebatur tunc Conſtantinopoli celebris ea controverſia de tribus Capitulis, quæ admiſerat Concilium Chalcedonenſe, & Juſtinianus Imperator promulgato Edicto damnaverat. Imperatori adhærebant Orientis Epiſcopi, Occidentales verò refragabantur. Inter iſtos Datius Mediolanenſis Antiſtes cum aliis Sacerdotibus ſubſcribere noluit Juſtiniani Edicto; imo ſe ſubtraxit á communione eorum, qui ejuſdem ſententiam approbaverant. Interim evocatus ad Regiam Urbem a Juſtiniano Vigilius Pontifex Maximus, iter illuc direxit, eique occurrit Datius, eumdem de re omni conſcium facturus; cùmque Conſtitutum Vigilius edidiſſet, quo utrique Parti ſilentium indicebatur uſque ad definitionem Concilii OEcumenici proximè convocandi, Datius Summo Pontifici prorſus conſenſit, ùt idem Vigilius teſtatur in Libello Sententiæ, qua Theodorum Cæſarienſem damnavit; ſed intereſ-

ſe

ſe Synodo V. OEcumenicæ non potuit, morte ſublatus in Regia ea Urbe Anno DLII., ùt communiùs Scriptores tradunt, Baronius videlicet, Henſchennius *in Vita Sancti Datii*, & Papebrochius *in Exegeſi*. Quamobrem erravere Ripamontius & alii, qui ejus Vitam protrahunt uſque ad Annum LVI., aut LXI. illius Seculi.

Abſuit Sanctus Datius ab Eccleſia Mediolanenſi per quindecim annos circiter, ùt tradit Cardinalis Noriſius *in Diſſertatione de V. Synodo*, Cap. V., qui ſubjungit, miſſum fuiſſe a Clero Mediolanenſi ſupplicem Libellum ad Juſtinianum Imperatorem, ut Pontificem ſuum Datium reſtitueret huic Eccleſiæ, propterea quòd aliis pluribus defunctis Suffraganeis Epiſcopis, multi ex populo ſine Baptiſmo periiſſent: Eo enim tempore ſolus Epiſcopus baptizabat, ùt fusè docet Martene *de Antiqu. Eccleſ. Ritib.* Tom. I. colum. XVII. poſtremæ Editionis Mediolanenſis.

Tenuit Ambroſianam hanc Sedem Sanctus Datius per Annos XXII., incompletos, iis etiam comprehenſis, quibus commoratus eſt Conſtantinopoli, ab Anno nempe DXXX., ad Annum DLII., die XIV. Januarii, quo obiiſſe dicitur; Pagio tamen refragante (num. XXV. ad hunc annum) qui invictis documentis tradit, illum adhuc in vivis fuiſſe pridie Nonas Februarii, adeòque cenſet, diem memoratum, quo colitur, non obitûs eſſe, ſed Translationis ejuſdem Sacri Corporis Mediolanum.

Deportatum fuiſſe Conſtantinopoli Mediolanum Sancti Datii Corpus, atque ſepultum in Æde Sancti Victoris tradit Henſchennius *in Actis Sanctorum Bollandi*; exiſtimat verò Trans-

Tranſlationem hanc peractam fuiſſe a Narſete Romani exercitus imperatore, eo tempore quo reſtauravit hanc Metropolim, dirutam ab Uraya Duce Witigis Regis Gothorum. Certè Cardinalis Alphonſus Litta Mediolani Archiepiſcopus inſignes Reliquias Sanctorum Datii, Protaſii, & Miroclis Mediolanenſium Antiſtitum, extractas ab Arca, in qua eorumdem Lipſana condiderat Sanctus Carolus Borromeus in Æde Sancti Victoris, miſit ad Coſimum II., Magnum Etruriæ Ducem, teſte Petro Paulo Boſca *in Martyrologio Ambroſiano*, ad diem XIV. Januarii.

Supereſt inquirendum, an Sanctus Datius Chronica ſcripſerit Mediolanenſis Eccleſiæ. In iſta opinione quamplures fuere Scriptores, & etiam noſtro ævo ferbuit hæc controverſia inter Patrem Euſtachium a Sancto Ubaldo, qui pro parte affirmativa ſtetit, & Clariſs. Muratorium, qui conſtanter idem negavit. Certè ab antiquis Scriptoribus Procopio, & Anaſtaſio Bibliothecario nihil aliud refertur, niſi ſcriptam fuiſſe a Datio *Epiſtolicam narrationem* de penuria annonæ, qua laborabat adeò Italia, ut Matres ipſæ cogerentur filios ſuos comedere. Fucum omnibus feciſſe videtur Inſcriptio, quæ legitur in fronte Libri aſſervari in Bibliotheca Metropolitani noſtri Capituli, his verbis: *Chronicon Datii Mediolanenſis Epiſcopi*; ſed revera Opus illud Auctorem habere dicitur Landulphum Seniorem, qui Seculo XI. Mediolanenſem Hiſtoriam contexuit. Quæ in fulcimentum ſententiæ ſuæ ſcripſerit laudatus Muratorius, legi poſſunt *in Anecdotis* ejuſdem, & in Præfatione ad ipſum Landulphum, editum Tom. IV. *Rerum Italicar.*, quibus in locis argumenta omnia Patris Euſtachii ſub-

ſubvertere nititur. Muratorii ſententiam jam propugnaverat Pagius *in Critica Baronii*, ad Annum DLII., num. XXVI. & ſeqq., qui prorſus negat, a Datio Epiſcopo ſcriptum fuiſſe Chronicon de Rebus Urbis & Eccleſiæ Mediolanenſis, & valde miratur, Puricellum alioſque noſtros Scriptores ſuppoſititiam hanc mercem pro vera venditaſſe.

In inſigni Opere *Scriptorum Galliæ*, quod Clariſs. Martinus Bouquet Congregationis Sancti Mauri Pariſiis evulgare proſequitur, Tom. IV. pag. LXVII. Datii Epiſcopi noſtri memoria inſeritur recoliturque in Epiſtola Floriani Civis Mediolanenſis, Abbatis Romani Monaſterii (vulgo Roman. Mouſtier, in Valdenſi pago & Diœceſi Aventicenſi ſeu Lauſanenſi ſitum) ſcriptâ ad Nicetium Trevirenſem Antiſtitem; ex qua colligitur, Francicas quoque regiones pervaſiſſe famam ſanctimoniæ Datii Mediolanenſis Pontificis, cùm tam enixè Florianus roget Præſulem Trevirenſem, ut ad Deum ſolicitas preces fundat pro illius incolumitate. Verba, quibus ea Epiſtola clauditur, hæc ſunt: „ Rogate illum meum „ Sacratiſſimum Confeſſorem Ambroſium, quatenus me ùt peculiarem famulum tueatur, ùt proprium Civem foveat, ùt „ familiarem alumnum eruat: Qui apud Dominum Jeſum „ Chriſtum quod oraverit, exorabit. Quocirca ſalutationis „ obſequium famulanter inſinuans, precor, ut pro beatiſſimo „ Viro Domino meo Datio Epiſcopo (Mediolanenſi), Fra„ tre veſtro ſemper oretis. Æquum eſt enim, ut pro eo, „ quem Monaſterii ſepta ſacrarunt Succeſſorem, etiam Con„ feſſorum Succeſſor egregius Beatorum, exorare non defi„ nas.

VI-

V I T A L I S.

Erepto e vivis Sancto Datio , promotus eſt Vitalis ad regimen Eccleſiæ Mediolanenſis Anno DLII. , ſub Vigilio Summo Pontifice , non autem ſub Joanne III. , quemadmodum tradidit Galeſinius , cùm hic poſtremus Apoſtolicum Solium non conſcenderit , niſi Anno DLX.

De hoc Antiſtite nihil aliud Scriptores noſtri tradunt , niſi ordinatum ab ipſo fuiſſe Paulinum Schiſmaticum , Patriarcham Aquilejenſem ; adeòque evocatum fuiſſe Ravennam a Narſete , ut Conſtantinopolim cum eodem Paulino transferretur , in pœnam Schiſmatis ſui , quemadmodum ipſum Narſetem Pelagius I. Summus Pontifex per Epiſtolam rogaverat . In hanc ſententiam abiit etiam Ughellus , & recentiſſimè Clariſs. Pater Bernardus Maria de Rubeis *in Monumentis Eccleſiæ Aquilejenſis* . Expurgare ab hac labe Vitalem Epiſcopum aggreſſus eſt Daniel Papebrochius *in Exegeſi* ſæpiùs memorata ; cùm enim Catalogus , quem ipſe illuſtravit , aſſignet Vitali quatuor tantùm annos Sedis incompletos , obiiſſe is debuit Anno DLV. , adeòque biennio antequam Paulinus ordinaretur .

Hinc autem oritur controverſia , quinam ex Mediolanenſibus Epiſcopis Paulinum Schiſmaticum conſecraverit . Siquidem certum eſt ex Epiſtolis Pelagii I. ad Narſetem , Paulinum a Mediolanenſi Epiſcopo conſecrationem recepiſſe ; ſcri-

bit

bit enim Summus Pontifex ad Narſetem his verbis : *Iſtud eſt , quod a vobis poſcimus , & nunc iterum poſtulamus , ut Paulinum Aquilejenſem , & illum Mediolanenſem Epiſcopum ad clementiſſimum Principem* (Juſtinianum) *ſub digna cuſtodia dirigatis* : In altera verò Epiſtola , quæ eſt ſecunda ad Narſetem , ait Pelagius , *morem antiquum fuiſſe , ut ſe invicem ordinare iſti Epiſcopi debuiſſent* . Aliunde autem ex noſtro Catalogo conſtat , Auxanum Vitalis Succeſſorem , Eccleſiæ Mediolanenſi datum non eſſe Epiſcopum , niſi Anno DLXVI.

Prædictus Clariſs. Pater de Rubeis ut tueatur , Ordinatorem Paulini fuiſſe Vitalem noſtrum Antiſtitem , eidem aſſignat annos Sedis XIV. , ab Anno nempe DLII. , quo Ravennæ conſecratus fuerat a Macedonio , Aquilejenſi Metropolita , uſque ad Annum DLXVI.

Nos Papebrochii opinionem amplectimur , qui agens de Vitali , putat , eodem mortuo , ſucceſſiſſe in Eccleſia Ambroſiana Epiſcopum Schiſmaticum , cujus nomen & ipſe ignotum fatetur , cùm Pelagius Pontifex Maximus illud minimè dignatus ſit patefacere . Quamobrem in ea eſt ſententia , deletum prorſus fuiſſe a Catalogis Mediolanenſium Antiſtitum eo tempore , quo Clerus Ambroſianus cum Apoſtolica Sede conſenſit in damnationem trium Capitulorum , cui antea refragabatur in reverentiam Concilii OEcumenici Chalcedonenſis : Non ſecus ac Auxentius Arianus expunctus eſt a numero noſtrorum Præſulum , tunc quando Catholicus Epiſcopus , nempe Ambroſius , delectus eſt ad Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtrandam . Tantò autem magis hoc credibile videtur , cùm Papebrochius in Vita Sancti Gundulphi , de

Digitized by Google

quo mox loquemur, afferat, a Pelagio I. Summo Pontifice latam fuiſſe excommunicationis ſententiam contra Epiſcopos Schiſmaticos, cum Imperiali mandato de ipſis gradu movendis, quam ſpreverit contumax iſte Anonymus Pſeudo-Epiſcopus Mediolanenſis; præſertim cùm Narſes in hoc negotio remiſsè admodum ſe gereret, & ægrè ad violenta contra Schiſmaticos conſilia procederet, teſte ipſo Papebrochio loco laudato.

Sanè fundamentum huic opinioni præbent antiqui Catalogi, qui tantùm quatuor Sedis annos, ut diximus, Vitali ſtatuunt. Defunctus ergo erat Vitalis, antequam Paulinus Ordinationem reciperet; hunc enim conſecratum fuiſſe Anno DLVII. idem Bernardus de Rubeis affeverat. Cur autem ipſe regimen Vitalis uſque ad ſexageſimum ſextum hujus Seculi annum producat, nullum ſolidum fundamentum videmus. Porro in patrocinium Sententiæ ſuæ non aliud affert, niſi Epiſtolam ipſam Pelagii, in qua Mediolanenſem Epiſcopum vocat ſolummodo *Ordinatorem*, Paulinum verò ordinatum compellat *Pſeudo-Epiſcopum execratum*; adeòque ex eo mitiori vocabulo arguit, fuiſſe Vitalem jam conſecratum a Macedonio, antequam tria Capitula damnarentur in Quinta Synodo. Verùm nutat hæc ratio, ſi attendamus Epiſtolam eamdem Pelagii, in qua ſigna videntur manifeſta indignationis conceptæ a Summo Pontifice contra Mediolanenſem Antiſtitem. Quid enim contra illum acerbius proferre poterat, quàm rogare Narſetem, ut Ordinatorem ſimul cum Ordinato ad Juſtinianum ſub cuſtodia remitteret? Certè æqualis pœna æqualem contra utrumque iram Pelagii deſignat facto,

cto, ſi non verbis. Veniam igitur petimus ab Eruditiſs. hoc Viro, cujus comitatem ac doctrinam plurimùm expertam habemus ac commendamus, ſi Vitalem ab hujus Ordinationis probro eximimus; cùm nullum adductum a Patre de Rubeis antiquum documentum videamus, cujus auctoritate protrahi debeat per decennium, ultra terminum Sedis a Catalogis & Scriptoribus noſtris eidem ſtatutum, Vitalis Epiſcopi vita; nec obſervationes ad Epiſtolam Pelagii ab ipſo additæ tanti ponderis ſint, ut nos a ſententia noſtra cogant recedere.

Altera expendenda eſt opinio, quam occaſione hujus intervalli inter Vitalem & Auxanum profert Papebrochius, qui ait, in Actis Translationis Corporis Sancti Gundulphi legi, ipſum fuiſſe Mediolanenſem Epiſcopum; adeoque cenſet, Pelagium I., ut mederetur malis Eccleſiæ noſtræ, accedente ad eum e Galliis Romam Sancto GUNDULPHO, eumdem in Antiſtitem hujus Metropolis conſecraſſe; verùm obſiſtente Schiſmaticorum factione, numquam illum potuiſſe pacificè in hac Sede morari, atque moræ pertæſum, tranſcenſis Alpibus ad Bituricenſes commigraſſe. Nos tamen difficilè acquieſcimus huic opinioni, quæ nullo documento legitimo firmatur; eòque magis fidem ſuſpendimus, cùm nomen Sancti GUNDULPHI prorſus ignotum ſit Catalogis noſtris tum antiquis tum recentibus, atque altum ſilentium de eodem videamus in Hiſtoriis Mediolanenſibus. Neque ab hoc propoſito dimovemur, ea legentes, quæ tum Henſchennius, tum Papebrochius protulerunt in Vita memorati Sancti Gundulphi ad diem XVII. Junii, cùm ipſi quoque fateri cogan-

tur, incertum prorſus eſſe, cujus Urbis ille verè Epiſcopus fuerit, & per conjecturam ſolùm eumdem faciant Mediolanenſem Antiſtitem.

Etiam Petrus Paulus Boſca *in Micrologo de Serpente æneo*, cùm hanc lacunam videret, opportunum cenſuit, inducere in noſtram Eccleſiam alium Epiſcopum, nempe SABINUM quemdam, qui comes erat Sancti Theodori Abbatis Caſinenſis ad Sancta Loca inviſenda. Verùm hanc quoque opinionem minimè admittimus, cùm Papebrochius ipſe eam refellit, oſtendens diſtantiam temporis, nempe quadraginta annorum ab ætate Sancti Theodori, qui fuit coætaneus Sancti Gregorii, & ſub Bonifacio III. floruit; adeòque SABINUS ejuſdem ſocius implere minimè potuit lacunam inter Vitalem & Sanctum Auxanum Mediolani Epiſcopos, cùm ipſis multò poſterior fuerit.

Obiit Vitalis Anno DLV., ùt jam adnotavimus, & Tumulum recepit in Eccleſia Sancti Vitalis, quæ olim extabat propè Sancti Ambroſii Templum; diruta autem fuit Sancti Caroli ætate, qui Anno MDLXXVI. inde tranſtulit Corpus Sancti Monæ Epiſcopi Mediolanenſis in Metropolitanam Baſilicam, ſolemni habitâ per Urbem ſupplicatione, ùt narrat Gluſſianus Libro Tertio, Capite Octavo ejuſdem Vitæ.

SAN-

SANCTUS AUXANUS.

ADiit hanc Eccleſiæ noſtræ Sedem S. Auxanus poſt Vitalem, ſeu potiùs poſt Schiſmaticum Epiſcopum, ùt nos veriſimilius opinamur, Anno DLXVI. Ejus operâ Mediolanenſem Clerum ad Romani Pontificis obedientiam redactum eſſe damnatis tribus Capitulis, & approbatâ Synodo Quinta, cùm adhuc Illyrici Epiſcopi in Schiſmate permanerent, exiſtimat Papebrochius *in Exegeſi*.

Brevis fuit ejuſdem Epiſcopatus, cùm vitam depoſuerit biennio nondum expleto, Anno videlicet DLXVII. III. Nonas Septembris.

Ughellus tradit, Epiſcopatum Auxani incidiſſe in tempora Alboini Langobardorum Regis, qui a Narſete invitatus Italiam invaſit. Sed cùm Langobardæ Gentis ingreſſus in has Provincias contigerit Calendis Aprilis Anni DLXVIII., obiiſſe dicendus eſt Sanctus Auxanus, antequam e Pannonia Alboinus cum exercitu ſuo proficiſceretur; præſertim cùm Paulus Diaconus nullam de Sancto Auxano mentionem injiciat in ſua Langobardica Hiſtoria.

Sepultum fuiſſe Sanctum Auxanum in Eccleſia Sancti Stephani *ad Rotam* adnotat antiquus noſter Catalogus. Ejus certè Sacrum Corpus ſolemniter tranſtulit per Urbem Cardinalis Federicus Borromeus in Concilio VII. Provinciali, atque in Ara Majori ejuſdem Eccleſiæ repoſuit: Feſtum autem hujus Sancti Antiſtitis celebrat Eccleſia Mediolanenſis III. Nonas Septembris.

Non

Non omittenda eſt hoc loco gravis controverſia, quæ adhuc fervet inter Mediolanenſes Scriptores, utrum Sanctus ARSATIUS, cujus Corpus ſub Ara Maxima Baſilicæ Sancti Stephani mox memorati bis translatum ab Archiepiſcopis Mediolanenſibus Sancto Carolo, & Federico Borromeis jacet ac colitur, fuerit, necne Archipræſul Mediolanenſis. Petrus Paulus Boſca *in Martyrologio Ambroſiano*, ad diem XII. Novembris aſſignatum recolendæ hujus Sancti memoriæ, dubitationem ſuam proponit, an Sanctus ARSATIUS præfuerit aliquando Mediolanenſi Eccleſiæ. Verùm, cùm teſtimonia ſolummodo Scriptorum & Liturgicorum Codicum congerat, qui hanc ſententiam confirmant, nihil tamen in adverſum enunciet, propendere hunc Auctorem atque huic parti adhærere, non difficulter quiſquis illum conſulere velit, exiſtimabit. Non ita expeditè manus dabit, qui altiùs rem expendat. Siquidem evolutis diligentiſſimè Catalogis Hiſtoriiſque tum antiquis tum recentioribus, nulla umquam objicitur oculis Sancti ARSATII mentio, tamquam Ambroſianâ Inſulâ quandoque inſigniti. Sanè Boſca ipſe ſe ignorare fatetur, num Vitali ſucceſſerit, vel Sancto Auxano: Papebrochius verò *in Exegeſi Mediolanenſium Epiſcoporum* refert, miſſam ad ſe fuiſſe a Patre Gamanſio ab Ingolſtadienſi Urbe Vitam Sancti ARSATII, tamquam Mediolanenſis Antiſtitis, quæ MS.ta ibidem aſſervabatur. In ea autem ſcriptum eſſe teſtatur, vivente adhuc Sancto Simpliciano, ARSATIUM Mediolanum migraſſe; cùmque Antiſtes ille ſenio gravis Ambroſianæ Eccleſiæ oneri ferendo imparem ſe videret, collecto Provinciali Concilio illud depoſuiſſe, eoque ornatum

ſtatim

ſtatim fuiſſe Sanctum ARSATIUM. Proſequitur ſubinde reliquam eam Hiſtoriam compendio enarrare, ac tamdem judicium ſuum profert, inquiens, Scriptionem illam minimè fidem mereri, utpote fabulis undique affluentem. Nihilominus plura de hoc Sancto ſubjungit, nihil tamen definiens, reſervatâ poſteris ſuis libertate, ut expenſis jam digeſtis ab ipſo notitiis, ad hunc implexum nodum exſolvendum ſpectantibus, quæ veriſimiliora videbuntur, in publicam lucem educant ſub diem XII. Novembris, qui ſacer eſt in Bavaria Sancto ARSATIO. Interim hiſtoriam omnem Mediolanenſem convellit, dum ait, ubi de Sancto Euſtorgio II. agit, totam gratiam delati ad nos theſauri Sanctorum trium Magorum deberi Sancto ARSATIO, qui Corpora illorum e Perſide Conſtantinopolim devexerat, poſtea Mediolanum deportanda; atque inſuper probro ignominioſæ oblivionis tam circa Sanctum ARSATIUM, quàm erga Sanctum Aurelium nos onerat, quorum cultum prorſus evanuiſſe Mediolani aſſeverat: Quod quàm falſum ſit, quiſquis Mediolani degens poterit dignoſcere, & ex Ambroſiano Martyrologio patet, in quo nonus Novembris dies Sancto Aurelio, & duodecimus ejuſdem menſis Sancto ARSATIO ab immemorabili tempore ad eorum memoriam Divinis Officiis ac Sacrificiis recolendam aſſignatur.

Diximus proximè, gemina vice tranſlatum fuiſſe Sancti ARSATII Corpus a Mediolanenſibus Archiepiſcopis. Gluſſianus, qui Tranſlationem a Sancto Carolo peractam narrat Anno MDLXXXI. univerſo Clero Urbis & Diœceſis adſtante poſt Octavam Synodum Diœceſanam, hunc Sanctum ARSATIUM Epiſcopum quidem nominat, ſed nullo aſſignato Sedis ſuæ loco. Contra verò

in

in altera ſolemniore, a Cardinali Federico Borromeo celebrata Translatione, Suffraganeorum omnium Præſulum interventu, poſt Concilium Provinciale VII. poſitus eſt lapis a dextero latere Aræ Maximæ Sancti Stephani hiſce verbis inſculptis:

CORPORA SS. MARTINIANI, AUXANI, ET MANSUETI
MEDIOLANI ARCHIEPISCOPORUM
PROTASII MARTYRIS, MARTIANIQUE EREMITÆ
SUB VETERI HUJUS ECCLESIÆ CHORO
QUONDAM SEPULTA
ET PROPTER NOVAM TEMPLI STRUCTURAM
INDE AMOTA,
DILIGENTERQUE EX ANTIQUIS MONUMENTIS,
PICTURIS,
TRADITIONIBUSQUE RECOGNITA,
FEDERICUS CARDINALIS
ET MEDIOLANI ARCHIEPISCOPUS
POST EORUMDEM CELEBERRIMAM TRANSLATIONEM
IN SEPTIMA PROVINCIALI FREQUENTISSIMA SYNODO
A SE CELEBRATAM
UNA CUM CORPORIBUS SS. ARSATII
MEDIOL. ARCHIEPISCOPI
MARINI MARTYRIS AC LEONIS EREMITÆ,
QUA IN ARCA JAM OLIM A B. CAROLO CARD.
ET MEDIOL. ARCHIEP.
CONDITA FUERANT INCLUSIS
SUB HOC ALTARI DECENTIUS COLLOCAVIT
PRIDIE CAL. JUNII MDCIX.

Nos

Digitized by Google

Nos in hac tenebricoſa Hiſtoria, in qua omnia videmus incerta & confuſa, ſatiùs cenſuimus abſtinere ab inſerendo in Seriem Mediolanenſium Archiepiſcoporum Sancto ARSATIO, donec ſolidiora ſuppetant documenta, quæ lumen præferant ad eum inter Antiſtites noſtros ſecurè collocandum.

Digitized by Google

SANCTUS HONORATUS.

SAncto Auxano vitâ functo ad hujus Eccleſiæ Cathedram evectus eſt Sanctus Honoratus Anno DLXVII., vel ineunte Anno DLXVIII. Sub hoc Epiſcopo Langobardi in Italiam irrupêre, & ſequente Anno DLXIX Nonis Septembris ingreſſi ſunt Mediolanum.

Honoratum ante hunc Barbarorum adventum ſediſſe in Eccleſia Mediolanenſi colligunt Bollandiſtæ in ejuſdem Vita ad diem VIII. Februarii, ex Actis Sancti Verani Epiſcopi Cabellionenſis, ſeu veriùs Cavallicenſis; ùt adnotavere Sirmondus & Fratres Sammartani *in Gallia Chriſtiana*: In iis enim narratur, Sanctum Veranum, cùm Româ reverteretur in Gallias, exceptum fuiſſe hoſpitio Mediolani a Sancto Honorato, & *petente Honorato eodem*, *ad Civitatem*, *cui nomen Albigauno*, *profectum receſſiſſe*. Hinc verò arguunt, tunc temporis Italiam fuiſſe pacatam, nondum illam occupantibus Barbaris, cùm tam ſecurè Vir peregrinus varia hæc itinera peregerit. Nihilominus ſi hæc verba expendamus, dicendum potiùs eſt, id contigiſſe, cùm Epiſcopus noſter declinaturus hoſtilem Langobardorum ſævitiem, Genuam confugiſſet; neque hunc Antiſtitem Mediolani, ſed Albigauni prope Liguſticam oram hoſpitio excepiſſe Sanctum Veranum. Quidquid verò de hac re ſit, certum eſt ex Paulo Diacono, Honoratum noſtrum, adventante Alboino, ab hac Metropoli ad Genuenſem Civitatem commigraſſe. Plu-

Plurium Mediolanenſium Scriptorum opinio eſt, Sanctum Honoratum, cùm Alboinus Mediolanum obſediſſet, Auctorem fuiſſe Civibus, ut ſeſe ac Urbem hoſti dederent, pactâ conditione, ut immunes ab excidio forent: Cùm verò in irritum abiiſſet hoc votum, Langobardis hanc Metropolim barbarè depopulantibus, acerba objurgatione reprehenſum fuiſſe a Civibus Sanctum hunc Antiſtitem, & appellatum etiam Patriæ proditorem; quemadmodum præ ceteris Ripamontius eleganti deſcriptione, ſed falsâ, narravit; atque ab eo etiam Ughellus deceptus eſt. Siquidem abſque ullo antiquitatis fundamento id aſſeritur, cùm nulla excidii ab Alboino Mediolano illati mentio extet in vetuſtis Hiſtoriis; & Paulus Diaconus clarè ſcribat, Honoratum Mediolanum deſeruiſſe, profecturum ad Urbem Genuenſem, quin ullam innuat deditionem factam a Civibus, Epiſcopi hujus perſuaſione. In hoc conſentiunt etiam Bollandiſtæ ad diem ſuperiùs memoratum.

Alterum Honorato probrum affinxere qui illum in Hiſtoriis Mediolanenſibus reum fecerunt indignationis Pelagii I. Pontificis Maximi, ob conſecratum Epiſcopum Sedis Aquilejenſis Paulinum Schiſmaticum. Id præter alios Metropolis noſtræ Scriptores tradidit Dandulus *in Chronicis Venetis*, & Galeſinius in Tabula noſtrorum Antiſtitum. Sed veritati hoc omnino repugnat, cùm Honoratus duodecim ſaltem annis poſt Ordinationem Paulini, regimen Eccleſiæ Mediolanenſis ſuſceperit, ideſt ineunte Anno DLXVIII., ùt ſuperiùs innuimus. Quamobrem Lectio, quæ inſerta erat antiquitus Ambroſianis Breviariis, & injurioſum hoc Paulini Schiſmatici Ordinationis ſigma inurebat fronti Sancti hujus noſtri Præſulis, ætate Sancti Caroli prorſus expuncta fuit.

 Pa-

Parum in vivis ſuperfuit exul Honoratus, mortem obiens Genuæ Anno DLXX., ùt etiam Cardinalis Noriſius *in Diſſertatione de Quinta Synodo* adnotavit. Catalogus noſter antiquus obitum Sancti hujus Antiſtitis affigit diei XXVI. Februarii; Eccleſia autem Ambroſiana illius Natalem celebrat die VIII. ejuſdem menſis: fortaſſe enim Translationis Genuâ Mediolanum Corporis Sancti Honorati dies iſte fuit; quemadmodum diximus in Sancti Datii Vita peractum, cujus memoriam colit Eccleſia noſtra non die Natalis memorati Sancti, ſed Translationis Conſtantinopoli Mediolanum.

Refellenda eſt hoc loco Fabula, quam in ſuis Chronicis vulgavit Galvaneus Flamma, quamque ab illo credule hauſtam Mediolanenſes aliqui Scriptores ad poſteros tranſmiſere, videlicet Ordinarios Cardinales Metropolitanæ noſtræ Baſilicæ, quo tempore exciſum eſt ab Alboino Mediolanum, hoſpitatos fuiſſe ad Noxetum ſimul cum Honorato, qui ibidem interiiſſe dicitur; eoſque conſtitiſſe in illo Palatio, quod duobus circiter paſſuum millibus ab hac Metropoli extra Romanam Portam diſtabat. Ita Galvaneus tradidit. Verùm, quantum hoc veritati repugnet, clarè docet Paulus Diaconus, qui, ùt jam adnotavimus, teſtatur, Honoratum non ad aliquem Urbi proximum Vicum, ſed Genuam confugiſſe. Et ſanè, quis credat, vaſtantibus omnia Barbaris, Clerum Primarium cum ſuo Epiſcopo Sedem voluiſſe figere in loco aperto, atque omnibus militum injuriis expoſito? Huic ſomnio occaſionem dedit Translatio Corporis Sancti Honorati Genuâ Mediolanum: Antonius enim Beſſa Negrinus in Elogiis Caſtillioneæ Familiæ Sacram Ædem deſignat, ubi San-

cti

cti Honorati Corpus depoſitum fuit, cùm ad noſtram Urbem deferretur, nempe Sanctum Georgium, olim appellatum *alla Nocetta*, ob parvam Nucem, quæ illic frondeſcens Eccleſiæ cognomentum fecit, nunc verò *ad Puteum* appellatur, ut etiam Paulus Morigia aſſerit *in Hiſtoria Mediolanenſi*, & Bollandiſtæ adnotavere. Nominis autem ſimilitudo *ad Noxetam* fabulæ campum dedit, ut Sanctus hic Præſul unà cum Cardinalibus Mediolanenſibus ad Noxetum extra Urbem receſſiſſe diceretur, atque ibidem interiiſſe.

Nunc ſacrum iſtud Corpus redactum in cineres religioſè aſſervatur arculâ argenteâ incluſum, in Baſilica Sancti Euſtorgii; ſed quo tempore illuc translatum ſit, ignoratur.

Admonere hic Lectores neceſſarium ducimus, ne imponi ſibi ſinant, quamplures Scriptores hallucinatos eſſe, Sancto Honorato Mediolanenſi tribuentes, quæ aliis ejuſdem nominis Viris verè propria fuere. Nonnulli Sancti Ennodii Epigrammata, quæ in laudem Honorati Novarienſis Epiſcopi contexuit, ob conditum ab eo Caſtrum juxta morem illius ætatis, qua Antiſtites Sacri paſſim propugnacula conſtruebant ad prædonum aut hoſtium excurſiones arcendas; inſuper Epiſtolas aliquot Sancti Gregorii Magni ad diverſos Honoratos ſcriptas, ad noſtrum Honoratum referunt, quem conſtat obiiſſe XX. annis antequam ille Summus Pontifex crearetur. Graviùs lapſus eſt Galeſinius, qui in Tabula Mediolanenſium Antiſtitum ait, ab hoc noſtro Præſule *optimâ inſtitutione corroboratas fuiſſe Eccleſiæ ipſi commiſſæ partes, Langobardorum barbarie debilitatas*; nondum enim ingreſſus fuerat Mediolanum Alboinus eo tempore, quo Sanctus Honoratus Genuam

auſu-

aufûgit, ùt ſuperiùs diximus, ac parùm in vivis ſuperſtes fuit poſt Barbarorum in hanc Urbem adventum. Deteriùs etiam errat, cùm ſcribit, Sanctum Honoratum *interfuiſſe Aquilejenſi Concilio*; nam illud convocatum fuit a Paulino, Schiſmaticorum Anteſignano, atque ideo, tamquam Conciliabulum, contra Synodum Quintam coactum, a Catholicis rejicitur atque execratur. Omittimus confutare alterum mendum, quod admittit Galeſinius, aſſerens Antiſtitem hunc noſtrum initia Pontificatus ſui ſumpſiſſe *ſub Benedicto I. Summo Pontifice*, longè ſeriùs ad Apoſtolicam Cathedram promoto; cùm ferè ſemper in aſſignandis Summis Pontificibus a veritatis tramite aberret.

FRONTUS, ùt eum appellat Catalogus antiquiſſimus noſtrorum Antiſtitum, a nonnullis Patriæ noſtræ Scriptoribus vocatur *Frontonus*, & etiam *Junctus Frontonus*. Hic, mortuo Sancto Honorato, ſymoniacis artibus Ambroſianam Sedem invaſit. Vir erat, nobilitate & opulentiâ clarus in hac Metropoli; ſed inter Pſeudo-Epiſcopos recenſetur, ob malè acceptam & retentam Dignitatem. Plura de hoc invaſore Epiſcopo fabuloſa narrantur, videlicet damnatum ab ipſo fuiſſe injuſtè quemdam Presbyterum, ut flammis vivus combureretur; FRONTUM verò huic immani ſpectaculo adſtitiſſe, donec ad Romanam Portam perveniens, terrâ hiante vivus ipſe abſorberetur. Alii non hoc loco mortem a Deo vindice illatam eidem tradunt; ſed igne conſumptum volunt, ubi nunc ſurgit Eccleſia Sancti Petri, vulgò dicti *in Caminadella*. Commenta hæc ſunt ſomniantium Scriptorum. Securum habemus teſtimonium Catalogi vetuſtiſſimi ſæpiùs memorati,

rati, in quo iſte Pſeudo-Epiſcopus aſſeritur Genuæ captivus obiiſſe, poſtquam tyrannicè Mediolanenſem Sedem occupaſſet per XI. annos, ab Anno nempe DLXX., ad Annum DLXXXI.

Cardinalis Noriſius *in Diſſertatione hiſtorica de Quinta Synodo* Cap. IX. hæc de FRONTO ſcribit. „ Honoratus „ Genuam cum pluribus Clericis ac Civibus ſe recipiens, „ paulò poſt, diem obiit. Tunc duo electi ſunt Mediolanenſium Antiſtites; etenim exules apud Genuam Laurentium „ nominarunt circa Annum DLXXI. (de hoc Epiſcopo „ mox loquemur) Mediolani verò, majori ac meliori parte Civium exulante, *Fronto* quidam, veluti vacuam Sedem occupavit „. Papebrochius *in Exegeſi* mortem Fronti ita deſcribit: *Perrexit Fronto inter ruinas deſolatæ Urbis Mediolanenſis titulum tenere Epiſcopi, ac demum comprehenſus Genuamque ductus, ibidem obiit Anno DLXXXI.*

LAURENTIUS II.

MOrtuo Honorato, Laurentius II. Civis Mediolanenſis Genuæ reſidens, delectus eſt in legitimum hujus Eccleſiæ Antiſtitem: Sed quo anno id contigerit, inter Scriptores non ſatis liquet. Eminentiſs. Noriſius loco proximè laudato electionem Laurentii ſtatuit ad Annum DLXXI. Papebrochius & Pagius ad ineuntem Annum DLXXIII. illam protrahunt: Baronius verò deceptus a recentioribus Catalogis noſtrorum Præſulum, qui XII. tantùm annos Sedis Laurentio aſſignant, initium ejuſdem Epiſcopatûs affigit Anno DLXXXIV. Tenebras haſce diluit vetuſtus noſter Catalogus, in quo XIX. anni, ſeptemque Menſes Sedis Laurentio tribuuntur. Itaque eodem tempore, quo Fronto, ſeu Frontonus Eccleſiam Mediolanenſem vexabat tamquam Epiſcopus, ſuffectus eſt Genuæ Sancto Honorato Laurentius. Quamobrem dicendum eſt cum Papebrochio, Ambroſianam Sedem ferme per tres annos vacaſſe. Neque id mirum eſſe debet, cùm, furentibus per Italiam Langobardis, non ita facilè poſſet Clerus, partim in hac Urbe degens, partim Genuæ, in novi Præſulis electionem conſentire. Certum eſt, ſaltem Anno DLXXIII. datum fuiſſe vacuæ Sedi Mediolanenſi Laurentium Epiſcopum; cùm enim conſtet, ejuſdem Succeſſorem ſediſſe Anno DXCIII. ex Epiſtolis Sancti Gregorii Magni, quas ſuo loco enunciabimus, tempus Sedis in vetuſto Catalogo, ùt diximus, Laurentio aſſignatum, ſub prædicti anni initium expletur. De

De hoc Epiſcopo nihil ab ipſo actum in Hiſtoriis refertur, cùm ſemper in exilio Genuenſi permanſerit. Quod colligere poſſumus ex Epiſtolis Sancti Gregorii illud eſt; Presbyterum quemdam nomine ***Magnum*** Eccleſiæ Mediolanenſis fuiſſe anathemate a Laurentio perculſum: Extat enim ejuſdem Summi Pontificis Epiſtola num. XXVI. Libr. III. Epiſtolarum poſtremæ Editionis Pariſienſis ita inſcripta: ***Magno, Eccleſiæ Mediolanenſis Presbytero***, qua eum Sanctus Gregorius hortatur, ut non obſtante excommunicatione a Laurentio quondam Epiſcopo, eidem innocenti inflictâ, officium ſuum ſecurè peragat, & Clerum populumque moneat, ne in Epiſcopi electione diſſentiant. Data ea eſt menſe Aprili, Indictione XI., quæ Annum DXCIII. deſignat. Hinc verò patet, Laurentium eodem anno vix inchoato vitam depoſuiſſe, cùm de eligendo ejus Succeſſore ageretur.

Galeſinius de Laurentio II. hæc ſcripſit: ***Eccleſiæ Mediolanenſis patrimonium, quod in Sicilia amplum habuit, præclarè defendit; ob eamque rem Conſtantium Diaconum Romam ad Gregorium Pontificem miſit***: Atque in hoc laus ei debetur; id enim conſtat ex Epiſtola Sancti Gregorii, poſita ſub num. LXXXII. Libr. I. Editionis poſtremæ Pariſienſis, peractæ Anno MDCCV., quam non abs re eſſe credimus integram dare, cùm Ughellus de his prorſus ſiluerit, aſſerens ſolmmodo, ***Laurentium ærumnis periculiſque circumventum hanc Eccleſiam adminiſtraſſe***: Quæ tamen fuerint noxia iſta incommoda, neque ipſe explicat, neque nos ex Hiſtoriis indicare valemus. Epiſtola autem memorati Pontificis Maximi ita ſe habet:

„ *Gregorius Laurentio Epiſcopo Mediolanenſi* .

„ Scripta Fraternitatis Veſtræ ſuſcipiens, gratias Omnipo-
„ tenti Deo retuli, qui deſiderabili me ſoſpitatis ejus nuncio
„ relevavit. Quod autem perhibetis ab exactione Patrimonii
„ Siciliæ Provinciæ, juri Sanctæ cui Deo Auctore præſidetis
„ Eccleſiæ certam redhiberi pecuniæ quantitatem, pro eo quòd
„ ab Actoribus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ illo in tempore
„ Patrimonii Eccleſiæ veſtræ celebrabatur exactio; neceſſa-
„ rium fuit, juxta tenorem ſcriptorum, a vobis directo-
„ rum, acceptarum illatarumque pecuniarum ſummam inſpi-
„ cere, & totius ratiocinii meritum ſubtiliter indagare; qui-
„ bus perſpectis, nihil a Sancta Romana Eccleſia Eccleſiæ
„ veſtræ allegatum eſt redhiberi. Sed quia, dum Conſtan-
„ tius Diaconus veſter ad ea, quæ objecta a noſtris fuerant,
„ aliud allegavit, examen negotii venit in dubium, quod
„ ſubtiliùs poterat ventilari, ſi qua perſona exiſteret, cum
„ qua definiri aliquid ſtabiliter potuiſſet. Proinde neceſſe
„ eſt, ut Sanctitas Veſtra hac de re perſonam inſtituat,
„ cum qua Romana Eccleſia aliquid debeat ſolidè definire,
„ ut ſive nihil debet, ex judicio pateat: ſeu aliquid de-
„ buit, & reſtituit, perſona quam inſtituitis ſecuritatem ſo-
„ lemniter emittat.

Ne autem ita jejunè vitam hujus Antiſtitis abſolvamus, eximiam ejuſdem laudem proferimus, quam nobis exhibent *Annales Francici*, a Ducheſnio editi *Tomo I. Rer. Francicar.*, & Pater Theodoricus Ruinart. *in Appendice Operum San-*

Sancti Gregorii Epiſcopi Turonenſis, colum. MCCCXLVII. novæ Editionis. Literas ſimul cum quinquaginta millibus ſolidorum per Legatos ſuos miſerat (teſte Paulo Diacono Libr. III. Cap. XXVII.) Mauritius Conſtantinopolis Imperator ad Childebertum II. Francorum Regem, eumdem rogans, ut arma jungeret cum Exarcho ſuo Ravennæ, ad expellendam ab Italia barbaram Langobardicam Gentem, quæ eam invaſerat, duroque jugo premebat. Annuit Rex ille votis Mauritii, ſcripſitque Epiſtolam ad Laurentium Mediolanenſem Epiſcopum, quem primò inſignivit Titulo *Patriarchæ*. Sanè uſque ad Seculum VI. inauditum fuerat in Occidente, Metropolitanis Præſulibus datum hoc nomen. Illud uſurpavere Aquilejenſes Antiſtites poſt conflatum ea ætate teterrimum obſtinatumque Schiſma causâ, Synodi Quintæ Conſtantinopoli celebratæ. Diverſa tamen erat ratio, qua illuſtrem eum Titulum ſibi impudenter arrogaverant memorati Epiſcopi; ii namque hoc vocabulo eminentiorem Dignitatem redolente arbitrabantur, majorem ipſis conciliari auctoritatem ad Schiſma validiùs fovendum, ſeque ùt Autocephalos ab Apoſtolicæ Sedis imperio tutiùs ſubducendos: Ratio autem, cur Childebertus hoc Titulo exornavit Laurentium Epiſcopum, ſingularis fuit exiſtimatio, per omnes regiones diffuſa ampliſſimæ nobiliſſimæque hujus Mediolanenſis Metropolis, & Eccleſiæ a Sancto Ambroſio inſtitutæ, ac ſuccedentium Epiſcoporum Sanctimoniâ illuſtratæ; ob quam nemini magis congruere hoc *Patriarchæ* nomen, quàm Antiſtiti Mediolanenſi cenſebat. Nihilominus neque Laurentius, neque Succeſſores illo uſi ſunt, ne plenum ſuperbiâ & audaciâ exemplum

Aquilejenſium Præſulum ſecuti eſſe viderentur. Proſequitur deinde Childebertus in exordio Epiſtolæ commendare virtutes Laurentii, quæ veluti bonus Chriſti odor, *beatâ opinione* & famâ Francicas oras occupaverant, eumque parem propemodum fecerant Sancto Martyri Laurentio, cujus nomen gerebat. Innuit ſubinde tacitè, Antiſtitem hunc noſtrum (more Prædeceſſorum ſuorum, præſertim Sancti Euſtorgii II., quem ſuperiùs laudavimus) extendiſſe uſque ad Francicam nationem liberalis ſuæ caritatis fructus; ait enim, eumdem imitatum fuiſſe Martyrem Laurentium, diſperdendo numiſmata pauperibus; gratiaſque agit Supernæ clementiæ, quòd huic noſtro Laurentio contulerit, quod multis illic erat in munere, & ipſi ſingulariter futuræ gloriæ tempore ad mercedem rependendum. Rogat demum Laurentium, ut conſcium faciat Smaragdum Exarchum, ſe paratum jam eſſe, ſequenti anno in Italiam dirigere exercitum, *ad gentem* Langobardorum *execrabilem elidendam*, *manu Domini*, & ejuſdem orationibus adjuvantibus. Sed dilucidiùs hæc omnia ex ipſius Regis Epiſtola, quam hìc referimus, patebunt.

„ *Childebertus II. Rex* (*a*)
„ *Ad Patriarcham Laurentium*.

„ Beatæ opinionis ubique curſum meritis extendentes,
„ certantes Beatum Martyrem æquiparare ſicut nomine, ſic
„ mercede, ut per vos totus hìc ille redeat, cujus adepti
„ eſtis

(a) *Data eſt hæc Epiſtola Anno DLXXXIII, cùm juxta Pagium, anno ſequenti Francica copiæ in Italiam deſcenderint.*

„ eſtis vocabulum, qui Sacroſanctæ Eccleſiæ ſic diſperſit numi-
„ ſmata, ut censûs effuſione per pauperes augmentaret talen-
„ ta, ad nos uſque bonum tanti operis divulgante, gratias
„ referimus Supernæ clementiæ, quæ vobis illud contulit quod
„ multis hic eſt in munere, & vobis ſingulariter futuræ
„ gloriæ tempore proficiat ad mercedem. Quapropter ſancto
„ Apoſtolatui veſtró ſalutationis officia dependentes, commen-
„ datione prælatâ, &, ut noſtrî in ſacris intercesſionibus ve-
„ ſtris memores eſſe dignemini, fiducialiter obſecrantes, ſpe-
„ ramus, ut quia divina clementia eâ nos ætate corroborat,
„ ut Catholicæ parti noſtræ non deſint ſolatia (ideſt *auxilia*)
„ juxta votum Romanæ Reipublicæ, vel Sacratiſſimi Patris
„ noſtri Imperatoris, in Italiam direximus adversùs gentem
„ Langobardorum Religioni ac Fidei iniquiſſimê perfidam. Ve-
„ ſtra ſolicitudine ad Virum præcelſum Smaragdum Raven-
„ næ, jubete celeriter nunciare, ut & pars Reipublicæ, in
„ quo per ipſum valet, ſolatium armatorum inferre ſuper ho-
„ ſtes feſtinet, & quantum Dominus præceperit, quod po-
„ teſt fieri in præſenti, non moretur: Quod fuerit verò
„ reſiduum, ſi Chriſto placuerit, adveniente anni futuri tem-
„ pore optamus, exercitum in Cauſa dirigere, quatenus ma-
„ nus Domini gentem execrabilem vobis exorantibus digne-
„ tur elidere, quæ injuriâ Sanctorum & morte ſuorum fide-
„ lium, ſanguinis effuſione crudelitatis manus armavit. Hoc
„ etiam ſperantes, ut ipſi præcelſo Smaragdo de noſtris le-
„ gatariis jubeatis pariter nunciare, ut tam veſtrâ quàm ejus
„ ordinatione quàm celeriter ad locum deſtinatum Imperialis
„ Urbis feſtinent accedere, & ad nos Chriſto Præſule, quæ
„ op-

„ opportuna mandata ſunt, renunciantes velociter, ſi quæ re-
„ ſtant, pacis ſtudio, Divinitate propitiâ communiter expli-
„ centur.

Ex Sancto Gregorio Magno, Epiſtola II. Libr. III. Editionis Pariſienſis diſcimus, Laurentium remiſiſſe ad Apoſtolicam Sedem Cautionem, qua, ſtatim ac electus fuit, profitebatur jure jurando, tria Capitula a ſe damnari; eamque fuiſſe ſubſcriptam ab ipſo Gregorio, cùm adhuc Urbanæ Præturæ officio fungeretur.

De tempore quo Eccleſiam Mediolanenſem rexit Laurentius hic noſter, jam ſuperiùs diſſeruimus ex vetuſto noſtro Catalogo, qui eidem XIX. annos, & VII. menſes Sedis aſſignat: Itaque electus Anno ſaltem DLXXIII., ſub initium Anni DXCIII. obiit Genuæ; qua in Urbe ſepulcrum habuit in Eccleſia Sancti Syri,, quemadmodum memoratus Catalogus adnotavit.

CON-

CONSTANTIUS.

MEdiolani ex nobili Familia ortus Conſtantius, Eccleſiæ Mediolanenſis Diaconus, datus eſt Laurentio Succeſſor Anno DXCIII. . Sanctus Gregorius Magnus Epiſtolam, quæ jacet ſub num. XXX. Libri III. poſtremæ Editionis, miſit ad Joannem Subdiaconum, ut nomine Sedis Apoſtolicæ novi Epiſcopi electioni intereſſet. Verba hujus Sancti Pontificis ſunt: *Genuam te proficiſci neceſſe eſt; & quia multi illic Mediolanenſium, coacti barbarica feritate conſiſtunt, eorum te voluntates oportet, convocatis Clericis, in communi perſcrutari*. Hinc tamen argui nequit, a ſolo Clero Genuæ morante fuiſſe Conſtantium electum; Mediolanenſibus enim Clericis in Metropoli degentibus jus iſtud debebatur: Sed cùm plures ex hoc Cœtu exules forent, noluit Sanctus Gregorius, ut iiſdem inconſultis novus Laurentio Antiſtes ſufficeretur. Id optimè animadvertit Cardinalis Noriſius Cap. IX. jam dictæ Diſſertationis, & clarè ſcribit idem Gregorius in Epiſtola ſuperiùs memorata.

Gratulatus fuit Summus Pontifex Clero & Populo Mediolanenſi de hac unanimi Electione in Epiſtola XXIX. Libr. III., in qua hæc de Conſtantio loquitur, *Dudum mihi benè cognitus fuit, &, cùm in Urbe Regia* (Conſtantinopoli) *reſponſa Sedis Apoſtolicæ facerem, longo mihi tempore adhæſit; ſed nihil umquam in illo, quod reprehendi paſſim potuiſſet, inveni*. Ex hoc teſtimonio colligitur, Conſtantium Diaconum

conum noſtræ Eccleſiæ, ùt eum appellat etiam Sanctus is Pontifex, Conſtantinopolitanum iter ſuſcepiſſe, ſummoque virtutum ſplendore ibidem effulſiſſe; ſed qua urgente de cauſa, aut quo munere functurus illuc ſeſe contulerit, Hiſtoriæ non produnt.

Statim ac Mediolanenſem Sedem obtinuit Conſtantius, Pontifex Maximus Gregorius per Joannem Subdiaconum, ad eumdem miſit Pallium; id enim ipſemet teſtatur in Epiſtola, ad novum hunc Epiſcopum datâ, quæ eſt prima Libr. IV., his verbis: *Præterea Pallium ad Sacra Miſſarum Solemnia utendum* ex more *tranſmiſimus; ſed peto, ut dum hoc ſuſcipitis, ejus honorem ac genium ex humilitate vindicetis*. Hinc patet, *morem* antiquum fuiſſe, ut ad Epiſcopum Mediolanenſem Româ Pallium tranſmitteretur. Id obſervatum legimus *in Hiſtoria Leodienſium Epiſcoporum*, a Chapeaville continuatâ, in qua refertur, miſſum fuiſſe a Sede Apoſtolica Seculo X. Pallium ad Hilduinum Mediolanenſem Antiſtitem. Omittimus plura alia hujus rei exempla hìc proferre, cùm ea ſuis locis in decurſu præſentis Operis adnotaverimus. Quandoquidem verò in prædicta Epiſtola non modò peculiarem ſuum erga hunc noſtrum Antiſtitem amorem oſtendat, verùm etiam eidem regulas præſcribat Gregorius, quibus injunctum ipſi Eccleſiæ Mediolanenſis regimen optimè valeat adminiſtrare, non incongruum exiſtimamus, eam, prout a tanto Pontifice ſcripta eſt, hìc referre. Ita autem ſe habet:

„ *Gre-*

„ *Gregorius Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi .*

„ Scripta Fraternitatis veſtræ ſuſcipiens, magnas Omni-„ potenti Deo gratias retuli, quia Ordinationis veſtræ merui „ celebratione relevari. Quòd verò ex ſuperno munere in „ Electionem veſtram concorditer omnium convênit aſſenſus, „ hoc Fraternitas tua cum ſumma debet conſideratione pen-„ ſare, quia poſt Deum valde eſt debitrix eis, qui ſibi vos „ præferri tam ſubditâ mente voluerunt.

„ Decet igitur vos Sacerdotali benignitate eorum mori-„ bus, in omnibus reſpondere, eorumque neceſſitatibus piâ „ compaſſione concurrere. Si quorum fortaſſe ſunt vitia, „ hæc maturis objurgationibus increpato, ut ipſa quoque Sa-„ cerdotalis indignatio, virtuti ſit admixta dulcedinis; qua-„ tenus & tunc a ſubjectis amari debeat, etiam cùm graviter „ metuitur: Quæ res perſonam veſtram apud eorum judi-„ cium, ad magnam quoque reverentiam adducit, quia ſicut „ præceps furor uſitatuſque deſpicitur, ita contra culpas di-„ ſcreta indignatio plerumque, quò tarda fuerit, eò amplius „ ſit timenda.

„ Joannes verò Subdiaconus noſter multa nobis bona tuæ „ Fraternitatis rediens nunciavit; de quibus Omnipotentem „ Deum petimus, ut hæc qui cœpit ipſe perficiat, quate-„ nus te interiùs exteriùſque profeciſſe & tunc inter homi-„ nes, & poſt inter Angelos oſtendat.

„ Præterea Pallium ad Sacra Miſſarum Solemnia uten-„ dum ex more tranſmiſimus. Sed peto, ut dum hoc ſu-

 „ ſci-

„ ſcipitis, ejus honorem ac genium ex humilitate vindicetis.

Patrimonia quædam in Siciliæ Provincia, non Romana tantùm Eccleſia, ſed etiam Mediolanenſis poſſidebat. Clarè hoc eruitur ex Epiſtola IV. Libr. II. Epiſtolarum Sancti Gregorii. Siquidem cùm Agilulphus Rex Langobardorum, mortuo Conſtantio, tentaret, ut ab Ariana Factione Epiſcopus eâdem fæce infectus deligeretur, Catholici verò e ſuo gremio deſumi vellent; Sanctus Pontifex ſcribit Clero Mediolanenſi, ne terreatur, aſſerens numquam ſe conſenſurum in hominem, qui non a Catholicis, & maximè a Langobardis eligeretur, ſubditque: *Quia Vicarius Sancti Ambroſii indignus evidenter oſtenditur, ſi electus a talibus ordinatur. Nec enim eſt quod vos ex hac cauſa deterreat, vel aliquam vobis neceſſitatem incutiat; quia unde poſſint alimenta Sancto Ambroſio ſervientibus Clericis miniſtrari, nihil in hoſtium Locis, ſed in Sicilia, & in aliis Reipublicæ partibus, Deo protegente, conſiſtit.* Compertum itaque ex hoc loco habemus, non in Sicilia ſolùm, ſed etiam in Reipublicæ Romanæ partibus, Mediolanenſem Epiſcopum ad Clericos ſuos alendos, non modicos reditus habuiſſe uſque ad Conſtantii ætatem. Imo, cùm exorta eſſet controverſia inter Exactores Patrimonii Romanæ Sedis, & eos qui jura Mediolanenſis Eccleſiæ illic tutari curabant tempore Laurentii II., Epiſcopi noſtri, miſſus fuit Romam Conſtantius, qui tunc erat Eccleſiæ noſtræ Diaconus, ut jura Laurentii Antiſtitis promovere in ea Cauſa ſtuderet; quod etiam optimè præſtitit, quemadmodum conſtat ex Epiſtola Sancti Gregorii Pontificis Maximi, ad memoratum Laurentium miſsâ, & a nobis ſuperiùs relatâ, cùm de eodem ageremus.

Con-

Conſtantius exemplo Laurentii Deceſſoris ſui, Cautionem ad Apoſtolicam Sedem miſerat, qua profitebatur, a ſe recipi Quintam Synodum, ac tria Capitula damnari: Quamobrem tres Epiſcopi ab illius communione ſeſe ſubduxerant, & ipſa etiam Theodolinda Regina, eò quòd exiſtimarent, infringi auctoritatem Concilii Chalcedonenſis. Sanctus Gregorius ad eumdem Conſtantium ſcribens Epiſtolâ III. Libr. IV., hortatur, ne a Fide recedat, atque aſſerit ſe anathemati ſubjicere eos, qui profitentes Chalcedonenſem Synodum ſe diligere, Eccleſiæ unitatem verè ſcindunt atque oderunt. Ad Theodolindam autem Literas dedit, quæ ab hoc errore illam amoverent, ſuaderentque, ut ſecurè Conſtantium ad communionem reciperet, inquiens: *Decet gloriam veſtram ad Reverendiſſimum Fratrem & Co-Epiſcopum meum Conſtantium, cujus Fides ac vita olim mihi probata eſt, ſub omni celeritate ſubmittere; eique veſtris Epiſtolis indicare Ordinationem ejus, quam benignè ſuſcepiſtis, & quia ab ejus communione in nullo ſeparamini*. Acceptis Literis ad Theodolindam directis eique exhibendis, animadvertit Conſtantius, in illis mentionem fieri de Synodo Quinta. Cùm autem probè noſſet Regiæ illius Fœminæ genium, Gregorio reſpondit, poſſe iis verbis offendi Reginam. Gratam ſibi fuiſſe admonitionem reſcripſit Sanctus Pontifex, adeòque alias ſuffecit, in quibus omiſsâ eâ Synodo, quatuor tantùm Concilia OEcumenica ſummopere commendabat, atque hac viâ obtinuit pacatiſſimam cum Conſtantio Theodolindæ conciliationem. Verba Sancti Gregorii tranſcribere lubet: „ Quod autem ſcripſiſtis, quia Epiſtolam „ meam Reginæ Theodolindæ tranſmittere minimè voluiſtis,

„ pro eo quòd in ea Quinta Synodus nominabatur, ſi eam „ exinde ſcandalizari poſſe credidiſtis, rectè factum eſt, ut „ minimè tranſmitteretis; unde nunc ita facimus, ſicut vobis „ placuit, ut quatuor Synodos ſolummodo laudaremus. „ De illa tamen Synodo, quæ in Conſtantinopoli poſtmodum „ facta eſt, quæ a multis Quinta nominatur, ſcire vos vo- „ lo, quia nihil contra quatuor Sanctiſſimas Synodos conſti- „ tuerit vel ſenſerit; quippe quia in ea de perſonis tantum- „ modo, non autem de Fide aliquid geſtum eſt, & de his „ perſonis, de quibus in Chalcedonenſi Concilio nihil conti- „ netur; ſed poſt expreſſas Synodos ſeu Canones facta „ contentio, & extrema actio de perſonis ventilata eſt; Nos „ tamen, ſicut voluiſtis, ita fecimus, ut ejuſdem Synodi „ nullam memoriam faceremus „. Ita in Epiſtola XXXVII. Libr. III. Indictione XII. ad Conſtantium miſsâ: Adjungimus etiam Epiſtolam ipſam Sancti Gregorii, poſitam in poſtrema Editione ſub num. IV. Libr. IV., quam ad Theodolindam direxit, cùm in ea Conſtantii laudes occurrant.

„ *Gregorius Theodolindæ Reginæ Langobardorum &c.*

„ Quorumdam ad nos relatione pervênit, ab aliquibus „ Epiſcopis gloriam veſtram uſque ad hoc ſcandalum contra „ Sanctam Eccleſiam fuiſſe perductam, ut ſeſe a Catholicæ „ unanimitatis communione ſuſpenderet. Quod quantum vos „ purè diligimus, tantum de vobis fortiùs dolemus, quia „ vos imperitis ſtultiſque hominibus creditis, qui non ſolùm „ ea, quæ loquuntur neſciunt, ſed vix ea quæ audierunt

„ per-

„ percipere poſſunt. Qui dum neque legunt, neque legen-
„ tibus credunt, in ipſo errore manent, quem ſibi ipſi de
„ nobis finxerunt. Nos enim veneramur Sanctis quatuor Sy-
„ nodos, Nicenam in qua Arius, Conſtantinopolitanam in
„ qua Macedonius, Epheſinam primam in qua Neſtorius,
„ Chalcedonenſem in qua Euthices atque Dioſcorus damna-
„ tus eſt; profitentes quia quiſquis aliter ſapit quàm hæ
„ quatuor Synodi, a Fide veritatis alienus eſt. Damnamus
„ autem quoſcumque damnant, & quoſcumque abſolvunt ab-
„ ſolvimus; ſub anathematis interpoſitione ferientes eum, qui
„ earumdem quatuor Synodorum, maximè autem Chalcedo-
„ nenſis, de qua quibuſdam imperitis hominibus nata eſt
„ dubietas & ſuperſtitionis occaſio, Fidei addere vel adime-
„ re præſumit. Cùm itaque integritatem noſtram ex aperta
„ mea traditione ſeu profeſſione cognoſcitis, dignum eſt, ut
„ de Eccleſia Beati Petri Apoſtolorum Principis nullum ul-
„ teriùs ſcrupulum dubietatis habeatis; ſed in vera Fide per-
„ ſiſtite, & vitam veſtram in petra Eccleſiæ, hoc eſt in
„ confeſſione Beati Petri Apoſtolorum Principis ſolidate; ne
„ tot veſtræ lacrymæ, tantaque bona opera pereant, ſi a
„ Fide verâ inveniantur aliena. Sicut enim rami ſine virtu-
„ te radicis areſiunt, ita opera, quantumlibet bona videan-
„ tur, nulla ſunt, ſi a ſoliditate Fidei disjunguntur. De-
„ cet ergo gloriam veſtram ad Reverendiſſimum & Fra-
„ trem, & Co-Epiſcopum noſtrum Conſtantium, cujus &
„ fides & vita olim mihi bene eſt approbata, ſub omni
„ celeritate tranſmittere, eique directis Epiſtolis indicare Or-
„ dinationem ejus, quam benignè ſuſcipitis; & quia ab ejus
„ Ec-

„ Eccleſiæ communione in nullo ſeparamini: ut verè ſicut de „ bona ac fideli Filia, communi exultatione gratulemur. In „ hoc autem vos ac veſtra opera Deo placere cognoſcite, ſi „ priuſquàm ejus examen veniat, Sacerdotum illius judicio „ comprobentur.

Inter alias quamplures Epiſtolas a Sancto Gregorio Magno ad Conſtantium ſcriptas præterire illam non poſſumus, quæ jacet in Libr. IX. Editionis Pariſienſis, ſub num. LIII.; ſatis namque dilucidè ex illa dignoſcimus, Eccleſiam Comenſem ſuffraganeam tunc fuiſſe Mediolanenſis Metropolis. Siquidem cùm Clerus Urbis illius in eodem trium Capitulorum errore, quem proximè diximus, verſaretur, Conſtantius Epiſcopus fervidis admonitionibus curaverat, ut reſipiſceret, atque ad Catholicæ Eccleſiæ communionem rediret. Utquid verò hanc curam ſuſciperet, ſi Oves illæ, quæ aberrabant, ad Ovile ſuum minimè pertinuiſſent? Præterea Sanctus Pontifex Gregorius ipſum laudavit, eò quia minimè neglexiſſet agere quod ipſi incumbebat: Erat igitur Conſtantius illius Civitatis Metropolita. Ughellus in Epiſcopis Comenſibus mordicus tuetur, eam Eccleſiam ſub ditione Aquilejenſis Metropolitæ ſemper fuiſſe; infeliciter tamen: Eumdem namque abundè & eruditè refellit Carolus Conſtantinus Cinonius *in Epiſtola* inſerta *Tomo XXI. Opuſculorum Don Angeli Calogerà*; & quæ ſcripſit Sanctus Gregorius ad Conſtantium, in Epiſtola, quam mox ſubjicimus, clarè teſtantur.

„ *Gre-*

„ *Gregorius Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi*.

„ Latore præſentium communi Filio Eventio Diacono, „ qui Fraternitatis veſtræ nobis ſcripta detulit, referente „ cognovimus Clericos Eccleſiæ Comenſis, quos Sacerdotali ſtu- „ dio reverti ad unitatem Eccleſiæ monuiſtis, reſpondiſſe, non „ ſibi talem a nobis affectum impendi, ut ab hoc redire „ caritate ſuadente prævaleant; aſſerentes res diverſas ſuas „ injuſtè ab aliis, inter quos & a noſtra Eccleſia poſſeſſio- „ nem, quæ Villa Mauriana dicitur, detineri. Nos quidem „ Sanctitatis veſtræ ſolicitudinem omnino laudavimus; quia „ quod vos oportuit facere, minimè neglexiſtis. Sed nec nos „ prædictam poſſeſſionem, ſi eis jure competit, etiamſi ad „ communionem fortè reverti diſtulerint, contra rationis ordi- „ nem patimur detineri; ſed eam cognitâ volumus veritate „ reſtitui. Si verò ad unitatem Eccleſiæ, quod optamus, Deo „ ſe inſpirante converterint, etiamſi nihil illis competat, eam „ illis parati ſumus concedere. Nam nulla occaſione excuſari „ volumus, quos ad Matris Eccleſiæ ſinum redire deſiderabi- „ liter expectamus. De hortis verò, quos in Capitulari tranſ- „ miſſo, & ſubſtantia Italiæ Eccleſiæ veſtræ competere ſigna- „ ſtis vel prædictus nobis portitor indicavit, in ſubſequenti „ illuc perſonam tranſmittemus, cui inter alia curabimus evi- „ denter injungere, ut veritatem congrua indagatione cogno- „ ſcat, & quidquid juſtum fuerit faciat. Nam nos, qui alios „ contriſtari contra æquitatem non patimur, multò magis „ vos, quos valde diligimus, triſtes relinquere non valemus.

„ De

„ De aliis autem Cauſis quale noſtrum ad ſingula ſit reſpon-
„ ſum, ſupradicti communis Filii relatione cognoſcetis.
„ Scripta verò ad dilectiſſimum noſtrum Anatolium Diaco-
„ num, pro commendatione hominum veſtrorum, ſicut volui-
„ ſtis, fecimus.

Poſt adhibitam felici exitu a Sancto Gregorio vulneri medelam, quo ſe reſciderat a Communione Conſtantii religioſiſſima Fœmina Theodolinda, redigendi ſupererant ad ſanam frugem Suffraganei tres Epiſcopi Metropolis Mediolanenſis, qui falsâ perſuaſione decepti, violaſſe Conſtantium decus & auctoritatem Concilii Chalcedonenſis, miſsâ Romam trium Capitulorum damnatione, eumdem tamquam Metropolitanum agnoſcere ejuſque imperio ſubjacere prorſus abnuebant. Antiſtes hic noſter per Bonifacium Diaconum confugerat ad Pontificem Maximum Gregorium, ut noxium hoc Eccleſiaſticæ tranquillitati germen, in primordiis initi ſui Pontificatûs enaſcens, Apoſtolica auctoritate exſcinderet atque a radice extirparet. Medicas igitur manus huic malo curando admovit Sanctus Gregorius, ſecretò Conſtantium monens, ſe miſſurum Epiſtolam, quam cùm tribus illis Præſulibus oſtendiſſet, ſperare ſe ajebat, de ſuperſtitionis illorum ſuperbia apud Metropolitam ſuum pœnitentiam acturos. Nec a promiſſis implendis deſuit, ſequentem Epiſtolam ad Antiſtitem noſtrum dirigens, quæ eſt III. Libr. IV. Indictione XII.

„ *Gregorius Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi.*

„ Pervênit ad nos, quòd quidam Epiſcopi veſtræ Diœ-
„ ceſis,

„ ceſis , exquirentes occaſionem potiùs quàm invenientes ,
„ ſeſe ſcindere a Fraternitatis veſtræ unitate tentaverint , di-
„ centes , Te apud Romanam Urbem , in trium Capitulo-
„ rum damnationem , cautionem feciſſe . Quod videlicet id-
„ circo dicunt , quia , quantum Fraternitati tuæ , etiam ſine
„ cautione , credere ſoleam , neſciunt . Si enim hoc eſſet
„ neceſſarium fieri , verbis nudis vobis credi potuiſſet . Ego
„ tamen nominata inter nos neque verbo neque ſcripro tria
„ Capitula recolo . Sed eis , ſi citiùs revertuntur , de ſuo
„ errore parcendum eſt , quia juxta Pauli Apoſtoli (a) vo-
„ cem , *non intelligunt neque quæ loquuntur , neque de qui-*
„ *bus affirmant* . Nos enim auctore veritate , teſte conſcien-
„ tiâ fatemur , nos Fidem Sanctæ Chalcedonenſis Synodi per
„ omnia illibatam cuſtodire , nihilque ejus definitioni adde-
„ re , nihil ſubtrahere audere . Sed ſi quis contra eam ejuſ-
„ dem Synodi Fidem , ſive plus minuſve ad ſapiendum ap-
„ petit uſurpare , eum omni dilatatione poſtpoſitâ anathema-
„ tizamus , atque a ſinu Matris Eccleſiæ alienum eſſe de-
„ cernimus . Quem igitur iſta mea confeſſio non ſanat , non
„ jam Chalcedonenſem Synodum diligit , ſed Matris Eccleſiæ
„ ſinum odit . Si ergo ea ipſa , quæ audere viſi ſunt , zelo
„ loqui animæ præſumpſerunt , ſupereſt , ut hac ſatisfactione
„ ſuſceptâ , ad Fraternitatis tuæ unitatem redeant , ſeque a
„ Corpore Chriſti , quod eſt Sancta univerſalis Eccleſia , non
„ dividant .

Quantì faceret Gregorius Magnus adhibitam a Conſtantio paſtoralem curam erga Clerum Mediolanenſem , ut anti-

(a) *I. ad Timoth. I. v. 7.*

quæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ tenor in ſua Diœceſi refloreret, numquam clariùs eluxit, quàm cùm eidem injunxit, ut ſimul cum Venantio Lunenſi Epiſcopo, ob revocandos ad priſtinæ ſanctimoniæ leges ſacros illius Eccleſiæ Miniſtros, qui ab ea longè receſſerant, ſolicitudinem amoremque ſuum erga Divinum cultum impenderet. Expetierat enixiſque precibus Summum Pontificem rogaverat idem Lunenſis Epiſcopus, ut in pio hoc Opere perficiendo tantus ſibi comes adjungeretur. Itaque ad Conſtantium ſcripſit Gregorius ſequentem Epiſtolam, quæ eſt XXII. Libr. IV. Indictione XII.

„ *Gregorius Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi.*

„ Quorumdam de Lunenſium venientium partibus ad nos „ relatione pervênit, religionem locorum ipſorum ita ab Ec- „ cleſiaſticæ diſciplinæ tramite deviaſſe, ut nullatenus in ſuis „ moribus actionibuſque Canonicæ diſpoſitionis ſtatuta reſpi- „ ciant. Quæ quia erant & examinanda ſubtiliùs, & ſeveriùs „ ulciſcenda, præſentium latorem Venantium, Fratrem & „ Co-Epiſcopum noſtrum, ut inſtanter emendarentur, admo- „ nui. Sed pro magnitudine inquietudinis excedentium per- „ ſonarum, ſolum ſe non judicavit in hujuſmodi inquiſitio- „ ne ſufficere; ideoque poſtulavit a nobis, ut in eodem „ examinando negotio Fraternitatis tuæ ei adjiceretur atque „ auctoritatis auxilium. Quamquam igitur fraterna dilectio „ hoc a te & ſine noſtris ſcriptis debeat exigere, tamen „ præſentibus quoque vos ſpecialiter Epiſtolis adhortamur, „ ut adhibito vobis prædicto Fratre noſtro, cunctos Cleri-

„ cos

„ cos ceteroſque Religioſos prænominatæ Civitatis & Territorii ejus, de exceſſibus, quorum aliquid eſt ſuſpicionis, „ ad te venire compellas, atque cuncta ſecundùm Deum „ propter futuri metum judicii ſubtiliter inquirentes, ſi quem „ a Canonum Statutis receſſiſſe repereritis, Canonicâ cum „ ultione corrigite: Nec patiamini in Locis veſtris eos, qui „ non gerunt in moribus quod oſtendunt in habitu, per abrupta diutiùs evagari; quos oportet & ad rectitudinis normam Paſtorali vos circumſpectione reducere. Ita ergo „ Fraternitas tua, cunctis ſolertiùs indagatis, quæ nobis in „ talibus nunciata ſunt corrigat, ordinet, atque in futurum „ ſopire feſtinet, ut & animæ tuæ proficiat, ſi tui cauſas „ vigilanter atque vivaciter perſcrutaris officii, & noſtrum „ minimè fruſtrari permittas, quod ſemper de tuæ maturitatis habuimus diſtrictione judicium.

Adlaborare quoque debuit Antiſtes noſter, ac etiam remotum iter ſuſcipere, ut diù agitatam Cauſam Maximi, Salonitani Epiſcopi decretoriâ ſententiâ componeret, litiumque jurgia aboleret. Fatigaverat Antiſtes ille Regias Imperatoris & Optimatum aures, ac demum ad Romanam Curiam moleſtas preces ſuas detulerat. Quamobrem Sanctus Pontifex Gregorius Marinianum Epiſcopum Ravennatem delegit, ut illius Cauſæ examen judiciumque inſtitueret: Quinimo ut maturiùs omnia perficerentur, Mediolanenſem Epiſcopum Conſtantium humaniſſimè rogavit, ut ſi ipſi commodum fuiſſet, Ravennam proficiſceretur, atque ibidem aſſideret pro Tribunali; facultatem omnem ambobus Judicibus tribuens, agendi quidquid iiſdem æquius viſum fuiſſet, ac ſi Pontifex ipſe Maximus

mus judicium protuliſſet. Subjicimus eamdem Epiſtolam, ut de re hac Lector pleniùs doceatur; quæ eſt LXVII. Libr. IX. Indictione II.

„ *Gregorius Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi.*

„ Maximus, Salonitanæ Eccleſiæ prævaricator, poſtquam
„ per Poteſtates Majores Seculi obtinere nihil valuit, ad Mi-
„ nores ſeſe contulit; nobiſque tam nimietate precum, quàm
„ atteſtatione bonorum operum prævalere contendit. Ex qua
„ re inhumanum credidi, ſi is, qui ſe multùm timere me
„ dicit, in aliquo me temperatiorem minimè invenire po-
„ tuiſſet. Et ideo decrevi, ut Reverendiſſimus Frater &
„ Co-Epiſcopus noſter Marinianus ejus Cauſam debeat in Ra-
„ vennati Urbe cognoſcere. Si autem perſona ejus ſuſpecta
„ forſitan habetur, volumus, ut veſtra quoque Fraternitas,
„ ſi ei laborioſum non eſt, ad eamdem Civitatem fatigare
„ ſe debeat, & cum prædicto Fratre in eodem judicio pa-
„ riter ſedere. Quidquid autem veſtræ utrorumque Sanctitati
„ placuerit, ſcitote mihi modis omnibus placiturum, & ve-
„ ſtrum ego judicium meum deputo; & quæ utrique vos
„ relaxanda eſſe cenſetis, me relaxare certum tenete: Hoc
„ tamen ſolicitè penſantes, ne aut cum peccato remiſſi, aut
„ cum injuria Sanctæ Eccleſiæ eſſe videamur auſteri. Hujus
„ autem Cauſæ executionem Caſtorio Chartulario injunximus,
„ ut ipſe nobis debeat cuncta, quæ acta fuerint, ſubtiliter
„ renunciare.

Vacua eſt Hiſtoria Mediolanenſis, non ſine injuria tanti

An-

Antiſtitis noſtri, rebus, quas ambigi nequit ab ipſo præclariſſimè geſtas fuiſſe, teſtimonio Summi Pontificis Gregorii Magni, ùt hactenus vidimus. Inter Epiſtolas ejuſdem Gregorii ea occurrit in Libr. IX. Indictione II. ſub num. LXXXVI. ſæpe memoratæ Editionis, ex qua conjicimus, Conſtantium auctorem fuiſſe nonnullarum Sacrarum Ædium. Siquidem in ea. legimus, quæſitas Sanctorum Martyrum Reliquias, ut ſolemni ritu eædem Divino cultui dedicarentur. Romanum igitur Pontificem Gregorium per ſupplices Literas adiit, ut dignaretur mittere Sacra aliqua Lypſana Beati Pauli Apoſtoli, & Sanctorum Joannis & Pancratii; propitiumque ſibi invênit Summum illum Hierarcham, qui Eventium Diaconum, Conſtantii Legatum, Mediolanum remiſit, cum expetitis Sanctorum Reliquiis. Quæ autem forent Eccleſiæ illæ, nonniſi per conjecturam poſſumus indicare. Sanè non alia Sancto Paulo Apóſtolo dicata Eccleſia ab antiquo tempore Mediolani patet præter eam, quæ in Regione Orientali poſita, nomen accepit *Sancti Pauli in Compito*, ob compitales ludos qui ibidem exercebantur. Altera verò, quæ ſola Sanctum Pancratium Patronum habebat, illa fuit, quæ poſtmodum in magnificum Sancto Alexandro Martyri dicatum Templum evaſit. Utriuſque verò Conditorem fuiſſe Conſtantium facilè poſſumus autumare; cùm enim antiquiſſimæ ſint, & nullus hactenus in Patriæ noſtræ Hiſtoriis memoraverit, a quo extructæ fuerint, credibile admodum eſt, ab hoc noſtro Antiſtite ædificatas fuiſſe: Quamvis enim Epiſcopi Mediolanenſes adhuc eo tempore Genuæ morarentur, potuit tamen Conſtantius, ſub mitiori Agilulphi & Theodolindæ imperio,

perio , Mediolanum accedere , & ibidem moram aliquam trahere , ad Dei & Sanctorum cultum promovendum . Epiſtolam ipſam Sancti Gregorii addimus , ut quibuslibet innoteſcat , num rectè ad veritatem interpretati illam fuerimus .

„ Gregorius Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi .

„ Lator præſentium Eventius Diaconus Fraternitatis veſtræ
„ nobis inter alia intimavit ſibi a vobis injuncta , ut Reli-
„ quias Beati Pauli Apoſtoli , ſed & Beatorum Joannis &
„ Pancratii per eum ad vos dirigere deberemus ; quam peti-
„ tionem veſtram curavimus effectui mancipandam . Fraternitas
„ ergo veſtra ſolito ſtudio perſcrutari non differat , quatenus
„ in Locis , quibus recondendæ ſunt , luminaria , vel alimo-
„ nia ibidem ſervientium , ante Dedicationem Loci ipſius de-
„ beant profligari , & tunc in eiſdem Locis directa , San-
„ ctuaria ſui cum reverentia collocentur ; ne Loca Deo di-
„ cata , ſi prædicta proviſio omiſſa nunc fuerit , futuris tem-
„ poribus deſtituta , quod abſit , ſervientium reperiantur ob-
„ ſequiis .

Prætermittere minimè poſſumus duo inſignia Divinæ beneficentiæ exempla , quæ Pontificatum Conſtantii Epiſcopi noſtri plurimùm illuſtravere . Primum eſt incredibilis Reginæ Theodolindæ pietas ac religio , qua Chriſti Fidem promovere ſemper ſtuduit , & munificentiſſimè etiam Eccleſias ditavit , ſuîque hac in re immortalem Poſteris memoriam reliquit . Præcipuum tamen decus Regiæ hujus Fœminæ fuit , Agilulphum Ariana labe infectum , quem ſibi Sponſum delegerat ,

Digitized by Google

rat, ad Eccleſiæ Matris gremium adduxiſſe, atque cum illo Langobardos omnes, depulſo fœculentiſſimo eo probro, ex hoſtibus Catholicæ Religionis, ejuſdem propugnatores effeciſſe: Unica hæc autem non fuit Theodolindæ laus; Paulus enim Diaconus (a) ſingillatim beneficia recenſet; quæ in Dei Templa, in Epiſcopos, alioſque Præſules religioſiſſimo animo ac liberalitate effudit. Præclariſſimum monumentum caritatis, qua illa in Deum flagrabat, adhuc ſupereſt in Modoëtienſi Baſilica, Sancto Joanni Baptiſtæ dicatâ, quem ipſa univerſæ Langobardicæ gentis Patronum conſtituerat: Hanc enim a fundamentis excitatam non tam prædiis quàm pretioſiſſimis donariis cumulavit Anno DXCV., ùt tradit Bonincontrus Morigia, *in Modoëtienſi Chronico, edito inter Scriptores Italiæ* Tom. XII. Operi tam excelſo perficiendo manum Conſtantii Præſulis noſtri defuiſſe, dubitari vix poteſt, præſertim cùm ſolemnis Conſecrationis celebritas agenda foret menſe Octobri, Anni memorati DXCV.; præcedenti namque anno Sanctus Gregorius Magnus, datis ad Theodolindam Literis menſe Junio, Indictione XII., in ejus gratiam adduxerat Conſtantium, quem illa priùs, veluti hæreticum averſabatur, eò quòd intellexerat, miſſam ab ipſo fuiſſe Romam ſcriptam damnationem trium Capitulorum, ùt ſuperiùs innuimus. Agens de hujus Baſilicæ erectione Ughellus ait, incœptam eam fuiſſe Anno DXCIII., & biennio poſt abſolutam a Theodolinda, ut voto ſatisfaceret quo ſe obſtrinxerat Sancto Joanni Baptiſtæ, ſi maſculum ſuſcepiſſet. Labitur tamen Vir doctiſſimus, cùm Theodolinda non ediderit in lucem maſculum

(a) *Libr. IV. Langobard. Hiſtor. Cap. VI. & ſeqq.*

culum fœtum, niſi Anno DC., teſte Paulo Diacono, quemadmodum clariùs in adnotationibus ad Sigonium, qui etiam ſeriùs differt hunc natalem, nos jam diſſeruimus.

Alterum illuſtre ornamentum huic noſtro Antiſtiti acceſſit ex adventu in Italiam ac Mediolanum Sancti Columbani, miræ probatæque ſanctimoniæ Viri; eâ enim occaſione cum Agilulpho Rege egiſſe Conſtantium credendum eſt, ut benignè annueret votis Sancti Abbatis, condendi videlicet in hiſce Regionibus celeberrimum Bobienſe Cœnobium; quemadmodum conſtat ex ejuſdem Agilulphi Diplomate, expedito Anno DXCVIII., vel ſequenti, ùt in adnotationibus ad Sigonium de Regno Italiæ ad Annum DCXIV. tradidimus, duplicem Sancti Columbani adventum in Italiam referentes.

Obiit Conſtantius juxta Papebrochium Anno DC., III. Nonas Septembris, poſt annos VII., & paucos menſes Sedis; ſepultus Genuæ, in Æde Sancto Ambroſio dicatâ.

Delato Mediolanum infauſto nuncio mortis Conſtantii, Clerus Mediolanenſis conſcium fecit Summum Pontificem Gregorium concepti doloris, & amariſſimi fletus univerſæ hujus Metropolis, ob viduatam amantiſſimo Sponſo Eccleſiam. Acceptis Literis conſolatus eſt Gregorius Mediolanenſes in hac Epiſcopi ſui acerba jactura, Epiſtolam ad illos dirigens, quæ eſt IV. Libri IX.. In ea autem eumdem Conſtantium laudans hæc habet: „ Quantus nos de obitu Fratris & Co-
„ Epiſcopi noſtri Conſtantii mœror afficiat, paginali exple-
„ re locutione non poſſumus. Sed quàm multa bona partes
„ illæ in uno homine perdiderunt, utinam vicinæ repentinâ
„ calamitate non ſentiant! Nam quemadmodum ſolicitus in

„ Ec-

„ Eccleſiaſticæ regula diſciplinæ, vel quàm fuerit vigilans „ in tuitione Civitatis veſtræ, non habemus incognitum &c.

Diligentiæ hujus Sancti Pontificis Maximi debemus relictam nobis memoriam rerum egregiè geſtarum a Conſtantio in ſui regiminis decurſu, quæ procul dubio prorſus excidiſſet, niſi ſervatæ a temporum injuriis Sancti Gregorii Epiſtolæ, quæ Vitam hujus Epiſcopi nobis veluti depinxere, ad Poſteros perveniſſent. Sanè dolendum eſt, nulla alia ſeu Scriptorum, ſeu Chartarum monumenta ſupereſſe, ex quibus præclara ſuccedentium Antiſtitum Acta colligere poſſimus; ea enim, ob feritatem atque inſcitiam Italiæ ſuperfuſam regnantium Langobardorum, qui Literas averſabantur, oblivionis tenebræ penitus contexerunt.

Priuſquam calamum apponamus referendæ Succeſſoris Deusdedit Vitæ, neceſſarium exiſtimamus adnotare Epocham adventûs Monachorum in hanc Metropolim, qui, licèt ſolitariam vitam ducentes in iſta Domini Vinea excolenda linguâ manuque non adlaboraverint, aſſiduis tamen precibus quotidie Deo affundendis intenti, cæleſtis gratiæ rorem ab ipſo implorabant, ut eadem floreret, atque bonorum operum fructibus in dies magis exuberaret. Monaſteria extitiſſe Mediolani, etiam antequam Monachorum Occidentis Patriarcha Sanctus Benedictus Alumnos ſuos in univerſas Provincias diſpergeret, citra dubitationem Scriptores omnes fatentur. Si veritati conſentiret, quod Ughellus Tomo IV. in Vita Sancti Miroclis Epiſcopi noſtri aſſeruit, nempe ab ipſo conditum fuiſſe apud Sancti Victoris Eccleſiam Monaſterium, ſingularis honoris Metropoli noſtræ gloria accederet, quòd

videlicet prima in univerſo Occidente erectum in gremio ſuo Cœnobium vidiſſet, ut in Sancti Miroclis Vita adnotavimus; Sanctus namque Athanaſius, qui Monaſticam vitam ex Oriente in Occiduas Provincias induxit, longè ſeriùs ab ætate Miroclis Epiſcopi Romam ſe contulit, ideſt Anno CCCXXV. Nihilominus pro certo ſcimus, Sanctum Martinum, expulſo ab Arianis a Pictavienſi ſua Sede Sancto Hilario, hoſpitium apud nos quæſiviſſe Anno CCCLVII., atque in hac Urbe Monaſterium extruxiſſe, teſtibus Severo Sulpicio *in ejus Vita* Cap. IV., & Gregorio Turonenſi; *Hiſtoria Francorum* Libr. I. & X. Hinc verò Clariſs. Muratorius *in Antiquit. Italic. Medii Ævi*, Tom. V. Diſſertat. LXV. argumentum capit aſſerendi, *a vero eum non abludere, qui opinetur, in Italia prima Monaſticæ profeſſionis fundamenta jacta fuiſſe Mediolani, atque inde in reliquas Italiæ, immo & Occidentis Civitates eamdem fuiſſe diffuſam & propagatam*. Quæ ille proferat in ſuæ opinionis fulcimentum contra Baronium, noſtri minimè Inſtituti eſt hoc loco exponere aut expendere.

Expulſo a noſtra Metropoli, Pſeudo-Epiſcopi Mediolanenſis Auxentii Ariani vi atque inſidiis, Sancto Martino, ad Inſulam Gallinariam profugo, minimè a noſtris mœnibus eliminata eſt profeſſio Monaſtica, a tam Sancto Viro inducta; ſiquidem Sancti Ambroſii Epiſcopi noſtri ætate: *erat Monaſterium Mediolani, plenum bonis Fratribus extra Urbis mœnia, ſub Ambroſio nutritore*; teſte Sancto Auguſtino Libr. IV. Cap. VI. Confeſſionum. Cujus tamen profeſſionis eſſent memorati Fratres, aut ii, quos in ſuum Monaſterium induxit Sanctus Martinus, nemo hactenus nos docuit. Quod veri-

veriſimilius videtur, id eſt, eremiticam illos vitam amplexos eſſe ſub Regula ſeu Sancti Antonii, aut mitiori Sancti Baſilii; de Sancto Martino namque cecinit Paulinus Petricordius in ejus Vita

> .... *conſtructâ ſtatuit requieſcere cellâ*
> *Heic, ubi gaudentem nemoris vel palmitis umbris*
> *Italiam pingit pulcherrima Mediolanus.*

Itaque primi, qui ſub Regula Sancti Benedicti militabant Monachi, perpetuam in hac Metropoli ſedem fixere primumque Hoſpitium apud *Sancti Protaſii ad Quercum*, appellati poſtmodum a ſtatione illic poſitâ a Benedictinis *Sancti Protaſii ad Monachos*. Cui tamen anno affigendus ſit eorumdem adventus, neque eruditiſſimus Mabillonius *in ſuis Annalibus* indicavit: Ait ſolummodo Tom. III. ad Annum DCCCLXXXI., expirante Seculo VII. migraſſe Monachos a Sancti Protaſii Æde ad Sancti Simpliciani Eccleſiam, ibique uſque ad præſens ævum conſtitiſſe. Si in re adeò antiqua obſcuraque, nobis conjecturâ uti licet, Conſtantio Epiſcopo noſtro propitiam ſortem adſcribere nos poſſe cenſemus, quòd ipſe primus hoſce Sancti Benedicti Alumnos exceperit; cùm enim Sanctus Columbanus, Benedictini Ordinis aſſecla e Galliis Mediolanum adventaſſet, & ab Agilulpho Langobardorum Rege poſt triennii moram in hac Urbe obtinuiſſet non modò facultatem, ſed etiam ampliſſimam prædiorum dotem, ut celebre Monaſterium Bobienſe condere poſſet Anno DXCVIII., allici facilè potuere Mediolanenſes Cives, ad aliquam Mo-

nachorum Sancti Benedicti coloniam in hanc Metropolim inducendam, vel ipſi Monachi, ad exquirendum apud nos hoſpitium; Sancto præſertim Gregorio Magno (Benedictino Ordini adſcripto, ùt communiùs tradunt Scriptores) Apoſtolicam Cathedram implente, & Conſtantio ejuſdem familiariſſimo Ambroſianam Eccleſiam regente. Quidquid tamen de hac re ſit, quam nos obiter expoſuimus, exiguum illud quod ex Hiſtoriis colligi poteſt lumen, ad huic Clariſſimo Ordini in noſtris poſtmodum mœniis in plura Cœnobia diffuſo Epocham aliquam ſtatuendam, proferre non incongruum eſſe putavimus.

DEUSDEDIT.

POſt obitum Conſtantii non ſtatim regimen Eccleſiæ Mediolanenſis iniit ejuſdem Succeſſor; cùm enim Agilulphus Rex Langobardorum Arianæque Sectæ fautor acerrimus, niſus omnes intenderet, ut Arianus Epiſcopus eligeretur, Clerus verò Catholicæ Fidei adhærens, alterum e ſuo gremio ad Paſtoralem curam evehere conaretur; per integrum annum & tresdecim dies vidua hæc Sedes permanſit. Tamdem Theodolindæ Regiæ uxoris precibus (ùt opinamur) victus Agilulphus, ab intentatis minis deſtitit; & liberum Catholicis locum fecit, ut Deuſdedit, ſeu Theodatum, prout Galeſinius eum vocat, Diaconum Mediolanenſis Eccleſiæ Conſtantio ſufficerent. Monere tamen de hac re opportunum exiſtimarunt Gregorium Summum Pontificem, ſimul petentes, ut conſenſum ſuum præbere dignaretur Ordinationi. Extat Reſponſum Sancti Gregorii Libr. XI. Epiſtolarum noviſſimæ editionis, Epiſtolâ IV. Indictione IV., in qua ſe gratum habere ſcribit, quòd Deuſdedit elegiſſent, quamvis iſte ſolùm ſpecie tenus ſibi innoteſceret: Subjungit verò, ſe Pantaleonem Notarium ſuum mittere, qui eum, ut moris eſt; adnitente ſui conſensûs auctoritate faciat conſecrari.

Ughellus tradit, expulſum fuiſſe a Sede Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtitem ab Arianis electum; atque ob id a Langobardorum Regibus minaciſſima Edicta vulgata; cùmque

con-

contra has minas ſe intrepidè geſſiſſet Deuſdedit, plurimùm fuiſſe a Gregorio dilectum. Verùm de tanto apparatu barbaricæ feritatis ſilent Hiſtoriæ; multòque magis de altero facto, quod idem Ughellus ſubdit, nempe Sanctum eum Pontificem Mediolanenſi Antiſtiti, & Succeſſoribus poteſtatem feciſſe, ut Langobardis deficientibus, crearent Regem quemcumque voluiſſent, datâ etiam facultate Suffraganeis Eccleſiæ Mediolanenſis in Concilio collectis idem peragendi. Porro Baronius etiam ex Annalibus Mediolanenſibus in ſuos Libros hæc tranſtulit. Si vera eſſet Sigonii opinio, ſcilicet Agilulphum Anno DXC. Arianam hæreſim ejuraſſe, id Marito Theodolindâ ſuadente, minimè congruum videretur, tam acerbè illum in Catholicos deſæviiſſe. Nihilominus, cùm ex Notis ad ejuſdem Hiſtoriam *de Regno Italiæ* compertum ſit, uſque ad initium Seculi VII. perſtitiſſe hunc Regem, Arianæ ſectæ fautorem, credendum potiùs eſt, mitiùs ſe egiſſe, quàm ſuperiores Reges, circa eos qui Chriſti vexillo integrè militabant, præſertim adſtante ſemper lateri Theodolindâ, quæ illum ad amplectendam veram Fidem perpetuò impellebat, quemadmodum id quoque peregit Agilulphus. Ceterùm, etiam antequam ſe Catholicum profiteretur, multum utilitatis Eccleſia Dei conſecuta eſt per Reginam Theodolindam, ùt narrat Paulus Diaconus. Quod verò attinet ad auctoritatem creandi Reges Italiæ, quam ait Ughellus, fuiſſe a Gregorio Magno conceſſam Epiſcopo Deuſdedit, ejuſque Succeſſoribus, & Suffraganeorum Concilio, meliora fundamenta excelſum hoc decus meretur; nemini enim veterum Scriptorum in mentem id venit; recentiores verò nullum

pro-

proferunt antiquum documentum, quo rei hujus veritas eluceſcat. De his plura diſſeruimus *in Præfatione Concilii Ticinenſis*, impreſſi Parte II. Tom. II. *Rerum Italicar.*, atque *in Adnotationibus* ad Sigonium, *de Regno Italiæ*, ſub Annum DCI.

Dolendum eſt, nihil ſuperfuiſſe rerum præclarè ac ſanctè geſtarum ab hoc Epiſcopo noſtro Deuſdedit, præter Epiſtolam ad ipſum datam a Sancto Gregorio Pontifice Maximo, qua illi religioſiſſimæ Fœminæ Luminoſæ Cauſam commendabat, ut quàm citò expediretur. Eam ipſam hic ſubjicimus poſitam in poſtrema Editione ſub num. XXXVIII. Libr. XII. Indictione V., cùm inde diſcamus antiquam Eccleſiæ diſciplinam, adhuc Sancti Gregorii ævo vigentem, ut nempe Epiſcopi de rebus illis ſolummodo diſponere teſtamento poſſent, quæ ante Epiſcopalem conſecrationem acquiſiverant, non autem de aliis Bonis in Epiſcopatu comparatis; iſta enim ad Eccleſiam, cui præerant, pleno jure devolvebantur. De hoc fusè agit Thomaſſin. *de antiqu. & nov. Eccleſ. Diſcipl.* Part. III. Libr. II. Cap. XXXIX & ſeqq. Epiſtola autem Gregorii ita ſe habet.

„ *Gregorius Deodato Epiſcopo Mediolanenſi*.

„ Nulli dubium eſt, quia ſicut Sacerdotibus res in „ Epiſcopatu acquiſitas nulla eſt alienandi licentia, ita de „ eis, quas ante habuerint, quidquid judicare voluerint non „ vetantur. Itaque Fraternitatem veſtram, tempore quo ad „ nos fuit, queſtam eſſe recolimus, quòd quædam immo- „ bilia

„ bilia, quæ Conſtantius Deceſſor veſter Luminoſæ ancillæ
„ Dei, filiæ Fratris ſui, teſtamenti ſerie Legati titulo reli-
„ quit, jam Epiſcopus acquiſiſſet, decreviſſeque nos, ut ſi
„ hoc conſtaret, nullum ex his Eccleſia veſtra præjudicium
„ pateretur. Quod & vos oportet recolere, & moleſtiam
„ aliquam prædictæ ancillæ Dei non facere, nec ei ſine co-
„ gnitione de his quæ poſſidet quidquam auferre. Sed ſi hoc
„ Eccleſiæ veſtræ Actores probari poſſe confidunt, veſtris
„ nobis Epiſtolis indicate, ut qualiter hoc ipſum conſtare
„ debeat diſponamus; dummodo cognitâ veritate, nec Eccle-
„ ſia veſtra pati præjudicium, nec illa injuſtè videatur affli-
„ gi, quia, quantum aliqui perhibent, hoc ſupradictus De-
„ ceſſor veſter non in Epiſcopatu, ſed dum adhuc eſſet Dia-
„ conus, acquiſivit. Unde neceſſe eſt, ut ſicut diximus,
„ factâ probatione debeat conſtare quod verum eſt. Eam-
„ dem verò ancillam Dei Fraternitati veſtræ commendamus,
„ ut a nullo eam patiatur gravari vel opprimi; ne, ſi in-
„ quietata fuerit, ex hujus cauſæ occaſione hoc pati, quod
„ non decet, exiſtimetur. Et ideo ſi quid fortè fuerit quod
„ debeat emendari, aut plano adhortationis veſtræ modera-
„ mine corrigatur, aut certè nobis ſubtiliter nuncietur, qua-
„ tenus & vos ab invidia ſitis extranei, & nos, quod con-
„ venit, facere nullatenus omittamus.

Gloriæ non modicæ hujus noſtri Antiſtitis adſcribere poſ-
ſumus, deterſam ſub ipſo fuiſſe labem hæreſis, qua Agi-
lulphus Rex inficiebatur; iſto enim ad Catholicam Fidem
reducto, Epiſcopi omnes, quos depreſſerat Arianorum per-
fidia, priſtinæ Dignitati reſtituti ſunt, teſte Paulo Diacono,
& Ec-

& Eccleſiarum Bona a tyrannica ſuperiorum Regum invaſione fuere ſubtracta.

Obiit Deuſdedit Anno DCXXIX., III. Calendas Novembris, poſt XXVIII. regiminis annos; ſepultus Genuæ apud Sanctum Syrum. Ughellus tradit, eumdem anno præcedente, paulò poſt Theodolindæ exceſſum e vivis, mortuum eſſe. Sed incertum prorſus eſt, quo anno iſta deceſſerit, cùm poſt Adaloaldi filii ejectionem nulla ejuſdem mentio in Hiſtoriis fiat, quemadmodum Baronius animadvertit.

ASTERIUS.

IN locum defuncti Antiſtitis noſtri Deuſdedit aſſumptus eſt Aſterius, Romanus Civis, Anno DCXXX., V. Calendas Februarii, poſt tres menſes vacantis Sedis. Errant Ughellus & Sigonius, qui eum Anno DCXXVIII. electum referunt, nam Catalogi noſtri ſupradictum annum clarè deſignant.

Rerum ab hoc Epiſcopo geſtarum memoriam vetuſtas obliteravit. Bennum quemdam conſecratum fuiſſe in Epiſcopum ab Aſterio, cùm de Italia proficiſceretur in Angliam Summi Pontificis Legatus, refert Ughellus, minimè adnotans annum, neque nomen Pontificis. Labitur tamen in nomine, dum eum vocat *Bennum*; Beda enim, qui hoc refert *in Eccleſiaſtica Anglorum Hiſtoria*, illum appellat *Byritum*, Baronius autem *Byrinum*, quamvis deinde uterque perperam aſſerat, Aſterium fuiſſe Epiſcopum Genuenſem. Fortaſſis id accidit, ex eo quòd Præſul noſter ſemper Genuæ uſque ad obitum manſit. De hoc Sancto Byrino, qui in Anglia floruit illuc miſſus ab Honorio I. Summo Pontifice, mentionem fecerunt Spondanus *in Annalib. Baronii*, ad Annum DCXXXV., & Baronius *in Martyrologio*, ad diem III. Decembris.

Fallitur etiam Sigonius, qui Aſterii obitum uſque ad Annum DCLVI. producit, ſexdecim nempe annis poſt verum defuncti hujus Antiſtitis tempus. Siquidem poſt annos

X.,

Digitized by Google

X., & aliquot menſes regiminis ſpiritum Deo reddidit Aſterius, ideſt Anno DCXL., IV. Nonas Julii, quemadmodum Catalogi antiqui teſtantur. Genuæ, ubi moram ſemper traxit, ſepulcro datus fuit, in Eccleſia Sancti Syri.

FORTIS.

ASterio ſuffectus fuit Fortis, ſeu Fortius Anno DCXLI.. Triennii tantùm ſpatio Eccleſiæ Mediolanenſi præfuit, mortuus Anno DCXLIV., quin ullum de illius Actis ad nos pervenerit monumentum. Quæ Ughellus ſubjungit de Chronico Luitprandi, in quo Fortis dicitur floruiſſe Anno DCLV., optimè ab eodem referuntur, cùm revera deceſſerit ante annum DCXLIX., ſyquo Sanctum Joannem illius Succeſſorem interfuiſſe ſcribit Synodo Romanæ, a Martino I. Summo Pontifice celebratæ.

Ubinam ſepulcrum Fortis receperit, etiam Catalogus noſter minimè tradit: Credibile tamen eſt, Genuæ ſepultum fuiſſe, ubi vitam duxit tempore ſui Epiſcopatûs.

SAN-

Digitized by Google

SANCTUS JOANNES.

MEdiolanenſem vacuam Sedem implevit poſt Fortem Joannes Camillus, natione Ligur, ob vitæ ſanctimoniam *Bonus* appellatus, Anno DCXLV.. Circa quatuor ante annos delectum eum fuiſſe ad Eccleſiæ noſtræ regimen tradit Ughellus, emendare contendens Ferrarium, qui Annum DCL. huic Electioni deſignat, & Sigonium, qui eam ulteriùs etiam protrahit uſque ad Annum DCLIX Emendari tamen & ipſe Ughellus poteſt ex antiquis Catalogis noſtris, a Mabillonio, & Muratorio in lucem productis, qui prædictum annum, a nobis ſuperiùs ſtatutum concordes adnotant.

Inter alia præclara munera a Joanne Bono geſta Ripamontius, & ex eo Ughellus ac Bollandus *in Actis Sanctorum*, ad diem X. Januarii, illud referunt, fuiſſe Joannem miſſum a Sancto Gregorio Magno, Summo Pontifice Legatum ad Theodolindam Reginam. Difficulter tamen huic aſſertioni fidem adhibebimus, ſi tempora computemus: Cùm enim Vir firmæ ætatis eſſe debuiſſet, ut ad Principem illam Fœminam mitteretur, Sanctus autem Gregorius jam obiiſſet Anno DCIV.; provectus jam ſenex fuiſſet, ac pene octuagenarius extitiſſet, tunc quando Eccleſiæ noſtræ datus eſt Paſtor; quod inveriſimile prorſus videtur. Accedit, Paulum Diaconum de hac Legatione in ſua Langobardorum Hiſtoria nihil memoraſſe.

Pri-

Primus fuit qui intrepido animo, firmâque in Deum ſpe conceptâ, Mediolanenſi viduæ Eccleſiæ præſentiam Sponſi ſui redonavit, poſt diuturnum LXXVII. annorum exilium, a Prædeceſſoribus ſuis toleratum in Urbe Januenſi. Nec in vanum cecidit ejuſdem conſilium, ſeſe barbaro Langobardorum imperio iterum ſubjiciendi. Siquidem Mediolano reſtitutus peſtem omnem Arianæ hæreſis ab Urbe amovit, & ipſum etiam Regem Grimoaldum ad meliorem frugem redegit, pravo dogmate, quo imbuebatur, damnato. Qua in re non modicam operam præſtitit alter Joannes Bergomenſis Epiſcopus, qui præclaræ ſanctimoniæ laude per idem tempus florebat, legiturque apud Bollandum, Sigonium, alioſque ejus Vitæ Scriptores, Abduam flumen ſicco pede trajeciſſe, cùm Mediolano Bergomum reverteretur.

Refert Ughellus, Epiſcopum hunc noſtrum interfuiſſe Concilio Lateranenſi, Romæ celebrato a Martino I. Pontifice Maximo, Anno DCXLIX. Omnino tamen citra verum; Baronius enim in Annalibus ad hunc annum ait, Mediolanenſem Epiſcopum Romam minimè contendiſſe, abſentiæ cauſam in Rotharim convertens, qui Italiam omnem infeſto exercitu vexabat. Pagius non refragatur, ſed tantùm refellir Baronii opinionem, aſſerens, Rotharim Langobardorum Regem triennio jam mortuum ante abſolutam hanc Synodum. Attamen eruditiſſimus Vir iſte èt ipſe lapſus eſt ob male initum calculum annorum hujus Regis; ſiquidem eum defunctum air Anno DCXLVI., cùm juxta Chronologiam in Adnotationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ* a nobis contextam Rotharis ſuperfuerit uſque ad Annum DCLII.. Ma-

nus

nus nihilominus Pagio damus in eo quòd cenſuram claudit his verbis : *quænam fuerit hujus abſentiæ cauſa*, *ignoratur* .

In Oppido Decii, ab hac Metropoli decem mille paſſibus diſſito egregium religioſiſſimæ erga Deum pietatis monumentum reliquit Joannes, cùm Sacram Ædem Sancto Materno olim Epiſcopo noſtro, dicatam ære proprio conſtruxerit. Addunt Ughellus, aliique Mediolanenſium rerum Scriptores, erectum ab ipſo fuiſſe Collegium Canonicorum, qui eidem Eccleſiæ quotidie inſervirent, datis ad vitæ ſuſtentationem prædiis, ac legibus ſtatutis, ut Divinum penſum perſolverent. Porro ſi de Sacerdotibus quibuſdam ad hoc opus peragendum delectis intelligenda ſit nova hæc inſtitutio, aſſentiri nos poſſe cenſemus. Non ita, ſi de veris *Canonicis* ſermo eſſe debeat; vox enim iſta, teſte Carolo a Baſilica Petri Libr. II. *Novariæ Sacræ*, *in Vita Sancti Agabii*, minimè congruit illis temporibus: In Metropoli autem Mediolanenſi, ac in Diœceſi audiri tantùm cœpit circa decimum Seculum; cùm antea Eccleſiis noſtris Decumani, Presbyteri Officiales, aliique in Vicis & Oppidis, abſque hoc *Canonicorum* Titulo, rebus Divinis perficiendis, præeſſent. Sed iſta prolixiùs in Commentariis ad Ritum Ambroſianum explicabuntur.

Clarus, virtutum omnium exemplis in hac Urbe relictis, obiit Sanctus hic Præſul IV. Nonas Januarii, Anno DCLV., poſt decem annos Sedis juxta antiquos Catalogos. In hac Epocha ſtatuenda tum obitûs, tum peracti regiminis varia eſt Auctorum ſententia. Alii enim XXIX. annos Epiſcopalis Sedis Sancto Joanni tribuunt, alii XX., alii X., ùt refert Ughellus, qui mortem ejuſdem Anno DCLXIX. figens,

figens, primam opinionem ſequitur. Nos ad hanc ſeriem Epiſcoporum Mediolanenſium contexendam, Catalogis auctoritate atque ætate venerabilibus uti jam profeſſi ſumus.

Tumulum habuit in Eccleſia Sancti Michaëlis, quæ Templo Maximo olim adjacebat; ibique perſtitit uſque ad Heriberti Mediolanenſis Archiepiſcopi ætatem, a quo repertum ejus Corpus, in eadem Eccleſia, ſolemni pompâ repoſitum fuit. Cùm autem diruta fuiſſet Sacra illa Ædes, ut immanis Baſilica Metropolitana magnificentiùs extrueretur, Sanctus Carolus Borromeus alteram Translationem adornavit & ductâ per hujus Metropolis compita omnium Ordinum Supplicatione, die XXIV. Maji, Anni MDLXXXII., Sacra Sancti Joannis Oſſa in Sacello eidem dicato collocavit, quod recentiſſimè in Majori Baſilica, magnâ æris impenſâ abſolutum fuit.

In obſequium Sancti hujus Antiſtitis Reſpublica Januenſis delectos Nobiles Viros ad Collegium Canonicorum Metropolitani Templi direxit, qui dono offerrent Lampadem argenteam ponderis unciarum DXLIV., appendendam ante memoratum Sacellum. Extat publicum Documentum hujus Donationis in Archivo Archiepiſcopali, inter Miſcellanea Joannis Baptiſtæ Cornei, confectum Anno MDCXLI., Indictione IX., die Martis XI menſis Februarii.

Feſtum Sancti Joannis agitur in Eccleſia Ambroſiana Idibus Februarii; quamvis enim ejuſdem obitus inciderit in IV. Nonas Januarii, quia tamen ea dies dicata fuerat Sancto Martiniano Epiſcopo noſtro, producta ſunt ad memoratum diem Solemnia omnia, in Sancti hujus Epiſcopi cultum peragenda.

SAN-

SANCTUS ANTONINUS.

SAnctus Antoninus, quem Sigonius, & antiqui etiam Catalogi *Antonium* vocant, aſſumptus eſt ad Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtrandam Anno DCLV.; in quo emendandus eſt Ughellus, qui ab Antonino initam fuiſſe hanc Sedem ſcripſit Anno DCLXX.

Qua morum integritate præluxerit, ſatis docet Titulus *Sancti*, eidem præpropere adſcriptus. Certè Galeſinius de eo tradit in Tabula ſæpiùs memorata, fervido illius erga Deum & animas amore, abolita fuiſſe peſſima exempla, in hac Urbe a Barbaris relicta, tempore quo Mediolano incubabant.

Biennii tantùm ſpatio Eccleſiæ noſtræ præfuit, e vivis ereptus Anno DCLVII., Pridie Calendas Novembris.

Sepultus eſt in Eccleſia Sancti Simpliciani; ejuſque Feſtus dies a nobis celebratur III. Calendas Novembris, ut Sanctorum omnium Vigiliis, quæ Ambroſiano ritu ſolemnes ſunt, locus detur.

Ughellus ſcripſit, Sacra Oſſa hujus Sancti Epiſcopi translata fuiſſe a Sancto Carolo Borromeo in Metropolitanum Templum: Ex quo tamen Auctore rem hanc deſumpſerit, non ita facile poſſumus divinare. Equidem notum eſt omnibus, Borromeum Præſulem ſolemni apparatu, quem fuſè deſcribit Carolus a Baſilica Petri, & ex eo Gluſſianus, plura tran-

Digitized by Google

tranſtuliſſe Sanctorum Corpora, in Baſilica Sancti Simpliciani jacentia, inter quæ numerabantur illa Sanctorum Simpliciani, Antonini, Geruntii, & Ampellii Antiſtitum Mediolanenſium. Verùm omnia hæc ſacra Lypſana, Supplicatione abſolutâ, iterum in eodem Templo repoſuit. Quo autem alio tempore Translationem Sancti Antonini peregerit, neque Ughellus adnotat, neque memorant Scriptores noſtri. Et ſanè in Elencho recenter edito Sanctorum Corporum & Reliquiarum, quæ coluntur in Templo Maximo, minimè legitur Corpus Sancti Antonini Mediolanenſis Epiſcopi: Mirum autem eſſet, ſi nondum duobus Seculis expletis a Translatione, quam ſomniavit Ughellus, pretioſi hujus pignoris memoria prorſus evanuiſſet.

SAN-

Digitized by Google

SANCTUS MAURICILLUS.

Poſt Sanctum Antoninum præfedit Eccleſiæ Mediolanenſi Sanctus Mauricillus Anno DCLVII. Eximiæ illius virtutes & vigilantia Paſtoralis officii omnino hactenus in tenebris latuere. Ughellus tradit, tribus tantùm menſibus ejuſdem regimen perduraſſe; ex noſtris tamen Catalogis ad quatuor protenditur.

Incertum remanet, quo anno deſierit, adeòque ingens hiaret lacuna uſque ad Ampellium Succeſſorem, ſi tam citò figeretur erepta hujus Antiſtitis vita. Papebrochius, qui hoc optimè animadvertit, opinatur, excidiſſe e calamo tranſcribentium veteres Catalogos, numerum Romanum *X.*, quo poſito nullum opus eſſet ſpatium Sedis vacantis aſſignare, antequam Ampellius illam impleret. In re dubia & caligine involuta nihil aſſerere audemus abſque Scriptoribus & documentis. Veriſimilius tamen videtur quod adnotavit Papebrochius; præſertim cùm nobis minimè occurrat in Hiſtoriis cauſa tamdiu dilatæ Electionis novi Antiſtitis Mediolanenſis.

Id certò ſcimus, Mauricillum deceſſiſſe pridie Calendas Aprilis, & ſepultum fuiſſe in Eccleſia Sancti Satyri. Siquidem cùm Anſpertus Mediolanenſis Archiepiſcopus ſub finem Seculi IX. novum Sancto Satyro Templum conſtrueret, atque inventum Corpus Sancti Mauricilli auguſtiore loco reponere vellet, peractâ Translatione, illud inter Sacra Lypſana ejuſdem Eccleſiæ collocavit; quemadmodum Papebrochius tradit

in ſua *Exegeſi*, & ante ipſum Triſtanus Calchus *in Hiſtor. Patriæ* Libr. V.

Eccleſia Ambroſiana nullum de Sancto Mauricillo Feſtum aut Officium celebrat, quamvis in Miſſali impreſſo Mediolani Anno MDLX. ejuſdem nomen inter Sanctos, de quibus agitur memoria, recenſeatur in Calendario præfixo, ad diem XXXI. Martii. Peculiaris tamen cultus huic Sancto Antiſtiti perhibetur in memorata Eccleſia Sancti Satyri, ubi adhuc perennat; ejuſque Vitam deſcripſit Bollandus *in Actis Sanctorum*, Tom. III. Martii, ad diem ſupradictum.

SANCTUS AMPELLIUS.

Sedem Mediolanenſem iniit Sanctus Ampellius poſt ſuum Deceſſorem Mauricillum Anno DCLXVIII., non autem Anno DCLXXIII., ut adnotat Ughellus. Explicandis hujus Sancti Antiſtitis rebus præclariſſimè geſtis, monumentorum penuriâ laboramus. Bollandiſtæ ad diem VIII. Julii, ut aliquam Epiſcopi noſtri Vitæ laudem deſcribant, Lectionem Breviarii Ambroſiani, in ejuſdem Feſto recitari ſolitam in medium afferunt in hæc verba: *Ampellius præter ſingulares, eximiaſque virtutes claruit etiam magnis crebriſque miraculis tum in vita, tum poſtquam in Cœlum migravit. Ideo ad ſepulcrum ejus aſſidui concurſus fiebant ob vim ſalutiferam, quæ inde manabat.*

Fallitur Galeſinius, qui inunctum Epiſcopali Ordinatione Ampellium ſcripſit ſub Dono, ſeu Domno, cùm iſte nonniſi Anno DCLXXVI. creatus fuerit Pontifex Maximus; & mortuum ſub Agathone refert, qui ſeriùs Pontificiam Sedem obtinuit, ideſt Anno DCLXXVIII.

Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtravit per annos quinque incompletos, ideſt ab Anno DCLXVIII., ad DCLXXII., ſi Papebrochio credimus, qui Ampellium hoc anno ſublatum e vivis tradit VIII. Idus Julias. Verùm Boſca in Martyrologio Ambroſiano, Sanctum hunc Antiſtitem vivere deſiiſſe ait VI. Idus Februarii, quamvis Eccleſia noſtra illum

colat

colat ad VIII. Idus Julii; rationem aſſerens hujus dilati cultûs, nempe quia die memorato Februarii, alterius antiquioris Epiſcopi noſtri, Sancti Honorati memoria celebrabatur.

Fuiſſe Sanctum Ampellium Beatis connumeratum a Joanne V. Pontifice Maximo, Ughellus & Boſca tradiderunt. Sed, quemadmodum adnotat Papebrochius, haud facile probaturi erunt, tunc in uſu receptum, ut hujuſmodi Cauſæ ad Romanum Pontificem deferrentur.

Sepulcro conditus fuit in Baſilica Sancti Simpliciani; ejuſque Corpus unà cum aliis translatum eſt ſolemni pompâ a Sancto Carolo Borromeo, ùt ſuperiùs diximus, Anno MDLXXXII., ac deinde ſub Ara Maxima ejuſdem Baſilicæ collocatum.

SAN-

SANCTUS MANSUETUS.

POſt Sanctum Ampellium, Paſtorem habuit Eccleſia Mediolanenſis Sanctum Manſuetum Anno DCLXXII.

Plurimùm errat Galeſinius in Tabula Epiſcoporum Mediolanenſium, dum ait, hunc noſtrum Præſulem conſecratum fuiſſe ſub Agathone, cùm hic Summus Pontifex nonniſi ſexennio poſt, ideſt Anno DCLXXVIII. Cathedram Sancti Petri conſcenderit, ut ſuperiùs innuimus. Neque minus felix eſt in altera Manſueto laude tribuenda, quòd videlicet Synodo Conſtantinopolitanæ OEcumenicæ VI. præclarâ eruditionis famâ interfuerit, cùm hujus Synodi Acta nullam referant Manſueti ſubſcriptionem, nec ab ullo erudito Scriptore hoc iter memoretur. Id quidem verum eſt, ſcriptam ab ipſo fuiſſe Epiſtolam ad Conſtantinum IV. Imperatorem Conſtantinopolis, quam Baronius dicit, *fuiſſe dignam tanto Viro, tantæque Sedis Epiſcopo*, ut Monothelitarum errores refelleret damnaretque. De hac Synodica Epiſtola agens Paulus Diaconus, a quo Sigonius & alii decepti fuere, tradidit fuiſſe confectam a Sancto Damiano Ticinenſi Epiſcopo, nomine Sancti Manſueti; Is autem tantùm Presbyter erat Anno DCLXXIX., quo conſcripta fuit Epiſtola prædicta, adhuc in vivis agente Anaſtaſio illius Eccleſiæ Præſule, qui etiam ſubſcripſit Synodo Lateranenſi, quam paulo poſt memorabimus; & Damianum in eadem Sede præceſſit,

Quan-

Quandoquidem verò ea tempeſtate Summus Pontifex Agatho ardenti deſiderio flagrans tutandæ contra Monothelitas Catholicæ Fidei, ſcripſit ad Epiſcopos Italiæ, ut Comprovincialium Antiſtitum Concilium colligerent, ſententiamque ſuam in tanti momenti re proferrent, Sanctus Manſuetus Suffraganeos ſuos convocavit Mediolani Anno DCLXXVIII., vel ſub initium ſequentis; & Synodo abſolutâ Romam profectus eſt ad Concilium, quod Pontifex Maximus Anno DCLXXIX. celebrabat, ad abolendam eorum ſectam, qui unicam tantùm in Chriſto fuiſſe voluntatem effutiebant, illique ſubſcripſit.

Vir fuit Manſuetus omni virtutum genere exornatus, atque ab univerſis Dynaſtis, Italiæ præſertim, ſummo in honore habitus, utpote *Antiſtes ſpectatæ ſanctitatis*, quemadmodum eum appellat Baronius *in Annalibus*, ad Annum DCLXXX.

Adminiſtratâ novennii ſpatio Mediolanenſi Eccleſiâ, obiit inter funera Civium ſuorum, debaccante per Urbes Italiæ teterrimâ lue Anno DCLXXXI., XI. Calendas Martii; ſepultuſque eſt in Baſilica Ambroſiana. Verùm inde fuiſſe ad Templum Protomartyris Stephani delatum, Scriptores noſtri affirmant. An autem Oſſa omnia hujus Sancti Præſulis jaceant in eadem Baſilica Sancti Stephani, an aliquæ tantùm partes, Petrus Paulus Boſca *in Martyrologio Ambroſiano* abſtinet a ſua proferenda ſententia. Certè Cardinalis Federicus Borromeus, qui poſt Concilium VII. Mediolanenſe ab ipſo celebratum Anno MDCIX. Translationem plurium Sanctorum, qui in Templo memorato quieſcebant, peregit, etiam Reli-

quias

quias Sanċti Manſueti in publicum protulit, ac per Urbem circumduxit.

Eccleſia Ambroſiana minimè celebrat hujus Sanċti Præſulis Feſtum eo die, qui fuit ipſi Natalis, ſed differt ad IV. Nonas Septembris Sacra, & Officia, eò quòd Quadrageſimæ tempus aliquando plurimam Februarii partem occupet; prohibente Ritu noſtro, ne ulla de Sanċtis Feſtivitas illâ decurrente peragatur.

Digitized by Google

SANCTUS BENEDICTUS.

SUbſtitutus eſt Sancto Manſueto Anno DCLXXXI. Sanctus Benedictus, quem Scriptores noſtri Mediolanenſem eſſe teſtantur, quamvis Toppius *in Bibliothec. Neapolit.* eum aſſerat ortum habuiſſe Amiterni. Condonari hìc nequit Galeſinio anachroniſmus palmaris, cùm in Tabula ſæpe memorata ſcribat, Benedictum inauguratum fuiſſe Epiſcopum in noſtra Urbe ſub Joanne VI. Romano Pontifice; viginti namque anni interceſſere inter electionem prædictam, & Joannem VI., in Summum Pontificem electum Anno DCCII., quemadmodum Pagius, aliique Chronologi Sacri nos docent.

Floruit Benedictus tantâ ſanctimoniæ doctrinæque laude apud omnes, ut Paulus Diaconus *in Hiſtoria Langobardici Regni* Libr. VI. Cap. X. illum hoc Elogio donaverit, fuiſſe videlicet *Verum egregiæ Sanctitatis, de quo per univerſam Italiam bonæ opinionis fama flagravit*. Idem Paulus Diaconus narrat, exortam fuiſſe controverſiam inter hunc Benedictum Mediolani Epiſcopum, & Ticinenſem Antiſtitem, eò quòd poſtremus iſte Conſecrationem a Summo Pontifice peteret, Mediolanenſis verò acriter contrairet, arbitratus jus ſuum infringi, cùm de more Suffraganei Præſules a Metropolitano conſecrandi eſſent. Deducta ad Romanam Curiam eſt Cauſa, victuſque receſſit Benedictus, eò quia *a priſcis temporibus* conſuetum fuit, ut nonniſi a Summo Pontifice Pa-

Digitized by Google

Papienſis Epiſcopus ſacro Chriſmate inungeretur. Malè hunc Pauli textum intellexit Sigonius, adeòque ſcriptum reliquit, causâ cecidiſſe Sanctum Benedictum, ob intentatam litem, *adverſantibus omnibus vetuſtatis exemplis*. Id autem injurium eſſet tanto Antiſtiti, acſi temerè aliena jura invadere voluiſſet, novamque ſibi auctoritatem arrogare, cujus nullum in Prædeceſſoribus ſuis extitiſſet exemplum. Paulus certè ait *a priſcis temporibus*; cùm enim Mediolanenſes Epiſcopi per LXXVII. annos veluti exules ab hac Metropoli ob baccantem in Inſubrico ſolo Arianam Langobardicam feritatem demorati Genuæ fuiſſent, jam veluti invaluerat quædam præſcriptio, cui innitebatur Pauli Diaconi fides. Ceterùm plura ſuperioribus Seculis data exempla hnjus Conſecrationis a Mediolanenſi Antiſtite peractæ ſingillatim referunt Clariſs. Muratorius *in Append. ad Tom. I. Anecdot.*, & Pater Euſtachius a Sancto Ubaldo, in Libro *de Metropoli Mediolanenſi*. Ob hanc litem, qua din noſter Antiſtes fuerat vexatus, coli dicitur a Benedicto Lentino *in ejus Vita* typis Neapoli datâ, tamquam præcipuus Protector & Advocatus eorum, qui forenſibus litibus, aliiſqne anguſtiis quomodolibet exagitantur.

Romam conceſſerat Anno DCLXXXIX. Cedualla, ſeu Cedualdus (ùt eum vocat Beda Libr. V. Cap. VII.) Rex Anglo-Saxonum, ut Baptiſmalibus undis ablueretur. Excepit illum benigniſſimè Sergius Pontifex Maximus, & ſalutari Fonte expiavit Pridie Paſchatis; verùm ad Cæleſte Regnnm conſcendit nondum Albis exutus. Quamobrem, teſte Baronio *in ſuis Annalibus*, juſſus eſt ab eodem Sergio Benedi-

ctus Epiſcopus noſter tam felici Regi Epitaphium condere, quod etiam ipſe perfecit prolixo Epigrammate, cujus nos initium damus, & reliquum legitur apud memoratum Baronium.

Culmen, opes, ſobolem, pollentia Regna, triumphos,
Exuvias, Proceres, mœnia, caſtra, lares,
Quæque Patrum virtus; & quæ congeſſerat ipſe
Cedual armipotens liquit amore Dei.
Ut Petrum Sedemque Petri Rex cerneret hoſpes,
Cujus fonte meras ſumeret almus aquas &c.

Unicum religioſiſſimæ erga Deum pietatis veſtigium ab hoc Antiſtite Mediolani relictum, nobis compertum fecit antiquitas, nempe Cœnobium ab ipſo conditum in Porta, quæ appellatur *Nova*. Attamen temporum malignitate adeò tenuis ſupereſt hujuſmet rei memoria, ut an Virorum, an Mulierum clauſtrum foret, quove loco exurgeret, prorſus ignoretur. Puricellus, diligentiſſimus rerum antiquarum indagator, cenſet *in Diſſertatione Nazarian.* Cap. LXXII. num. XI., extitiſſe Monaſterium iſtud, ubi nunc in eadem Urbis Porta jacet Monaſterium Virginum ſimul, & Conjugum, quæ malè habentur a Maritis, ut pudori conſulant, donec jurgia & lites componantur, atque ob id *Succurſus* nuncupatum. Olim in eas Ædes ſucceſſerant animarum Curatores per tempora; ſed Sanctus Carolus Borromeus parvum illum gregem Ovium ſuarum proximo Parocho cuſtodiendum committens, mox memoratum Monaſterium erexit, quemadmodum

dum fusè narrant Carolus a Baſilica Petri, & Gluſſianus *in Vita* ejuſdem, ad Annum MDLXVIII.

Quinto Idus Martii quievit in Domino Sanctus Benedictus, Anno DCCXXV., poſtquam huic Eccleſiæ adminiſtrandæ omnium virtutum exemplis per XLIV. annos inſudaſſet. Diſſidet Ughellus in deſignando mortis anno Sancti hujus Epiſcopi, aſſerens, eum in vivis egiſſe uſque ad Annum DCCXXXV. Diſſident etiam Galeſinius & Boſca circa tempus regiminis, quod Ughellus ſtatuit XLIII. annis, cùm alii uſque ad XLVII. annum protendant. Papebrochius *in Exegeſi* jam dicta evincit, nec annum mortis ultra illum ſuperiùs a nobis relatum, nec ſpatium regiminis ultra quadrageſimum quartum annum produci, aut poſſe reſtringi.

Sepultus eſt in Baſilica Sancti Ambroſii, ùt tradunt antiqui Catalogi; ejuſque Feſtum celebratur in noſtra Eccleſia VIII. Idus Septembris, cùm ejuſdem Sancti natalis dies incidat in Quadrageſimam.

THEO-

Digitized by Google

THEODORUS II.

COmmunibus ſuffragiis electus in Epiſcopum Mediolanenſem Theodorus II., Sancto Benedicto ſucceſſit Anno DCCXXV. ſub Gregorio II. Pontifice Maximo, non autem ſub Gregorio III., ùt tradunt Galeſinius & Ughellus, ſexennio enim poſt Apoſtolicam Sedem iſte obtinuit.

Ughellus in laudem hujus Epiſcopi ſcribit, eum Ritus Ambroſianos, qui aliquantiſper degeneraverant, ad priſtinam obſervantiam inſtauraſſe: Equidem conjectari facilè poteſt, in tanta Barbarorum colluvie aliquid in noſtra Metropoli decidiſſe antiquæ diligentiæ in peragendis Sacris ac Divinis Officiis. Sed cùm nullum documentum rei hujus afferat, opinando tantùm iſta retuliſſe arbitramur. Ceterùm laus, quæ Theodoro adſcribitur in Catalogis noſtris, ea eſt, fuiſſe illum interpretatum Ambroſianos Ritus. Et revera adhuc ſupereſt pars aliqua iſtius egregii laboris, adnexa Breviario, edito Mediolani in pergamena Anno MCDXC., & inſcripta *Speculum Matutinalis Officii*. Refragari videtur Puricellus *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. XXXIX., eò quòd hoc Opuſculum perlegens, reperit nomen Amalarii, qui nonniſi Anno DCCCXXX. Libros *de Divinis Officiis* conſcripſit; quocirca inquit, Theodorum noſtrum minimè fuiſſe Auctorem Speculi Matutinalis, adeòque quærendum eſſe alium Theodorum, aut Anonymum, qui illud confecerit. Nos tamen in

eam

Digitized by Google

eam partem propenſi ſumus, ut credamus, opus non eſſe comminiſci alterum poſteriorem Theodorum, vel alium quempiam, cui adſcribendus ſit prædictus Libellus. Rationes, quæ nobis præſto ſunt, breviter colligemus, cùm jam editæ ſint in Hiſtoria Literario-Typopraphica Mediolanenſi, Anno MDCCXLV. vulgatâ, nempe conſenſus veterum Scriptorum, qui Catalogos Mediolanenſium Antiſtitum contexuerunt, & auctoritas Sancti Caroli Borromei, qui in Præfatione Breviarii Ambroſiani ab ipſo editi hæc habet: *Theodorus imprimis Archiepiſcopus Prædeceſſor noſter, ejuſdem Ambroſiani Divini Officii nocturni matutinique partes pie & erudite explicavit luculentâ myſteriorum interpretatione*. Ad illud verò, quod de Amalario protulit Puricellus, & a quo ſe actum dicit ad negandam huic famæ fidem, non multùm ancipites hæremus; nomen ſiquidem Amalarii adjici potuit Theodori lucubrationi in margine ab aliquo ſubſequentis ævi Scriptore, itaut Amanuenſis imperitus illud poſtmodum invexerit in textum; quemadmodum Mabillonius, aliique eruditi in præſentiarum Viri experientiâ didicere in MS.tis revolvendis: eòque firmiùs in hac Traditione ſtamus, cùm etiam Puricellus aliquid de eadem re ſuſpicatus fuerit, dum ſub initium ait: *Si tamen ipſius revera ſunt, & non ab alio deinde ſuperaddita quæ mihi negotium faceſſunt*. Non ignoramus Clariſs. Ludovicum Antonium Muratorium *in Diſſertat. LVII.* Tom. IV. *Antiquit. Ital. Med. Ævi pag.* 860. quaſi per contemptum memoraſſe Speculum hoc Matutinale Theodori II., dum inquit, falsò præpoſitum illi fuiſſe nomen hujus Antiſtitis, nihilque continere, quod lucem mereatur. Attamen

quo

quo ad ſuppoſititiam mercem, quam adeò apertè huic Opuſculo appingit, reponimus ea quæ jam ſuperiùs diximus contra Puricellum; ad id verò, quod ſpectat ad Operis ipſius momentum, Lectorem rogamus, ut verba Muratorii cum verbis Sancti Caroli conferat, quæ proximè retulimus; iſte enim ad univerſum Clerum Mediolanenſem ſcribens, multò æquius judicium evulgavit.

In eodem Ughello legimus, exceptum fuiſſe a Theodoro II. Sanctum Bonifacium e Germania redeuntem. Sanè Vir iſte Apoſtolicus ter in Italiam iter direxit: In tertio autem adventu, ùt Vitæ ejuſdem apud Bollandum *in Actis Sanctorum*, ad diem V. Junii teſtantur, ad Ticinenſem Urbem delatus fuit, Liutprandum ſalutaturus; & valde veriſimile eſt, progreſſum inde fuiſſe uſque ad hanc Metropolim. Ceterùm nulla ibidem eſt mentio Mediolani. Ripamontius hanc moram in Urbe noſtra ductam a Sancto Bonifacio rhetoricâ narratione deſcribit.

Adjicit Ughellus, Theodoro contigiſſe, lacrymis proſequi funus Liutprandi Langobardorum Regis, in Mediolanenſem Eccleſiam beneficentiſſimi. Attamen hoc veritati repugnat, cùm Liutprandus ſupervixerit poſt obitum hujus Antiſtitis per quadriennium; quemadmodum in noſtris Adnotationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ* comprobavimus. Id autem *in Exegeſi* ad hunc Epiſcopum animadverterat etiam Papebrochius.

Per annos XIV rexit Eccleſiam Mediolanenſem Theodorus, defunctus Anno DCCXXXIX. Tumulum autem elegit ipſe in Eccleſia adjecta Monaſterio, à Sorore ſua Aurona

con-

condito, quod appellabatur *Auronæ*. Hinc patet, quantum hallucinatus ſit Papebrochius, qui loco *Auronæ* intellexit *Aronæ*, Oppidi ad ripas Verbani Lacûs poſiti. Nunc *Auronæ* Cœnobium prorſus exciſum eſt Mediolani, ſubſtitutis aliis Monialibus Auguſtinianis in novo Ædificio, quod *Sancti Auguſtini in Porta Nova* nomine inſignitur.

Digitized by Google

SANCTUS NATALIS.

Vidua Mediolanenſis Eccleſia ob Theodori mortem, communi conſenſione recepit novum Sponſum Sanctum Natalem, Anno DCCXL. menſe Martio; non tamen ſub Zacharia, ùt tradunt Galeſinius & Ughellus, ſed ſub Gregorio III. Summo Pontifice: Sanctus enim Zacharias. Pontificiam Sedem non adiit, niſi ſub finem ſequentis anni, menſe Novembri exeunte, ùt Patres Bollandiſtæ adnotant in ejuſdem Sancti Epiſcopi Vita, ad diem XIII. Maji, ſubjungentes, *juxta hunc calculum, quo non facile fideliorem inveniet aliquis, mortem Sancti Natalis ſeptem fere menſibus Zachariæ initia præceſſiſſe*. Sanè in Anno electionis deſignando hujus noſtri Antiſtitis cœcutiunt recentes Scriptores. Ughellus Anno DCCXLVII., vel XLIX. renunciatum fuiſſe Sanctum Natalem tradit: Galvaneus Flamma *in Manipulo Florum* Cap. CXVII., & Donatus Boſſius *in Chronicis*, ad Annum DCCL. memoratam electionem differunt. Nos cum Papebrochio *in Exegeſi* hanc prædicto Anno DCCXL. conſignamus.

Quod ſpectat ad tempus regiminis, Panvinius, Ughellus, aliique duos integros Sedis annos Sancto Natali attribuunt: Galeſinius ait, anno uno, & menſibus undecim huic Eccleſiæ eumdem præfuiſſe; atque ita omnia in obſcuro relinquunt. Certiora nos ex antiquis Catalogis deſumimus, in quibus XIV. tantùm Menſes Sedis adnotantur, a Mar-

Digitized by Google

Martio ſcilicet menſe Anni DCCXL., ad diem XIII. Maji, Anni ſubſequentis.

Non minùs Sanctimoniâ quàm eruditione clarus floruit hic Præſul; in omnibus ſiquidem Catalogis viciniorum temporum laudatur Sanctus Natalis, tamquam optimè inſtructus Linguis etiam peregrinis Græcâ & Hebraicâ; ſicuti etiam Eccleſiaſticorum Rituum egregiè peritus. Addunt aliqui, ſcriptum ab eo fuiſſe Librum contra Arianos, quorum ſecta Mediolani reviviſcere videbatur, teſte Ughello. Id autem fieri potuit, antequam Epiſcopus inauguraretur, & Liutprandus Catholicæ Fidei jam adſcriptus Italicum Regnum teneret.

Præterea Divini cultûs amantiſſimus, Baſilicam Sancti Georgii Martyris vel a fundamentis excitavit vel in venuſtiorem formam redegit. Immo Ughellus fidenter narrat, inſtitutam ab eo fuiſſe in eadem Baſilica Canonicam. Porro ſi aliquo documento firmaretur aſſertio, non modica accederet noſtræ Eccleſiæ gloria, quòd citiùs amplexa fuiſſet Canonicam vitam. Verùm id excerpſit e Libro IX. Ripamontii, qui de Sancto Natali loquens, rhetoricè ſcribit, exornatum illud Templum ab eo fuiſſe Canonicorum Collegio. Extant adhuc archetypæ Tabulæ in prædivite Archivo memoratæ Baſilicæ, quæ docent, non alios ibidem degiſſe uſque ad XI. Seculum, niſi Presbyteros Officiales Decumanos, qui eo tempore diſperſi erant per alias etiam Urbis Eccleſias. De his egimus in Diſſertat. *ad vindicandam veritatem* &c., impreſſâ in hac Metropoli Anno MDCCXXXIII., & fuſiùs diſſeremus in progreſſu Operis de Ritibus Eccleſiæ Ambroſianæ.

Multis miraculis tum in Vita, tum poſt mortem claruiſſe

fuiſſe Sanctum Natalem, Breviarii Ambroſiani Lectio in ejuſdem Feſto die recitanda teſtatur.

Supremum diem clauſit III. Idus Maji, Anno DCCXLI., & tumulo conditus fuit in memorata Baſilica Sancti Georgii ad Palatium. Ambigit Ughellus, an in hac Sacra Æde, an in altera Sancti Euſtorgii tumulatus ſit Sanctus Natalis, quam ait ab eodem fuiſſe a fundamentis excitatam: Sed falsò; deceptus namque fuit a quadam Ripamontii periodo, qui ſive per lapſum calami, ſive Typographi negligentiâ hæc habet, Decade I. Libr. IX.: *Natalis in Euſtorgiana Baſilica eſt ſitus, quam ipſam aut a fundamentis erexit, aut profano veterum cultu dicatam Soli expiavit, atque transtulit in Martyris illius nomen & Religionem*; Verbum enim *Euſtorgiana* poſitum fuit loco *Georgianæ*, ùt ex ipſo contextu patet, *tranſtulit in Martyris illius nomen*; Georgius ſiquidem Martyr fuit, non Euſtorgius; hujuſque Templum jam extabat Mediolani, pluribus ante Sanctum Natalem Seculis.

Præterea in Charta (ùt ajunt) Codicilli, a Joanne Petro de Pado Canonico Ordinario Eccleſiæ Mediolanenſis, confecti poſt ultimas Tabulas, indicatur non ſolùm Eccleſia Sancti Georgii, ſed etiam locus, in quo jacebat Sepulcrum hujus Sancti Antiſtitis, nempe in medio Eccleſiæ: Præcipiens enim prædictus Joannes Petrus, qua in parte tumulandum eſſet ejus cadaver, in hæc verba voluntatem ſuam aperuit, ibi: „ Vult, jubet, ordinat & mandat, quòd Corpus ſuum ſe- „ peliatur intra Eccleſiam Sancti Georgii in Palatio ùt ſupra, „ videlicet immediatè *poſt Sepulcrum Sancti Natalis*, *poſitum*

„ *in*

Digitized by Google

„ *in medio dictæ Eccleſiæ* & contiguum ipſi Sepulcro ubi fiat „ ſepultura una pro ipſo Dño Joanne Petro „. Data eſt hæc Charta, in Tabulario memoratæ Eccleſiæ Sancti Georgii adhuc ſuperſtes, Anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo, Indictione Decima.

Franciſcus Caſtellus, relatus a Clariſs. Muratorio in Diſſertat. LVI. *Antiquit. Ital. Medii Ævi* Tom. IV. *pag.* 764., etiam Inſcriptionem marmori inciſam, a temporum injuriis nobis ſervavit in ſuis MS.tis Collectaneis, quam ait, oculis omnium ſubjectam fuiſſe eâ ætate, qua ipſe ſcribebat, nempe Anno MDL. in pavimento ejuſdem Eccleſiæ, in hæc verba:

„ *Epitaphium Sancti Natalis Archiepiſcopi Mediolanenſis.*

Marmore concluſum tegitur venerabile Corpus.
Natalis, Præſul qui fuit Orbe bonus.
Grandis honor Patrum fuerat, nam Paſtor & almus.
Nobilitate (a) *vixit, rexit oveſque Pater.*
Condidit hanc Aulam, Chriſto præſtante juvamen.
Rex dedit & recte plurima dona quoque;
Unde queant vigiles Domino ſervire per æva.
Proque ſuis culpis poſſit habere preces.
Eccleſiam rexit bis ſeptem menſibus, annos
Sexies atque decem quoque (b) *duobus habens.*

In MS.to Codice Franciſci Caſtelli legebantur etiam chronolo-

(a) *Muratorius legit* nobiliter.
(b) *Muratorius legendum ait* cumque.

nologicæ Notæ; ſed cùm ſcateant mendis, cenſet Muratorius loco laudato, adjunctas fuiſſe ab ipſomet Caſtello: ſiquidem neque annus mortis, neque Indictio congruunt veritati; adeòque nos etiam eaſdem prætermiſimus.

Feſtivus dies Sancti Natalis agitur in Ambroſiana Eccleſia III. Idus Maji: Fallitur tamen Ughellus, qui eum inter Sanctos relatum aſſerit a Stephano II. Pontifice Maximo; cùm hujuſmodi Cauſæ, ùt diximus, ad Romanum Pontificem tunc temporis non deferrentur.

ARI-

Digitized by Google

ARIFREDUS.

Promotus eſt ad Mediolanenſem Sedem poſt Sanctum Natalem Arifredus, ſeu Ansfridus (ùt eum vocat Sigonius) Anno DCCXLI., non DCCXLIX., prout opinatus eſt Ughellus. Inauguratum eum fuiſſe ſub Zacharia Pontifice Maximo ſcripſit Galeſinius in Tabula Epiſcoporum Mediolanenſium, quin animadverterit, eo tempore Zachariam nondum obtinuiſſe Pontificiam Dignitatem, qua exornatus fuit ſolummodo exeunte illo anno; cùm aliunde Arifredus declaratus jam foret Epiſcopus menſe Auguſto, ùt vult Papebrochius *in ſua Exegeſi*.

De hoc Præſule nihil ad nos tranſmiſerunt antiquitas & Hiſtoriæ, præter nomen. Fortaſſis ob regiminis brevitatem tempus illi deſuit, præclara Paſtoralis animi meditamenta in publicum proferendi.

Obiit Anno DCCXLII., adminiſtratâ per VIII. menſes Eccleſiâ, ùt voluit Ughellus, ſed revera per IX., prout vetuſti docent Catalogi. Sepultus eſt ad Baſilicam Sancti Nazarii.

STA-

S T A B I L I S.

BRevî erepto Arifredo paſtoralem curam Mediolanenſis Gregis ſuſcepit Stabilis Anno DCCXLII., pridie Idus Auguſti. Etiam de hoc Epiſcopo ſilent Scriptores, quamvis longiùs quàm Deceſſor, regimen ſuum produxerit, ideſt per duos annos & menſes quatuor. Erravit quidem Galeſinii Tabula, in qua Stabilis ponitur electus Epiſcopus ſub Stephano III., cùm iſte Summus Pontifex Romanum Solium non conſcenderit, niſi Anno DCCLXVIII., ùt docet Pagius.

Obiit hic noſter Antiſtes Anno DCCXLIV., Idibus Decembris, juxta calculum Papebrochii, ſepultuſque eſt in Baſilica Sancti Ambroſii.

Digitized by Google

Avvertenze pe' Legatori, affine che poſſano evitare gli sbaglj facili ad accadere nel legare il primo Tomo dell' Opera intitolata

ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM SERIES CHRONOLOGICA &c.

Dopo il Frontiſpizio, deve immediatamente ſuccedere l' Elogio col Ritratto dell' Eminentiſſimo Meſmer.

In appreſſo la Dedicatoria, ſegnata T. I. † con la Lettera al Lettore ſotto la medeſima ſegnatura di ††. e †††.

Succede la Vita del Dottore Saſſi, ſegnata T. I. * ſino all' * 10.

Vengono dietro le *Vindiciæ de adventu Mediolanum S. Barnabæ &c.* ſegnate T. I. a, e va continuando tutto il reſto ſotto l' alfabeto piccolo ſino alla ſegnatura bb. 2.

Dopo di queſti foglj incomincia l' Opera col numero marginale 1, e la ſegnatura A, la quale cammina a dovere ſino alla ſegnatura Hh., dietro a cui ſotto la pag. 249. ſi trova ancora per errore Hh. quando dovrebb' eſſere Ii.

Si ſuggeriſce altresì di andare con grande cautela nel battere queſto primo Tomo, perchè vi ſi trovano alcuni Foglj di freſco tirati, che facilmente potrebbero contraſtamparſi.

Nel Tomo II. e nel III. le ſegnature camminano a dovere, nè s'incontra in eſſi alcuna difficoltà.

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google